6
37 D
43

...nplet

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III . 15. e

52.5.59.

III
15
A

M. V. C. B. Dupte

Digitized by Google

PRÆADAMITÆ.

SIVE

EXERCITATIO

ſuper Verſibus duodecimo, decimotertio, & decimoquarto, capitis quinti Epiſtolæ D. Pauli ad Romanos.

QVIBVS INDVCVNTVR

Primi Homines ante Adamum conditi.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ANNO SALVTIS,
M. DC. LV.

[illegible]
[illegible]

ELENCHVS CAPITVM

quæ continentur in Exercitatione.

CAPVT I.

Verba Apoſtoli. Imputationem peccati cœpiſſe à tranſgreſſione legis Dei, quam Adamus violavit: deſiiſſe in Chriſto. Antitheſis inter Adamum & Chriſtum. *Pag.* 7

II. De lege Dei data Adamo. Item de variis legibus humanis & divinis, quæ fuerunt ante legem Dei datam Moſi. 9

III. De quatuor hominum ſtatibus: ſub natura: ſub lege: ſub gratia: ſub gloria. Tempus legis ſtatuendum eſſe ab Adamo, non à Moſe. 13

IV. Peccatum fuiſſe imputatum ab Adamo uſque ad Moſem. 15

V. Probatur idem quod ſuperiori capite probatum eſt. 18

VI. Infantes peccaviſſe ad tranſgreſſionis Adami ſimilitudinem. Et de variis ſimilitudinis acceptionibus. 19

VII. Infantes peccaviſſe ad tranſgreſſionis Adami ſimilitudinem, ſecundum ſuperiores omnes accceptiones ſimilitudinis. 23
VIII. Anxietas interpretum in explicatione horum verſuum. Statuere, primos homines creatos ante Adamum, neque officere doctrinæ Chriſtianæ, neque hiſtoriæ Geneſeos: imo utramque elucidare. Congruere omnino cum hiſtoriis & monumentis Gentium. 25
IX. Textus Apoſtoli. Analyſis verſus duodecimi. De imputatione peccati, & de regno mortis. 30
X. Analyſis verſus decimi tertii. Legem hic intelligendam, datam Adamo. Aſſeritur vulgata lectio. 32
XI. Analyſis verſus decimiquarti. De regno mortis ab Adamo uſque ad Moſem. Moſem hic ſumi pro lege data Moſi. 34
XII. Duo tempora notari ab Apoſtolo. Vnum, à lege. Alterum, ante legem. Sive, quod idem eſt, Vnum ab Adamo; Alterum, ante Adamum. 36
XIII. Creati homines ante Adamum non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami. Legendum hic, *peccaverant*, non *peccaverunt*. 38
XIV. Peccatum dari materiale & formale: non imputatum, & imputatum. Similitudinem tranſgreſſionis Adami poſitam in imputatione, non actu tranſgreſſionis ejus. 40
XV.

XV. Quæ ſit vera ſimilitudo tranſgreſſionis Adami, per Oſeam Prophetam. 43
XVI. Neminem potuiſſe unquam peccare actualiter ſicut Adam peccavit. Infantes verius peccaviſſe ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami quam adultos. Legem Moſaicam expreſſam ad ſimilitudinem legis Adamicæ. Legem Adamicam hoc loco intelligendam. 45
XVII. Peccata facta ante legem, neque imputata, neque ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami. Peccata facta poſt legem, imputata, & facta ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami. De peccato mortuo, & vivis hominibus ante legem & Adamum. 47
XVIII. Introducitur vivus homo abſque lege, vel ante legem & Adamum, loquens ſecundum mentem D. Pauli. 49
XIX. Peccatum Adami fuiſſe retro imputatum primis hominibus ante Adamum conditis: & damnationem mortis ex illo peccato, retro regnaviſſe in illos. Qua de cauſa illud fieri debuerit. 54
XX. Peccata præcedentia, de quibus locutus eſt D. Paulus cap. 3. hujus epiſtolæ; eadem eſſe quæ facta ante legem & Adamum; quia legem & Adamum præceſſerunt. 55
XXI. Quomodo cenſeri poſſit, peccatum Adami fuiſſe retro imputatum primis hominibus ante Adamum conditis: nec non da-

mnationem mortis ex illo peccato, retro regnaviſſe in illos. 57
XXII. Analyſis continua horum verſuum Apoſtoli. 59
XXIII. Adamum dici primum hominem, qua ratione Chriſtus ſecundus homo eſt. 62
XXIV. Adamum dici primum hominem, qua ratione primus homo peccator eſt. Imputationem peccati Adamici, non fluxiſſe ex Adami traduce. 64
XXV. Explicatur D. Paulus Actorum capite 17. Ex uno ſanguine, non eſſe, ex uno Adamo. 67
XXVI. Exercitationis epilogus. 69

EXER-

EXERCITATIO

Super Verſibus, duodecimo, decimotertio, & decimoquarto, capitis quinti, Epiſtolæ D. Pauli ad Romanos.

CAPUT I.

Verba Apoſtoli. Imputationem peccati cœpiſſe à tranſgreſſione legis Dei, quam Adamus violavit: deſiiſſe in Chriſto. Antitheſis inter Adamum & Chriſtum.

Paulus Apoſtolus, Epiſtola quam ſcripſit ad Romanos, capite quinto, verſibus 12. 13. *&* 14. *hæc ait.*

XII. Sicut per unum hominem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors: ita etiam in omnes homines mors pervaſit, in quo omnes peccaverunt.

XIII. Nam uſque ad legem peccatum erat in Mundo. Peccatum vero non imputabatur, non exſiſtente lege.

XIV. Regnavit autem mors ab Adamo uſque ad Moſem: In eos etiam qui non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami; qui eſt typus futuri.

Vulgati Interpretes explicant illud, Vſque ad le-

legem, *decimitertii verſus; de tractu illo temporis qui interceſſit ab Adamo uſque ad Moſem. Per quod tempus ſtatuunt peccatum quidem fuiſſe in Mundo, ſed non datum fuiſſe crimini; ſive non fuiſſe imputatum, ut vulgo dicitur. Statuunt, inquam, peccatum cœpiſſe imputari à Moſe, non autem ab Adamo.*

Verum hoc (præfabor pacem tantorum Virorum) pugnare mihi videtur fronte adverſa, cum eo quod voluit dicere Apoſtolus: imo quod ſignificanter expreſſit, quamvis leviter attigiſſe videatur. Voluit enim illud, & hic eſt ſenſus perpetuus hujus loci. Homines à Deo depulſos propter unum hominem-peccatorem, rediiſſe in gratiam propter unum Hominem-Deum. Peccatum intraviſſe in Mundum, per unum hominem-peccatorem, qui legem Dei prætergreſſus eſt: abſolutionem de peccato illo, qua Iuſtitia & Iuſtificatio *appellatur, intraviſſe in Mundum, per unum Hominem-Deum, qui legi divinæ paruit, & piacularis factus eſt ob culpam illius hominis peccatoris. Hominem illum peccatorem typum fuiſſe, ſed typum oppoſitum, hujus hominis Dei. In hac tamen oppoſitionis comparatione voluit Apoſtolus, imputatiorem, ut ita dicam, fuiſſe gratiam hujus hominis-Dei, tranſgreſſione hujus hominis-peccatoris: potiorem hujus juſtificationem reatu illius: plenius & potentius hujus obſequium illius pervicacia. Vbi perpetua viget antitheſis inter illum & hunc. Ille eſt Adamus, hic eſt Ieſus Chriſtus. Ille eſt primus Adamus, hic eſt ſecundus Adamus.*

Vo-

Voluit item Apoſtolus, per temeratam illam primam legem Dei, ab illo primo homine Adamo, homines omnes inimicos & hoſtes Dei evaſiſſe: per tranſgreſſionem illius legis omnes homines peccaviſſe: per contumaciam illius hominis, omnes homines peccatores effectos: per illud peccatum, quod eſt tranſgreſſio illius legis, mortem pervaſiſſe in omnes homines, mortem regnaviſſe. Illud autem demonſtravit Apoſtolus evidentiſſime: nec cæcutire poſſumus in tanta luce, niſi forte quia nimia eſt. Nimirum ut nobis conſtet, imputationem peccati cœpiſſe à tranſgreſſione legis Adamo data, non autem à lege data Moſi. Cœpiſſe ab Adamo, desiiſſe in Chriſto. Nulla enim hic antitheſis inter Moſem & Chriſtum. Typum, ſive antitypum Chriſti unicum, conſtituit hoc capite Adamum D. Paulus.

CAPUT II.

De lege Dei data Adamo. Item de variis legibus humanis & divinis, quæ fuerunt ante legem Dei datam Moſi.

Lex Dei data Adamo illa fuit, cujus tranſgreſſio, ut prædixi, Adamum, & in illo omnes homines fecit hoſtes Deo: quæ armavit Angelum enſe fulmineo, ut illum, & in illo omnes homines Paradiſo detruderet. Lex Dei illa fuit, quæ Adamum, & in illo omnes homines effecit peccatores, reos, contumaces: per quam peccatum intravit in Mundum: per quam omnes homines peccaverunt: per quam mors pervaſit in omnes homines. Et de illa lege intelligenda ſunt verba hæc

Apoſtoli : Vſque ad legem peccatum erat in Mundo. *Quippe quæ lex Adami, vel data Adamo, princeps fuit legum omnium. Quæ lex legum, & per excellentiam* LEX *ſimpliciter dici debuit.*

Reliquæ leges ſua nomina ſortitæ ſunt. Lex enim naturæ illa eſt, quæ dicitur recta ratio: *unde leges gentium ortæ ſunt : à quibus itidem fluxerunt leges civiles, quæ ſecundum varios Legumlatores varia ſibi induerunt nomina. Tales olim fuerunt, vel duriores Lycurgi leges, vel molliores Solonis conſtitutiones , vel quæ tulere ſtrictiora jura Decemviri, vel quæ edixere remiſſiora Prætores.*

Imo & leges Dei varias indictas fuiſſe Iudæis, longe ante legem datam Moſi , conſtat ex Geneſi ipſa, cap. 26. ubi Deus Iſaacum affatur his verbis. Benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terræ, eo quod obedierit Abrahamus voci meæ, & cuſtodierit præcepta & mandata mea , & ceremonias legeſque ſervaverit. *Quibus patet maniſeſtiſſime, præcepta & mandata Moſaica non fuiſſe prima præceptorum & mandatorum Iudæis præſcriptorum, ut creditur: Cæremonias Moſaicas non fuiſſe primas Cæremoniarum Iudaicarum, ut creditur: Leges Moſaicas non fuiſſe primas legum Iudaicarum, ut creditur. Sed longe ante Moſem præcepta & mandata alia ſtatuta Iudæis ; cæremonias alias inſtitutas; & leges alias Dei populo huic ſancto & electo decretas & ſancitas fuiſſe. Iudæos autem hoc loco intelligo : non filios Abrahami tantum, qui vocantur* ſemen Abrahæ; *ſed & patres omnes Abrahami ipſius, Adami poſteros.*

Ve-

Verum inquies: Quæ præcepta & mandata legimus præſcripta unquam fuiſſe Iudæis ante Moſem? Laudabo ſanctificationem Sabbati: mundorum & immundorum diſcretionem: abſtinentiam à ſuffocatis: quæ legimus mandata & præcepta fuiſſe Iudæis longe ante Moſem. Quas inquies cæremonias legimus ante Moſem fuiſſe unquam in uſu apud Iudæos? Cæremonias laudabo illas, quibus ſacrificiorum ritus conſtitit apud Iudæos, longe ante Moſem. Quin & cultus Dei varios inſtitutos; ab Adamo, uſque ad Enos filium Sethi: ab Enos filio Sethi, uſque ad Abrahamum: ab Abrahamo uſque ad Moſem. Scriptum nimirum eſt Geneſeos cap. 4. Sed & Seth natus eſt filius, quem vocavit Enos. Iſte cœpit invocare in nomine Domini. *Certe invocabatur Dominus nomine aliquo, ab Adamo & Setho, ante Enos. Sed invocare cœpit Enos Dominum nomine alio, quo Adamus & Sethus illum invocaverant. Additam vero legimus circumciſionem Abrahamo. Et revelatum nomen* Iehovæ, *Moſi; Iudæis antea inauditum.*

Quas vero legimus, inquies, ſancitas unquam fuiſſe leges Iudæis, ante legem Moſis? Leges aſſeram audacter illas, quas hoc loco Geneſeos ſervaviſſe dicitur Abrahamus. Imo, ſecundum quas notum eſt, longe ante Moſem, honoratos fuiſſe parentes à filiis ſuis: animadverſum in homicidas: prohibita adulteria: interdicta latrocinia: imo & vetitam concupiſcentiam, ſcelerum cauſam & fomitem. Quæ omnia vulgus Theologorum putat initium habuiſſe à Moſe tantum: quamvis certiſſi-

mum ſit, communia illa fuiſſe legum omnium divinarum & humanarum: inſtituta & obſervata longe ante Moſem. Vtpote quæ emanaverint, non à Moſe ut vulgo creditur; ſed à jure ipſo naturali, gentium, & civili: imo à præcepto ipſo divino, longiſſime ante Moſem.

Lex ſane Moſaica jus ſuum, illudque præcipuum, habuit apud Iudæos; ſed ſuum ſucceſſive tempus, diſtinctum ab aliis & primis legibus Iudaicis. Qualis mos eſt apud omnes populos, quorum poſteriores leges priores antiquant. Imo proprie, conſtitit lex Moſaica in cæremoniis peculiaribus; in peculiari ratione ſacrificiorum; & in peculiari jure Sacerdotii. Quæ non erant in uſu ante Moſem; & à Chriſto abrogata ſunt.

Nullibi autem ſcriptum eſt, peccatum fuiſſe imputatum omni generi humano, propter leges illas violatas, ſive naturales, ſive gentium, aut civiles: propter temeratas leges illas Dei quæ in deſuetudinem abierunt: propter abdicatam circumciſionem, & inobſervatum Moſem. Sed ſcriptum eſt diſertiſſime & conceptiſſime; peccatum intraviſſe in Mundum, per legem perruptam ab Adamo: Imputatam fuiſſe tranſgreſſionem legis illius omnibus hominibus: & per tranſgreſſionem legis illius mortem pervaſiſſe in omnes homines. Vnde innoteſcat, legem datam Adamo, tanquam generaliſſimam, & legem legum, Legem *ſimpliciter dici & audire debuiſſe hoc loco.*

CAPUT III.

De quatuor hominum ſtatibus : ſub natura : ſub lege ; ſub gratia : ſub gloria. Tempus legis ſtatuendum eſſe ab Adamo, non à Moſe.

Status hominum optime partiti ſunt, qui illos quadrifariam diviſerunt, poſueruntque hoc ordine : primum, ſub natura : ſecundum, ſub lege : tertium, ſub gratia: ultimum, qui erit ſub gloria. Allucinari mihi videntur qui numerant tempus legis à Moſe, quod ſtatui debuit ab Adamo. Tempus inquam legis illius de qua hic dedita opera egit Apoſtolus. Locutus enim eſt de lege illa, in cujus tranſgreſſione homines omnes peccaverunt : & de illo homine qui legem illam perfregit, in quo mors pervaſit in omnes homines. Quæ omnino conveniunt legi datæ Adamo, & Adamo ipſi : nullo modo autem legi Moſaicæ, neque Moſi ipſi. Iudæi enim ſoli peccaverunt in tranſgreſſione legis Moſaicæ. Iudæos ſolos affatus eſt Deus cum legem illam Moſaicam promulgavit. Neque juſte & juridice actum fuiſſet cum omnibus hominibus, ſi mors pervaſiſſet ex tranſgreſſione illius legis, in illos etiam homines quibus lex illa non data fuiſſet: atque adeo qui nullo pacto, & nullo fœdere ſancito, lege illa tenebantur.

Moſes certe miſſus fuerat Iudæis ſolis ; non ut in quo Iudæi peccarent : Id eſt, non ut Iudæi peccarent in Moſe peccante: ſed ut unicuique Iudæo ſua ſibi legis illius Moſaicæ tranſgreſſio imputaretur. Res non ita ſe habuit in Adamo. Peccaverunt

runt omnes homines in tranſgreſſione legis illius quam Adamus egreſſus eſt. Peccatum illud quod ſibi ſoli peccaviſſe viſus eſt Adamus, tranſiit in omnes homines, qui peccaverunt in Adamo peccante. Ratio eſt; quia lex illa data Adamo, lata fuit omnibus hominibus. Et quo momento allocutus eſt Deus Adamum, cum legem illam ſuam ei dabat; allocutus eſt homines omnes. Ita ut juſte & juridice egerit Deus cum omnibus hominibus, quando mors in illos pervaſit ex peccato Adami, & tranſgreſſione legis illius quam Adamus violavit. Quia lex illa putata fuit data omnibus hominibus; qui involuti & aſtricti fuerunt pacto & fœdere illo, quod Deus cum omnibus hominibus in Adamo, tanquam Syndico & defenſore omnium hominum, pepigerat, & percuſſerat.

Quæ cum ita ſint, atque adeo certa ut de illis dubitare religio ſit: fateor me non intelligere, qua ratione tempus illud legis quod quærimus, non debuerit aſſignari ab Adamo. Lex enim primum data Adamo, denotat evidenter, legem primum cœpiſſe ab Adamo. Imo legem illam de qua hic loquitur Apoſtolus; à qua fluxit imputatio peccati. Quæ imputatio cœpit eſſe ab Adamo, à quo & regnum legis cœpit eſſe.

Hujus autem rei veritatem quid attinet quærere per alium interpretem quam per Apoſtolum hoc loco? Nullum ſcilicet fuit regnum mortis, quod non prius pependerit à regno peccati: nullum quinetiam regnum peccati, quod non prius pependerit à regno legis: legis inquam illius, à cujus tranſgreſſio-

greſſione peccatum imputari, mors regnare cœpit. Cauſa igitur antecedens & primigenia peccati & mortis, conſtituenda eſt Lex eadem. Atqui regnum mortis cœpit eſſe ab Adamo per Apoſtolum ipſum hoc loco. Regnavit mors ab Adam uſque ad Moſem. *Cœperit ergo neceſſe eſt multo magis regnum legis ab Adamo ipſo, per eundem Apoſtolum loco eodem. Regnavit lex data Iudæis in Môſe, à Moſe ipſo. Regnavit lex data omnibus hominibus in Adamo, ab Adamo ipſo. Regnavit inquam lex ab Adamo, uſque ad Moſem: vel uſque ad Ieſum Chriſtum. In quo ſcilicet, lex omnis Adamica & Moſaica, & tempus ipſum periit legis utriuſque. Vtpote, à quo tempus Gratiæ cœperit eſſe.*

Conveniens ergo eſt ut definiamus & circumſcribamus tempus Legis, ab Adamo ad Chriſtum. Qua ratione definiemus & circumſcribemus tempus Gratiæ, à Chriſto quando venit in carne, ad eundem Chriſtum cum venerit in ſpiritu ad Gloriam: quæ erit in æternum.

CAPUT IV.

Peccatum fuiſſe imputatum ab Adamo uſq; ad Moſem.

SEd neque illud aſſequi poſſum, quantumvis meditatione contendam: qua ratione probari poſſit, peccatum non fuiſſe imputatum per totum illud tempus quod fluxit ab Adamo uſque ad Moſem. Contrarium enim colligitur ex locis omnibus Geneſeos.

Incipiam ab Adamo ipſo. Quare ergo peccatum fuit imputatum Adamo ipſi? Quare imputatum omnibus

omnibus hominibus, qui in illo peccaverunt? Quare fugatus Adamus, & in Adamo fuſi omnes homines Paradiſo? Quare maledicta terra propter peccatum Adami, niſi terræ, & toti Mundo fuit imputatum? Quare timuit Cainus qui occiderat fratrem ſuum, cum dixit Deo: Major eſt iniquitas mea quam ut veniam merear? *Quare major iniquitas, ſi non mage imputata? quare deneganda Caino venia, ſi non imputanda iniquitas? Quare dixit Lamech uxoribus ſuis:* Quoniam occidi adoleſcentulum in livore meo; ſeptuplum ultio dabitur de Caino: de Lamecho vero ſeptuageſies ſepties? *Quare ultio dabatur de peccato, quod non putabatur eſſe peccatum? quare ultionis, niſi fuiſſent imputationis gradus? Quare legimus Deum* flagellaviſſe Pharaonem plagis maximis, propter Saraï uxorem Abrahami: *niſi reputaviſſet Deus adulterium & Regi & regno? Quare dixiſſet Deus de Sodomitis:* Aggravatum eſt peccatum eorum? *Quæ fuit illa peccati aggravatio, niſi peccati imputatio? Et ſi tunc temporis nullæ fuiſſent imputationes; quare juſtitia decem Iuſtorum ſi degiſſent Sodomis, reputata fuiſſet reliquis Sodomitis in juſtitiam: quæ illorum peccata, quæ peccatorum clamores & aggravationes, id eſt imputationes, ſuſtuliſſet? Quare per illud tempus imputata fides Abrahamo, per quam imputatio peccati auferenda erat? Remedium certè præſupponit morbum. Imputatio fidei præſupponit imputationem peccati. Quare percuſſiſſet Deus Onanum eo quod feciſſet* Rem deteſtabi-

ſtabilem? *Quæ res illa deteſtabilis; ſi non imputanda; quæ percuſſione vindicanda foret? Quare noluit Iuda* polluere manus ſuas ſanguine Ioſephi fratris ſui? *Quæ fuit illa pollutio quam timuit, ſi non eſt imputatio? Locuti ſunt ad invicem fratres Ioſephi, credentes non intelligi: remordebat eos quod in illum peccaverant.* Idcirco, *aiebant*, venit ſuper nos iſta tribulatio. *Et inferius Ruben.* Nonne dicebam? Nolite peccare in puerum. En ſanguis ejus exquiritur. *Nimirum, exquiſitio ſanguinis, imputatio effuſi erat. Quare Moſes & ipſe ante legem ſuam latam, præcipiti curſu aufugit in deſertum, propter occiſum Ægyptium; niſi ſupplicium veritus eſt à Iudicibus Ægyptiis; qui ejus ſanguine parentaſſent occiſo Ægyptio? Quare ergo ab Adamo uſque ad Moſem, inſtituta fuerunt ſacrificia, quæ fuerunt peccatorum expiationes; niſi fuerunt per illud tempus peccatorum imputationes? Ratio enim poſtulat, ut quod remittitur, non imputetur, quod imputatur, vindicetur.*

Quod ſi demum nobis licet, ut par eſt, judicium ferre de reatibus & imputationibus peccati, per pœnas quæ ſequuntur reatus & imputationes peccati: nullum certe peccatum fuit æque imputatum, à Moſe uſque ad nos, qualia fuere imputata ab Adamo uſque ad Moſem. Non enim dicuntur cataractæ cœli effuſæ, vel fornaces ſuperæ deſcendiſſe & crepitaviſſe, in perniciem hominum peccantium à Moſe uſque ad nos; qualia leguntur de diluvio, & de conflagratione Sodomitarum, ab Adamo uſque ad Moſem.

CA-

CAPUT V.

Probatur idem quod ſuperiori capite probatum eſt.

VErum, quid procul à me quæro quod juxta me eſt, quodque in hoc textu eſt? Quare dixit Apoſtolus, peccatum intraviſſe in mundum per Adamum; & per peccatum mortem? Ad quid enim intravit peccatum in mundum, niſi ut mundo imputaretur? Quæ enim eſt irruptio illa peccati in mundum; ſi non eſt imputatio peccati, quæ ab Adamo involvebat mundum ſub condemnationem mortis, ex peccato Adami? Quod vero expreſſius argumentum imputationis expreſſiſſima potuit adduci quam illud; quo cenſentur homines omnes inimici, & facti hoſtes Deo? Quæ rurſus major imputationis nota potuit inuri peccato illi, vel potuit exprimi ab Apoſtolo; quam pœna mortis quæ tale peccatum ulta eſt? Quæ enim eſt relatio mortis ad peccatum, eadem eſt ultionis ad imputationem. Apoſtolus autem aſſeruit ipſiſſimis verbis hoc loco; Mortem regnaviſſe, ab Adamo uſque ad Moſem. *Regnaviſſe, per imputationem peccati. Contra enim rerum ordinem regnaviſſet mors, per illud tempus quod interceſſit ab Adamo uſque ad Moſem; niſi per illud etiam tempus imputatum fuiſſet peccatum. Quorſum enim pœna ubi non eſt reatus? Quid porro reatus eſt, ſi non eſt imputatio? Sunt certe hæc reciproca, pœna & reatus, mors & peccatum. Pœna præſupponit reatum; mors præſupponit peccatum. Regnavit mors ab Adamo. Recte concludetur, Ergo imputatum*

tatum fuit peccatum ab Adamo. At ſi voluiſſet Apoſtolus, peccatum non fuiſſe imputatum ab Adamo uſque ad Moſem, ſed cœpiſſe imputari à Moſe: nec debuerat dicere, mortem regnaviſſe ab Adamo. Imo illud tantum; regnaviſſe à Moſe uſque ad Ieſum Chriſtum, qui finis fuit legis Moſaicæ: per quod tantummodo tempus intelligunt Interpretes peccatum fuiſſe imputatum.

Hoc autem me magis movet: quod Interpretes ipſi vertentes verba hæc verſus 18. hujus capitis: Ἄρα οὖν ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς κατάκριμα: *tranſtulerunt hoc modo.* Sicut per unam offenſam (*intelligunt autem offenſam Adami*) reatus venit in omnes homines in condemnationem. *Quare ſubaudiverunt Interpretes reatum illum, qui non eſt in Græco? Quis eſt reatus ille ex offenſa Adami, ſi non eſt imputatio ex offenſa Adami? Patet ergo per ipſos etiam Interpretes, peccatum fuiſſe imputatum ab Adamo, per totum illud tempus quod ab illo uſque ad Moſem interjectum eſt.*

CAPUT VI.

Infantes peccaviſſe ad tranſgreſſionis Adami ſimilitudinem. Et de variis ſimilitudinis acceptionibus.

AT, quam facile abyſſus abyſſum invocat, tam proclive eſt, incommodum ſequi incommodum. Hinc factum eſt quod Interpretes, qui noluerunt peccatum fuiſſe imputatum ab Adamo uſque ad Moſem; cum venerunt ad illam partem decimiquarti verſus hujus capitis, quæ dicitur: Mortem

tem regnaviſſe, in eos etiam qui non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami: *cogitaverunt diſſimilitudinem inter peccata adultorum, & peccata infantium: inter peccata actualia, & peccata originalia: de quibus nec minimam fecit hic mentionem Apoſtolus: hic enim non erat his locus. Voluerunt ſcilicet Interpretes, Apoſtolum intellexiſſe hoc loci; Infantes non peccaviſſe ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, quia non peccaverant actualiter quemadmodum Adamus peccaverat. In eos tamen mortem regnaviſſe ſicut in adultos, qui peccaverant actüaliter, quemadmodum (ut autumant) Adamus peccaverat: ac proinde (ut ſibi volunt) ad tranſgreſſionis Adami ſimilitudinem.*

Verùm quærerem: Qua ratione potuiſſet mors actualiter regnare in Infantes, quemadmodum mors eadem regnaverat in Adamum: niſi Infantes actualiter peccaviſſent quemadmodum Adamus peccaverat? Qua ratione, inquam, potuiſſent Infantes mori revera & actualiter, ad ſimilitudinem mortis quæ infligebatur ex peccato Adami: neque peccaviſſe revera & actualiter, ad ſimilitudinem tranſgreſſionis & peccati ipſius Adami? Præſertim, cum mors ſit peccati opſonium, *ut loquitur Apoſtolus capite 6. hujus epiſtolæ; & ſequatur naturam, quæ ſimilitudo eſt, peccati ſui.*

Quærerem rurſus: Qui fuiſſent illi adulti, vel qui fuiſſent illi infantes, ante Adamum geniti, qui peccaviſſent vel non peccaviſſent ad ſimilitudinem peccati Adamici? Dixit enim diſertiſſime Apoſto-

Apoſtolus : Mortem regnaviſſe ab Adamo, in eos etiam qui non peccaverant. Ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας. Τὸ, peccaverant, *denotat tempus præcedens tempus illud primum, quo mors regnare cœpit.* τὸ, etiam, *denotat aliquid quod extra ordinem videtur: Mortem ſcilicet regnaviſſe, retro etiam à ſuo principio. Neque ſane tam facile eſſet expedire ſe ab his incommodis, ſi preſſius urgerentur.*

Sed his omiſſis, ulterius progredior : proboque, Apoſtolum intellexiſſe ; Infantes etiam Adami nepotes peccaviſſe ad ejus tranſgreſſionis ſimilitudinem. Dixit enim, omnes homines : *non ætatem diſtinxit : neque enim adultus magis eſt homo quam infans: dixit, inquam,* omnes peccaviſſe in Adamo. *At, ſi peccaverunt Infantes in Adamo : Ergo multo magis ad ejus tranſgreſſionis ſimilitudinem. Cenſetur enim quaſi in eandem Adami tranſgreſſionem impegiſſe, qui in tranſgreſſione Adami peccavit. Imo quotquot fuerunt adulti ut infantes, inſiti à cunis ipſis in Adamo, & in radice tranſgreſſionis Adamicæ : per hanc ſuam inſitionem participes facti fuerunt radicis, id eſt ipſius tranſgreſſionis. Ergo multo magis participes ſimilitudinis ejus.*

Potuit rurſus peccari ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, vel ſimilitudine ſpiritali, vel ſimilitudine naturali. Similitudine ſpiritali, quæ imputatio eſt : qua ſpiritu & mente concipitur idem quis peccaviſſe quod alius peccavit. Similitudine naturali, quæ naturæ propagatio eſt : qua fortes creari fortibus, & peccatores peccatoribus generari putantur. Simi-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

tem regnaviſſe, in eos etiam qui non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami: *cogitaverunt diſſimilitudinem inter peccata adultorum, & peccata infantium: inter peccata actualia, & peccata originalia: de quibus nec minimam fecit hic mentionem Apoſtolus: hic enim non erat his locus. Voluerunt ſcilicet Interpretes, Apoſtolum intellexiſſe hoc loci; Infantes non peccaviſſe ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, quia non peccaverant actualiter quemadmodum Adamus peccaverat. In eos tamen mortem regnaviſſe ſicut in adultos, qui peccaverant actualiter, quemadmodum (ut autumant) Adamus peccaverat: ac proinde (ut ſibi volunt) ad tranſgreſſionis Adami ſimilitudinem.*

Verùm quærerem: Qua ratione potuiſſet mors actualiter regnare in Infantes, quemadmodum mors eadem regnaverat in Adamum: niſi Infantes actualiter peccaviſſent quemadmodum Adamus peccaverat? Qua ratione, inquam, potuiſſent Infantes mori revera & actualiter, ad ſimilitudinem mortis quæ infligebatur ex peccato Adami: neque peccaviſſe revera & actualiter, ad ſimilitudinem tranſgreſſionis & peccati ipſius Adami? Præſertim, cum mors ſit peccati opſonium, *ut loquitur Apoſtolus capite 6. hujus epiſtolæ; & ſequatur naturam, quæ ſimilitudo eſt, peccati ſui.*

Quærerem rurſus: Qui fuiſſent illi adulti, vel qui fuiſſent illi infantes, ante Adamum geniti, qui peccaviſſent vel non peccaviſſent ad ſimilitudinem peccati Adamici? Dixit enim diſertiſſime Apoſto-

Apoſtolus : Mortem regnaviſſe ab Adamo, in eos etiam qui non peccaverant. Ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας. Τὸ, peccaverant, *denotat tempus præcedens tempus illud primum, quo mors regnare cœpit.* τὸ, etiam, *denotat aliquid quod extra ordinem videtur: Mortem ſcilicet regnaviſſe, retro etiam à ſuo principio. Neque ſane tam facile eſſet expedire ſe ab his incommodis, ſi preſſius urgerentur.*

Sed his omiſſis, ulterius progredior : proboque, Apoſtolum intellexiſſe ; Infantes etiam Adami nepotes peccaviſſe ad ejus tranſgreſſionis ſimilitudinem. Dixit enim, omnes homines : *non ætatem diſtinxit : neque enim adultus magis eſt homo quam infans: dixit, inquam,* omnes peccaviſſe in Adamo. *At, ſi peccaverunt Infantes in Adamo : Ergo multo magis ad ejus tranſgreſſionis ſimilitudinem. Cenſetur enim quaſi in eandem Adami tranſgreſſionem impegiſſe, qui in tranſgreſſione Adami peccavit. Imo quotquot fuerunt adulti ut infantes, inſiti à cunis ipſis in Adamo, & in radice tranſgreſſionis Adamicæ: per hanc ſuam inſitionem participes facti fuerunt radicis, id eſt ipſius tranſgreſſionis. Ergo multo magis participes ſimilitudinis ejus.*

Potuit rurſus peccari ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, vel ſimilitudine ſpiritali, vel ſimilitudine naturali. Similitudine ſpiritali, quæ imputatio eſt : qua ſpiritu & mente concipitur idem quis peccaviſſe quod alius peccavit. Similitudine naturali, quæ naturæ propagatio eſt : qua fortes creari fortibus, & peccatores peccatoribus generari putantur. Simi-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Similitudo porro hæc naturalis, dicitur duobus modis. Primo, ſumitur pro imagine. Imo idem ſunt ſimilitudo & imago, Geneſ. I. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. *Atq; ea ſignificatione Infantes referre patres ſuos, & ſimiles patribus ſuis dicuntur. Hinc illa ſunt apud Iureconſultos repræſentationum ſive imaginum jura, conceſſa infantibus ut adultis: imo nondum natis, ventres in poſſeſſionem miſſi. Sed de his ſatis. Sufficiat hic repoſuiſſe, quod ſcriptum eſt Geneſeos* 5, Adamum genuiſſe filium Sethum, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: *ut ad rem, & expreſſim ſignificans ſimilitudinem illam, quæ eſt inter Infantes filios, & adultos patres qui illos genuerunt.*

Similitudo naturalis ſecundo modo accepta, dicitur comparatio, ſive proportio. Simile eſt, quid comparativum, quid proportionale.

Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hædos
Noram: ſic parvis componere magna ſolebam.

Secundum hanc ſignificationem, ſimiles figuræ definiuntur à Geometris; quæ circum angulos æquales latera habent proportionalia. Vnde filios Infantes, ſimiles patribus ſuis adultis, ita definire poſſumus: Qui circum eandem & æqualem formam hominis, functiones habent corporis & animi proportionales. Eadem quippe eſt & æqualis forma hominis in infantibus, quæ eſt in adultis. Functiones autem corporis & animi, ſi non ſunt eædem & æquales in Infantibus, quæ ſunt in adultis; deprehenduntur certe comparatæ, & proportionales cum adultis.

CA-

CAPVT VII.

Infantes peccaviſſe ad tranſgreſſionis Adami ſimilitudinem, ſecundum ſuperiores omnes acceptiones ſimilitudinis.

Certum eſt Infantes peccaviſſe ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, ſimilitudine illa ſpiritali, qua intelligitur tranſgreſſio Adami imputata omnibus hominibus, Infantibus ut adultis: nec non finguntur omnes homines idem peccaviſſe quod Adamus peccavit; ratione ſimilitudinis quæ imputatione peccati Adamici exprimitur. Neque enim exortes fuerunt imputationis illius Infantes; quia enim tranſgreſſionis Adamicæ non mage puri quam adulti.

Probatur autem Infantes peccaviſſe ad eandem tranſgreſſionis ſimilitudinem, ſimilitudine naturali; ſecundum utramque acceptionem ſimilitudinis ipſius naturalis. Probatur inquam exemplo eodem quod propoſui Sethi Infantis, quem Adamus genuit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. *Id eſt, quem genuit ad imaginem organorum & functionum omnium corporis & animi, quæ fuerunt in Adamo adulto. Habuit ergo Sethus infans intellectum ad imaginem intellectus qui fuit in Adamo adulto. Habuit rationem ad imaginem rationis quæ fuit in Adamo adulto: habuit voluntatem ad imaginem voluntatis quæ fuit in Adamo adulto; peccatricem ſcilicet, & propenſam ad peccatum.* Ergo *intellexit Sethus infans ad imaginem intellectus Adami adulti. Ergo ratiocina-*

cinatus eſt Sethus infans ad imaginem rationis quæ erat in Adamo adulto. Ergo voluit & peccavit Sethus infans, ad imaginem voluntatis & peccati, ſive tranſgreſſionis Adami adulti. Atqui imago, ut dixi, eadem eſt quæ ſimilitudo. Peccavit ergo Sethus infans, ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami adulti.

Hæc autem ſimilitudo qualis ſit, clarius dignoſcetur per alteram ſimilitudinis acceptionem, quatenus eſt proportio: Quæ nempe Sethus infans genitus eſt ad ſimilitudinem Adami adulti. Id eſt, proportionalis cum Adamo adulto; ſi ratio habeatur eadem totius infantis ad totum adultum, quæ partium illius infantis ad partes iſtius adulti. Habuit ergo Sethus omnia organa corporis ſimilia & proportionalia; functiones omnes animi ſimiles & proportionales, cum organis omnibus & functionibus omnibus, corporis & animi, quæ fuerunt in Adamo adulto. Intellexit ergo Sethus infans ad ſimilitudinem intellectus Adami adulti: Id eſt, ſecundum illam proportionem quæ eſt inter infantem & adultum: inter intellectum infantis qui vagit, & intellectum qui viget in adulto. Ergo ratiocinatus eſt Sethus infans ad ſimilitudinem rationis quæ erat in Adamo adulto: Id eſt, ſecundum illam proportionem quæ eſt inter rationem infantis balbutientis, & rationem quæ regnat in adulto. Ergo voluit & peccavit Sethus infans, ad ſimilitudinem voluntatis & peccati, ſive tranſgreſſionis Adami adulti: Id eſt, ſecundum illam proportionem quæ eſt inter voluntatem teneram,

ram, & peccatum infantis nondum renati; voluntatem nodis & cortice duratam, & peccatum robuſtum quod eſt & luxuriat in adultis.

Quibus omnibus colligitur, peccatum procedere eadem ſimilitudine & proportione, qua progrediuntur corpora, qua evadunt organa & functiones omnes corporis & animi, ab infantia ad adultam ætatem. Patet inquam infantes dici proprie peccare ad ſimilitudinem tranſgreſſionis adultorum, ſecundum illam ſimilitudinem, ſive proportionem peccati, non ſecundum actum ipſum peccati. Quem ſcilicet actum non poſſunt infantes: & quem ſi poſſent, jam non peccarent ad ſimilitudinem, ſed ad veritatem ipſam tranſgreſſionis adultorum. Peccaviſſe ergo cenſendum eſt infantes ad ſimilitudinem ſive proportionem illam tranſgreſſionis Adami adulti. Demonſtrabitur autem inferius nullam dari ſimilitudinem peccatorum actualium, ſecundum illam acceptionem qua ſimilitudo intelligi hic debuit.

CAPUT VIII.

Anxietas Interpretum in explicatione horum verſuum. Statuere primos homines creatos ante Adamum, neque officere doctrinæ Chriſtianæ, neque hiſtoriæ Geneſeos: imo utramque elucidare. Congruere omnino cum hiſtoriis & monumentis Gentium.

NEque vero mirum prorſus mihi videtur, quod Interpretes Verſus illos Apoſtoli tractantes, feliciter minus elucidaverint. Angebantur enim undique in explicatione hujus

loci, uſque ad Legem. *Vel enim Lex illa intelligenda erat de lege data Moſi, vel de lege data Adamo. Si lex illa intelligebatur de lege data Moſi: aſſerendum erat, peccatum fuiſſe in mundo, ante Moſem & uſque ad Moſem ; peccatum vero per illud tempus non fuiſſe imputatum. Si lex illa intelligebatur de lege data Adamo: ſtatuendum erat, peccatum fuiſſe in mundo ante Adamum, & uſq; ad Adamum: peccatum vero ante Adamum non fuiſſe imputatum. Ponendi ergo erant alii homines ante Adamum, qui quidem peccaviſſent, ſed qui non peccaviſſent imputative ; quia ante legem peccata non imputabantur. Inter utrumque incommodum poſiti Interpretes, dubitabant, neque plane ſciebant quo ſe verterent. Quia verò minus grave apparebat aſſererè, peccata non fuiſſe imputata ante Moſem & uſque ad Moſem ; quam ſtatuere alios homines fuiſſe vel creatos vel genitos ante Adamum : poſt habuerunt illi ſecundum incommodum primo. Rejecerunt Interpretes fabuloſos illos homines, qui Adamum præceſſiſſe credendi erant: & ſibi alios acciverunt qui non peccaviſſent imputative ante Moſem.*

Verum, ſi licet per Dominos & Magiſtros meos, Doctores orthodoxos ; penes quos jus eſt ſummum inquirendi & ſtatuendi de Theologicis, & quorum judicio, me, meaque omnia, obſequenti & cæca religione devoveo : experiar num facilior accommodetur his verſibus explicatio, ſi dicimus, illud uſque ad Legem, *intelligendum eſſe de Lege data Adamo.*

Non

Non inficior, quin primo obtutu ſtatuere primos homines ante Adamum conditos, præter communem Theologorum omnium ſententiam, conturbare videatur conſcientias, non in tranquillo illas collocare. Exhorreſcent ſcilicet & refugient, non dicam dictu, ſed cogitatu, quotquot ſunt religioſæ vetuſtati addicti. Neque rurſus illud me latuit, quam male multatus fuerit ille apud veteres, qui demonſtrabat, homines eſſe Antipodas, & hemiſphæria ad diametros noſtri Orbis oppoſita. Metuendum nempe mihi fuiſſet temporibus illis antiquis & rigidis; neque felicius mihi ceſſiſſet nova tempora cogitanti, quam infeliciter ceſſerat novo illi Coſmographo, novos Mundos indaganti. At certe, nunc non eſt ut & olim fuit. Melioribus natus ſeculis & auſpiciis, Deum veneror ut talem avertat invidiam: & tam benigne accipiantur quæ cogitavi ſuper his, quam ſincere, & ingenue, & exercitationis cauſa hic à me exhibentur.

Primum ergo, & præfiſcine dicam: eo me lubentius animum appuliſſe ad inveſtigandos alios homines ante Adamum creatos; quod putavi nullum hinc poſſe oriri incommodum fidei quæ eſt ex Euangelio. Idem enim fore concepi fatum poſitionis hujus apud Theologos, quale eſt celeberrimæ quæſtionis de motu terræ apud Aſtronomos. Sive enim cœlos credimus circumagi, ſive terram exiſtimamus ſubverti; ſuccedunt nihilo minus vice perpetua, & dies nocti, & diei nox: revolvuntur itidem ſtatis & præſcriptis temporibus, tempeſtates quæque anni: ſegetes florent vere, quæ æſtate ma-

turæ ſiunt; ſpumant vina autumno; quæ hieme defæcantur. Pari eventu ſive credimus Adamum fuiſſe creatum ſolum, & primum omnium hominum; ſive ponimus alios homines ante Adamum fuiſſe genitos: ſtabit ſemper ſuo loco, & ſuis myſteriis religio omnis Chriſtiana. Summa enim & fundamentum redemptionis noſtræ, quæ Religio Chriſtiana eſt, in eo conſiſtit; ut credamus homines omnes damnatos in Adamo, innocentes probatos in Chriſto. Quemadmodum autem non neceſſe erat, Ieſum Chriſtum fuiſſe ultimum omnium hominum, qui aulæa Mundi tolleret, ut Mundum & homines omnes abſolveret: ita neque neceſſe erat Adamum fuiſſe primum omnium hominum, qui Mundi proſcenia iniret, ut Mundum & omnes homines condemnaret. Manent ergo ſuis locis, primus Adamus & ſecundus Adamus: remanet ſemper inter Adamum & Chriſtum, typus ille ſanctus circa quem redemptio noſtra, & doctrina omnis Chriſtiana reciprocantur; etſi dicimus primos homines fuiſſe creatos ante Adamum.

Imò certe, ut perfectior conſtituatur antitypus inter Adamum & Chriſtum; commodius multo erit aſſerere, Adamum non fuiſſe primum omnium hominum, qua ratione Chriſtus non fuit ultimus omnium hominum. Commodius inquam erit aſſerere, imputationem ex peccato Adami (ſecundum quam culpæ Adamicæ rei facti ſumus) retroactam fuiſſe in illos homines qui Adamum præceſſerunt; qua ratione imputatio abſolutionis quæ eſt in Chriſto (ſecundum quam labe peccati Adamici dilui-

diluimur) retroacta eſt in illos homines qui Chriſtum praceſſerunt. Minus ergo perfecte conſtitueretur Adamus antitypus *Chriſti, ſi poneretur primus omnium hominum: neque eadem converteretur reciprocatio imputationis ex peccato Adami, cum imputatione abſolutionis in Chriſto; niſi retroageretur peccatum Adami in primavos homines ante Adamum, quemadmodum retroacta eſt abſolutio Chriſti de peccato illo in primavos homines ante Chriſtum.*

Opinione, ut ſape fit, & vulgato magis conſenſu, quam exquiſita veritate credi videtur, Adamum fuiſſe primum omnium hominum qui in luminis oras prodierunt. Illud enim neque dicunt uſquam, neque intelligunt ſacra & canonica pagina. Imo è contra, colligitur ex iiſdem, quod probare in promptu erit; alios homines Adamum anteceſſiſſe.

Adde, quod expoſitione hac, qua ſtatuit primos homines ante Adamum creatos, clarior multo apparet hiſtoria Geneſeos. Conciliatur eadem cum ſe ipſa. Conciliatur item miris modis cum monumentis omnibus prophanis, ſive antiquis ſive recentioribus; Chaldais puta, Ægyptiis, Scythis, & Sinenſibus. Conciliatur vetuſtiſſima rerum creatio, qua exponitur capite primo Geneſeos, cum hominibus Mexicanis quos non ita diu Columbus penetravit. Conciliatur eadem cum hominibus illis Auſtralibus & Septentrionalibus, qui nondum cogniti ſunt. Quos omnes, ſicut & illos prima & vetuſtiſſima creationis rerum, qua enarratur cap. 1.

Geneſeos;probabile eſt creatos fuiſſe cum terra ipſa in terris omnibus, neque ab Adamo propagatos.

Per hanc rurſus poſitionem, conciliatur fides cum recta ratione, quæ non patitur ut ſtatuamus Mundum natum his initiis, à quibus ſecundum Heſiodi computum, vix dimidia corvi unius ætas confecta eſt. Conciliantur demum hoc poſito, quæ videntur contraria verſibus his Apoſtoli, de peccato originis, in quo recumbit doctrina omnis Chriſtiana; quod eſt maxime inſtituti noſtri. Differam in alium tempus probationes illas, quæ pro hac hypotheſi peti poſſunt, tum ex hiſtoria Geneſeos, tum ex hiſtoriis Gentium, tum & nupere luſtratis terrarum populis. Quod vero inſtat peragam, & totus inſiſtam Verſibus his Apoſtoli, quos hinc explicare incipiam.

CAPUT IX.

Textus Apoſtoli. Analyſis verſus duodecimi. De imputatione peccati, & de regno mortis.

VErſus XII. Sicut per unum hominem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors: ita etiam in omnes homines mors pervaſit, in quo omnes peccaverunt.

XIII. Nam uſque ad legem peccatum erat in Mundo. Peccatum vero non imputabatur, non exſiſtente lege.

XIV. Regnavit autem mors ab Adamo uſque ad Moſem: In eos etiam qui non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami.

HI VERSUS *explicari mihi videntur commodiſſime hoc modo.* Sicut

Sicut per unum hominem. *Per Adamum qui tranſgreſſus eſt legem Dei : ſive per tranſgreſſionem legis quam Adamus violavit.*

Peccatum intravit in mundum. *Ortum & natum eſt peccatum, originem accepit ; ſive quod idem eſt, intravit in mundum, à tranſgreſſione legis quam Deus dederat Adamo. Peccavit enim Adamus ex quo violavit interdictam arborem, & ex quo tranſgreſſus eſt legem quam Deus illi dederat.*

Et per peccatum mors. *Intravit mors in mundum per peccatum,qua ratione peccatum intravit in mundum, per violatam legem ab uno illo homine Adamo.*

Ita etiam mors in omnes homines pervaſit, in quo omnes peccaverunt. *Pervaſit mors in omnes homines, per eundem hominem per quem omnes peccaverunt. Quæ vero proxime dixerat Apoſtolus*, Intravit peccatum in mundum, & per peccatum mors : *erant ſatis ad demonſtrandum introitum peccati & mortis in mundum ; ad demonſtrandam item relationem quæ eſt inter peccatum & mortem ; ut poſito peccato, mors neceſſario poneretur & ſequeretur. Verum, ut plenius ſignificaret introitum illum, & totam relationem adimpleret, convertere voluit propoſitionem Apoſtolus : ut quemadmodum poſito peccato, ponitur & ſequitur mors ; ita etiam reciproce, poſita morte inferretur neceſſario peccatum.*

CAPUT X.

Analyſis verſus decimi tertii. Legem hic intelligendam, datam Adamo. Aſſeritur vulgata lectio.

Sequitur verſus XIII. Nam uſque ad legem peccatum erat in mundo. *Vſque ad legem : intellige legem Dei datam uni illi homini Adamo : per ea quam jam dicta ſunt, & quæ dicentur inferius. Vſque ad legem inquam illam, peccatum erat in mundo. Adde vero, vel ſubaudi: Et per peccatum, mors etiam erat in mundo. Voluit ſcilicet Apoſtolus, peccatum & mortem fuiſſe in mundo, uſque ad legem Dei; ſive uſque ad tranſgreſſionem legis illius divinæ, quam unus homo ille Adamus violavit : Nullum jus tamen habuiſſe in mundo, ut illius dominium & poſſeſſionem invaderent, & in illo tyrannidem occuparent. Rationem reddidit hanc : quia* Peccatum non imputabatur non exiſtente lege. *Quod idem eſt atque ſi dixiſſet Apoſtolus. Ante legem Dei, ſive uſque ad legem illam Dei quam violavit homo ille Adamus, peccatum & mors erant in mundo: nullum jus tamen in eo uſurpaverant, nulla eis erat in poſſeſſione mundi legitima collocatio, nullum ejus legitimum dominium. Ratio eſt, quia ante illud tempus lex nulla data erat à Deo. Lex enim Dei ſola illa fuit, cujus tranſgreſſio peccati imputationem effecit, & mortis regnum conſtituit: quæ reatum induxit peccato, & mortem inſtituit pœnam iſtius reatus: quæ peccatum fecit imputatum, mortem ulciſcentem & regnantem.*

Legen-

Legendum vero eſt hoc loco : Peccatum non imputabatur ; *quamvis recentiores verſiones habeant*, Peccatum non imputatur. *Vetus enim & vulgata verſio legit expreſſim*, Imputabatur. *Et veriſimiliter oportuit veteres Græcos codices ita conceptos fuiſſe*, Ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖτο μὴ ὄντος νόμου. *Incuria vero Notariorum, qui primum pedem literæ* μ, *adverbii* μὴ, *continua ſerie ſcripſerant cum verbo* ἐλλογεῖτο : *reliquum vero literæ ejuſdem* μ, *longiuſcule, & disjunctum à primo pede : accidiſſe ut* ἐλλογεῖτοι *primum corruptius, deinde* ἐλλογεῖται *repoſitum fuerit : quamvis vere ſcribendum fuiſſet* ἐλλογεῖτο : *quod poſtulat brevior & genuina magis hujus loci ſententia.*

Vtrumque certe ut idem ſignificans, potuit legi impune ; & utrumque ſemper erit hoc loco ſubaudiendum, ſive ἐλλογεῖται *ſive* ἐλλογεῖτο *ſcribatur. Poſito unum alterum conſequetur. Scribatur enim primo*, Imputatur. *Poſita hac præmiſſa :* Peccatum non imputatur non exiſtente lege : *elicienda ſemper erit hæc concluſio.* Ergo ante legem, vel uſque ad legem, peccatum non imputabatur. *Scribatur rurſus*, Imputabatur *: ut fiat hic ſenſus : Ante legem, vel uſque ad legem, peccatum erat in mundo; ſed peccatum tunc temporis non imputabatur. Ratio erit ſubaudienda, quam ſuppreſſit Apoſtolus, orator elegans :* Quia peccatum non imputatur non exiſtente lege. *Verius ergo, ut brevius & elegantius, legendum eſt hoc loco*, Imputabatur, *non* Imputatur.

CAPVT XI.

Analyſis verſus decimiquarti. De regno mortis ab Adamo uſque ad Moſem. Moſem hic ſumi pro lege data Moſi.

ADdit *Apoſtolus verſu decimoquarto*. Sed regnavit mors ab Adamo, uſque ad Moſem. *Regnavit mors: per imputationem peccati. Regnare incepit mors per imputationem peccati: qua ratione imputari cœpit peccatum, per tranſgreſſionem legis Dei. Ante legem Dei, & antequam Adamus temeraſſet legem Dei; peccatum erat in mundo, ſed non imputabatur. Ante Adamum, & ante legem Dei; mors erat in mundo, ſed non regnabat. Superiori verſu & hoc, ut patet, promiſcue ſumuntur, & idem ſunt quoad tempus, Lex & Adamus. Lex enim Dei data fuit primum, & primo omnium hominum Adamo: & mors regnavit ab Adamo, ratione illa tantum qua lex Dei violata eſt ab Adamo.*

Vſque ad Moſem. *Regnavit mors ab Adamo: id eſt, à momento illo quo Adamus tranſgreſſus eſt legem Dei: uſque ad Moſem: id eſt uſque ad legem Dei datam Moſi; & quamdiu lex illa Dei data Moſi viguit. Moſes enim ſumitur hoc loci, pro lege data Moſi; quemadmodum ſumptus eſt Adamus, pro lege data Adamo. Ita quando in divinis ſcriptis, Deus vocat populum ſuum Iudaicum*, filium ſuum Iacob, *ſive Iſraël: intelligit Deus Iudæos, non filios carnis, ſed filios promiſſionis. Et Iacob ſumitur locis illis, pro promiſſionibus*

quas

quas Deus fecerat patribus Iudæorum. Ita paſſim apud humaniores auctores, Decemviri ſumuntur pro legibus duodecim tabularum. Sic in jure vulgare eſt, Ait Prætor. *Vbi Prætor ſumitur pro legibus remiſſioris juris, quas Prætores olim edixerant. Pari ratione Moſes, eſt lex Moſaica. Voluit autem Apoſtolus, mortem regnaviſſe ab Adamo, ſive à lege Adamica; uſque ad Moſem, ſive uſque ad legem Moſaicam. Imo quamdiu lex Moſaica obtinuit. Vel clarius, uſque ad adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti: cujus mors utriuſque legis fuit conſummatio, & data Adamo, & data Moſi.*

Lex data Adamo, tanquam generaliſſima, & prima legum divinarum, indicta omni generi humano; illa fuit, cujus tranſgreſſione peccatum, & per peccatum mors, intraverunt in mundum, & pervaſerunt in omnes homines: qua peccatum imputari, mors regnare cœpit in omnes homines. Lex data Moſi, appendix fuit legis illius generaliſſimæ, ad particularem uſum Iudæorum. Chriſtus autem moriens ſuſtulit imputationem peccati, à violata prima illa lege in mundum invectam; & legem Moſis, quam Iudæus & ipſe Chriſtus obſervaverat, antiquavit. Qua ratione vero, ſublata cauſa tollitur effectus; eadem Chriſtus legi in genere obtemperans, & morte ſua tranſgreſſionem legis expians; tollens imputationem peccati quæ erat per tranſgreſſionem legis, ſuſtulit regnum mortis quod erat per illam peccati imputationem. Ita ut à morte Chriſti tantum

deſierit regnum illud mortis, quod inceperat à peccato Adami.

CAPVT XII.

Duo tempora notari ab Apoſtolo. Vnum, à lege. Alterum, ante legem. Sive quod idem eſt. Vnum, ab Adamo. Alterum, ante Adamum.

Patet ex prædictis, Apoſtolum poſuiſſe hoc loci duo tempora. Vnum, quo peccatum & mors primitus intraverunt in mundum, & pervaſerunt in omnes homines: quo peccatum primitus imputari, mors regnare cœpit. Alterum, quo quidem peccatum & mors erant in mundo, ſed non imputabantur, non regnabant: nullo jure pervaſerant in omnes homines; non vivebant. Peccatum tunc temporis erat mortuum: mors erat mortua, & nullus erat ſepulchri aculeus.

Tempus primum exprimitur his verbis. Per unum hominem peccatum intravit in mundum. Mors in illo pervaſit in omnes homines. *Item;* Regnavit mors ab Adamo. *Tempus ſecundum notatur per hæc verba.* Vſque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum vero non imputabatur non exiſtente lege. *Atque adeo non imputato peccato, non regnabat mors.*

Tempus autem illud primum, quo peccatum primitus imputari, mors regnare cœpit; fuiſſe illud quod incepit ab Adamo, à lege, & tranſgreſſione legis illius quam Adamus violavit, ſive à peccato Adami; patet ex verbis ipſis Apoſtoli, & luce

luce meridiana clarius patet. Peccatum enim Adami illud, fuit omnium peccatorum ut ita dicam, imputatiſſimum: imputatum omni generi humano. Peccatum illud, primum omnium vixit: & recte dictum eſt originale; *quia primum omnium intravit in mundum per Adamum. Verba illa*, intravit in mundum; *quaſi naſcens peccatum, & Adamum quaſi parturientem ſignificant. Sed quo inficientem jugules: Imputatum fuit peccatum ab Adamo, quia* regnavit mors ab Adamo. *Peccatum Adami illud primum omnium regnavit; quia mortem intentavit omnibus hominibus. Ius gladii & mortis inferendæ, ſummæ eſt animadverſionis, & notæ meri imperii. Hac de cauſa uſus eſt Apoſtolus verbo hoc,* regnavit; *ubi dixit,* Regnavit mors ab Adamo. *Et ſignificavit, peccatum & mortem imputari cœpiſſe, vixiſſe, & regnaviſſe ab Adamo; ſive à momento illo quo Adamus legem Dei prætergreſſus eſt.*

Iam vero inveſtigemus tempus illud, quo peccatum, & mors erant in mundo; ſed non imputabantur, non vivebant, non regnabant. Certe, quærendum illud erit ante legem: quod voluit Apoſtolus verbis conceptiſſimis. Vſque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum vero non imputabatur non exiſtente lege. *Vſque ad legem: intellige legem Dei datam Adamo: quæ lex Mundi, & Lex, ſimpliciter & ſola dici potuit: utpote per cujus tranſgreſſionem ſolam peccatum potuit imputari & mors regnare toti mundo. Nequaquam vero intelligenda hic eſt lex data*

Moſi. Vt enim ſupra & fuſe demonſtratum eſt, imputabatur peccatum ante legem datam Moſi; & ex imputatione peccati, regnabat mors ante illam.

Quærendi ergo erunt alii homines ante Adamum, non ante Moſem; quorum neque peccata fuiſſent imputata; neque mors regnans: cum ab Adamo, non à Moſe, imputari peccatum, mors regnare cœperit.

CAPVT XIII.

Creati homines ante Adamum non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami. Legendum hic, *peccaverant*, non *peccaverunt*.

A*Djuvat inveſtigationem hanc quod proxime ſequitur. Regnavit mors ab Adamo, &c.* in eos etiam qui non peccaverant ad tranſgreſſionis Adami ſimilitudinem. *Notanda vero ſunt curioſe verba illa:* In eos etiam qui non peccaverant. ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας. τὸ ἁμαρτήσαντας, τὸ peccaverant; *denotat tempus præcedens, Græcis ἀόριστον, latinis indeterminatum: præcedens inquam definitum illud tempus ab Adamo, à quo peccatum intravit in mundum. Denotat homines qui peccaverant ante Adamum, ſed non ad tranſgreſſionis Adami ſimilitudinem. Peccaverant quidem primi illi homines ante Adamum conditi, ſed nullius in legem Dei admiſſæ fraudis rei erant: ad ſimilitudinem Adami, qui primam fraudem legi Dei fecit. Nulla enim erat promulgata lex Dei ante Adamum:*

at-

atque adeo non exiſtente lege Dei, nullum erat illorum hominum peccatum; quia non erat imputatum, quale fuit peccatum Adami.

Vulgata verſio legit hoc loco, Peccaverunt, *non* Peccaverant. *Vt fieret vulgatus ille ſenſus: mortem regnaviſſe ab Adamo in Adami poſteros; qui in illo, & ab illo, peccaverunt: ſive peccaviſſent ad tranſgreſſionis Adami ſimilitudinem, ſive non peccaviſſent ad illam ſimilitudinem. Quod ſi ita eſſet, nihil hic novi portaviſſet Apoſtolus. Quis enim neſcit mortem regnaviſſe ab Adamo, in omnes Adami poſteros qui in illo peccaverunt?*

Verum inquiunt Interpretes: nihil hic vulgare vel jejunum attulit Apoſtolus; quando dixit mortem regnaviſſe ab Adamo, uſque ad Moſem, etiam in eos qui non peccaverunt ad tranſgreſſionis Adami ſimilitudinem. *Quippe qui intellexerit mortem regnaviſſe in Infantes, qui non peccaverunt ad tranſgreſſionis Adami ſimilitudinem; quia non peccaverunt actualiter, quemadmodum Adamus peccavit.*

Refutavi hæc pluribus ſupra: & nullam hic cramben recoquere in animo eſt. Sed ne in illis deinceps vel minimus ſuperſit ſcrupus, probandum eſt: Peccaviſſe actualiter qua Adamus peccavit, non fuiſſe peccare ad hanc peccati ſive tranſgreſſionis Adami ſimilitudinem, de qua hic egit Apoſtolus. Evincendum inſuper & hoc: Infantes Adami poſteros, peccaviſſe actualiter ad hanc veram tranſgreſſionis Adami ſimilitudinem.

CAPUT XIV.

Peccatum dari materiale & formale: non imputatum, & imputatum. Similitudinem tranſgreſſionis Adami poſitam, in imputatione, non actu, tranſgreſſionis ejus.

VTrumque autem brevi methodo abſolvam, ſi licet uti verbis Scholæ, diſtinguendo peccatum in materiale & formale. Peccatum materiale voco illud, quod manat à natura noſtra, à materia, à carne, & ſenſibus noſtris. Peccatum formale illud, quod manavit à lege, cujus tranſgreſſione peccatum formam imputationis accepit.

Latini nomen peccati mutuati ſunt à pecore. Quoties enim homo delirat à recta ratione illa quæ hominem conſtituit: quoties impulſu materiæ ſuæ quam habet communem cum brutis, quid agit dignum pecore & indignum homine; toties cadere videtur à ſpecie ſua, & incidere in ſpeciem pecoris ſive bruti. Quicquid enim fit ab homine, vel incuria numinis, vel ira, vel libidine, vel aliquo alio appetitu; commune ei eſt cum pecudibus quas natura finxit ad terram pronas, neque ad cœlum converſas. Communis eſt homini cum brutis, rapacitas, ſitis effera ſanguinis; communes inceſtæ nuptiæ, libidinoſæ illæ nefandarum venerum prurigines, & cætera de genere hoc, quæ leges Gentium naturali ſuo illo rectæ rationis ductu coërcuerunt: caverunt ſcilicet, ut quà poſſent homines, ſtarent in ſuo gradu, in ſua ſpecie, nec declinarent in bruta.

Deus

Deus autem quid egerat ſublimius cum homine. Voluerat ut homo qui pronis ſenſibus, & inclinante materia vergebat in brutum; vi ſpiritus & formæ ſuæ elevaretur in Deum: ut eſſentiæ quodammodo, ſicut imaginis divinæ, fieret particeps. Legem ergo illi dederat qua id poſſet, ſi eam obſervaret: & ei imputaretur ſi violando legem illam, non aſcenderet ad ſublimem illum ſtatum, & ad gradum illum gloriæ quem Deus illi adornaverat. Ex quo igitur legem illam tranſgreſſus eſt Adamus, eo nomine quo gerebat perſonam totius generis humani: peccatum quod per ſe & materialiter, abſque lege Dei, non imputabatur; à lege Dei, vel à tranſgreſſione legis illius, cœpit formaliter imputari. Peccatum quod erat peccans ſimpliciter & materialiter ante legem, factum fuit peccans καθ' ὑπερβολὴν, *ut loquitur Apoſtolus, capite 7. hujus epiſtolæ, verſ. 13. forma ſuperveniente, vel adventu legis; ſive per imputationem violatæ legis. Et hoc eſt verum peccatum formale quod peccavit Adamus, quod peccaverunt omnes homines in Adamo. Vnde manifeſto conſtat, potuiſſe ante Adamum peccari actualiter quoad materiam, quemadmodum Adamus peccavit: non autem quoad formam & imputationem peccati: quæ eſt vera ſimilitudo transgreſſionis Adami, de qua hic agitur. Ratio eſt, quia ante legem non imputabatur peccatum.* Vbi non eſt lex, *inquit Apoſtolus capit. 4. hujus epiſtolæ,* neque prævaricatio eſt. *Prævaricatio autem eadem eſt, quæ tranſgreſſio legis: illa ipſa pro-*

proprie qua peccatum imputationis labe infecit.

Quod ut compingatur in oculos: pecudes actualiter & materialiter eadem faciunt, quæ transgrediuntur homines; inceſtant, rapiunt, occidunt: nec erit tamen uſpiam adeo ſupinus qui dicat, pecudes peccare ad ſimilitudinem tranſgreſſionis hominum: quia pecudes quæ hæc peccant, ſequuntur tantum ſuam naturam, & ſuam materiam; neque legum tranſgrediuntur ullam, quia nulla eis data eſt cujus tranſgreſſione formetur in eis & imputetur peccatum. Peccaviſſe igitur actualiter quemadmodum Adamus peccavit, non fuit peccaviſſe ad ſimilitudinem illam tranſgreſſionis Adami, de qua hic loquitur Apoſtolus.

Hinc probare erit facile, Infantes peccaviſſe actualiter, ut ita dicam, ad illam ſimilitudinem. Nam ſi non peccaverunt infantes ut adulti peccant, quoad materiam, quia non habent actu æque vegetam: peccaverunt certe æque actualiter quoad formam, & quoad imputationem peccati. Actualiter enim imputatum fuit peccatum Adami infantibus ut adultis; & actualiter mortui ſunt infantes ut adulti, propter illud peccatum Adami, quod eis imputatum fuit. Quæ eſt vera ſimilitudo tranſgreſſionis Adami, de qua hic agitur. Peccaviſſe igitur Infantes actualiter cenſendum eſt, ad tranſgreſſionis Adami ſimilitudinem illam quam intellexit hoc loco Apoſtolus.

C A-

CAPVT XV.

Quæ ſit vera ſimilitudo tranſgreſſionis Adami, per Oſeam Prophetam.

SEd omiſſis diſtinctionibus Logicis; videamus manifeſtiſſime quæ fuerit ſimilitudo illa peccati Adamici, per Oſeam Prophetam, capite 6. verſu 7. Qui locus unicus occurrit in bibliis ſacris, ubi explicatur præciſe & lucide; quid fuerit peccare ad ſimilitudinem peccati ſive tranſgreſſionis Adami.

Objurgans Deus eo loci Iudæos, quod rupiſſent pactum ejus, ſive quod egreſſi eſſent legem quam dederat Moſi Dominus, hæc ait. Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum meum. *Quod idem eſt atque ſi dixiſſet Deus; Peccaverunt Iudæi ſicut Adamus peccavit: vel quod perinde eſt, peccaverunt Iudæi ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami. Quare? Quia tranſgreſſi ſunt Iudæi pactum meum, ſive legem meam; ſicut, vel eadem ſimilitudine, qua tranſgreſſus eſt Adamus pactum meum, ſive legem meam. Quia tranſgreſſi ſunt Iudæi pactum meum, quod in Moſe cum Iudæis pepigeram; ſive legem meam quam dederam Iudæis in Moſe: ſicut, vel eadem ſimilitudine, qua tranſgreſſus eſt Adamus pactum meum, quod in Adamo cum omnibus hominibus pepigeram; ſive legem meam quam dederam omnibus hominibus in Adamo.*

Patet hinc perſpicue, longé ante Moſem pactum Dei fuiſſe conventum cum Adamo; ſive legem Dei

Dei primam indictam fuiſſe Adamo. Quod pactum, ſive quam legem Dei, primus omnium hominum reſcindens & evertens Adamus; quicunque homines trangreſſi ſunt alia pacta; ſive alias leges Dei: dicti ſunt homines illi peccaviſſe ſicut Adamus peccavit: *vel quod idem eſt, dicti ſunt peccaviſſe* ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami.

Concluditur hinc tandem: peccaviſſe ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami; fuiſſe transgredi pactum, transgredi legem Dei; ſicut Adam tranſgreſſus eſt pactum, tranſgreſſus eſt legem Dei. Ergo non peccaviſſe ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, fuiſſe, nullum pactum Dei rupiſſe, nullam Dei legem perfregiſſe: quales illi homines non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, de quibus hoc loco D. Paulus: quibuſcum Deus nihil pepigerat: quibus nullam legem Deus indixerat: qui peccaverant ante legem Dei: qui nullo jure, qui nullo pacto divino tenebantur: qui non peccaverant imputative, quia ante legem peccata non imputabantur. Ante legem inquam illam quam Deus dedit Adamo: à quo peccatum cæpit imputari, quia lex ab illo cæpit eſſe.

CAPUT XVI.

Neminem potuiſſe unquam peccare actualiter ſicut Adam peccavit. Infantes verius peccaviſſe ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami quam adultos. Legem Moſaicam expreſſam ad ſimilitudinem legis Adamicæ. Legem Adamicam hoc loco intelliligendam.

NOtanda porro ſunt ex hoc loco Oſeæ Prophetæ. Primum. Neminem unquam mortalium, vel adultum, potuiſſe, proprie loquendo, peccare actualiter ſicut Adam peccavit. Ratio in promptu eſt: quia arbor ſcientiæ boni & mali evanuit ex oculis omnium hominum, ex quo Adamus Paradiſo ejectus eſt. Ita ut impoſſibile fuerit ulli unquam mortalium vel adulto, carpere fructum illum vetitum quem Adamus comedit. Atqui, non alia ratione credendi ſunt homines peccaviſſe in Adamo quam illa; qua cenſentur omnes comediſſe fructum illum vetitum quem Adamus comedit. Ergo ſi non credendi ſunt comediſſe fructum illum vetitum actualiter, ſicut Adam illum comedit; neque cenſendi ſunt peccaviſſe actualiter ſicut Adam peccavit. Reſtat igitur ut credantur omnes homines qui peccaverunt in Adamo, peccaviſſe ad ſimilitudinem peccati Adamici. Credantur inquam Gentiles; quibus lex Dei nunquam innotuit, peccaviſſe per imputationem iſtius peccati; qua cenſentur peccaviſſe, non actu, ſed ſimilitudine manducati fructus prohibiti, & violatæ legis ab Adamo. Credantur porro Iu-

dæi quibus lex Dei nota fuit;peccaviſſe ſecundum eandem ſimilitudinem, dupliciter: primo, quatenus tranſgreſſio Adami imputata eis fuit, æquè ut Gentilibus: Secundo, quatenus & ipſi transgreſſi ſunt legem Dei quam noverunt; ſicut Adamus pater eorum primus, tranſgreſſus eſt legem Dei quam & ipſe noverat. Et hoc eſt proprie quod voluit Oſeas hoc loco, Iudæos peccaviſſe ſicut Adamus pater eorum primus peccaverat.

Labitur hinc rurſus in cineres quod ad hunc locum D. Pauli attulerunt Interpretes, ubi voluerunt adultos peccaviſſe ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami, quia peccaverant actualiter quemadmodum Adamus peccaverat. Ex eo enim quo cenſentur adulti peccaviſſe actu peccatum Adami, non amplius cenſeri potuerunt peccaviſſe ad ſimilitudinem peccati illius: quia plus eſt peccare actu, quam ad ſimilitudinem; ratione illa, qua actus qui eſt veritas rei, plus eſt quàm ſimilitudo quæ eſt imago rei. Imo infantes verius cenſendi eſſent, ſecundum Interpretes, peccaviſſe ad ſimilitudinem peccati Adamici, quam adulti. Certiſſimum enim eſt infantes peccaviſſe in Adamo. At nullo alio pacto potuit quis peccare in Adamo; quam vel actu, quod peccavit Adamus, & peccaverunt adulti ſecundum Interpretes; vel ad ſimilitudinem iſtius peccati. Atqui infantes non peccaverunt actu peccatum Adami, ſecundum Interpretes. Peccaverint ergo neceſſe eſt, ſecundum Interpretes, ad peccati illius ſimilitudinem.

Notandum inſuper eſt, eandem eſſe rationem legis

legis ad legem, quæ peccati ad peccatum quod manavit à tranſgreſſione ſuæ legis. Ac proinde, ſi peccatum Iudæorum eſt ſimilitudo peccati Adamici: conſequi hinc, legem Moſaicam, quæ peccato Iudæorum cauſam præbuit, ſimilitudinem fuiſſe legis illius quæ peccatum Adami fecit. Atque adeo legem Moſaicam, neque primariam neque originalem dicendam; ſed ſecundariam ad ſimilitudinem primariæ & originalis Adamicæ expreſſam.

Notandum ultimo eſt: legem Moſaicam ſubaudiendam eſſe, ubi agitur de peccato Iudæorum: legem vero Adamicam intelligendam, ubi agitur de peccato illo originali quod tranſiit in omnes homines, Iudæos & Gentiles, ex peccato Adami. Atqui egit hoc loco Apoſtolus de peccato illo originali. Ergo & intellexit hoc loco legem Adamicam, non Moſaicam.

CAPUT XVII.

Peccata facta apte legem, neque imputata, neque facta ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami. Peccata facta poſt legem, imputata, & facta ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami. De peccato mortuo, & vivis hominibus ante legem & Adamum.

NOtandum præterea eſt diligentiſſime; nullam aliam his verſibus, & toto hoc capite, ſive diſtinctionem, ſive differentiam, ſive diſſimilitudinem peccatorum, vel poſuiſſe vel intellexiſſe Apoſtolum; præter illam quæ eſt inter peccata imputata, & peccata non imputata; inter peccata

cata facta poſt legem, & peccata facta ante legem. Peccata facta poſt legem, imputata: peccata facta ante legem, non imputata. Peccata facta poſt legem datam Adamo, imputata: peccata facta ante legem datam Adamo, non imputata. Peccata imputata poſt legem datam Adamo, facta ad ſimilitudinem peccati Adamici, à quo lex cœpit eſſe. Homines ergo qui non peccaverant ad ſimilitudinem peccati Adamici, eos fuiſſe qui peccaverant ante legem & Adamum: ſed quorum peccata non imputata fuerant, quia ante legem peccata non imputabantur.

Peccata eorum erant mortua ante legem. Quod voluit Apoſtolus infra capite 7. hujus epiſtolæ, verſu 9. Abſque lege (*vel ante legem, quod idem eſt*) peccatum erat mortuum. *Id eſt, non vivebat ante legem peccatum: nondum natum erat: nondum originem acceperat: nondum intraverat in mundum: nondum exierat in oras luminis: nondum erat dictum originale. Ergo neque factum erat ad ſimilitudinem peccati Adamici: quia peccatum illud Adamicum factum fuit à lege data Adamo, & poſt legem ei datam: quia vixit peccatum ab Adamo: quia intravit in mundum per Adamum: quia originem accepit, & dictum eſt* Originale, *ab Adamo. A quo deinceps Adamo quicunque peccaverunt homines, dicti ſunt peccaviſſe ad ſimilitudinem peccati Adamici: peccati ſcilicet vivi, & originalis, quod fuit à lege, & poſt legem: non autem ad ſimilitudinem peccati mortui, quod erat abſque lege, & ante legem.*

Ego

Ego vero vivus abſque lege quondam. *Subjunxit Apoſtolus loco eodem. Id eſt; Ego vero non mortuus abſque lege, vel ante legem. Quemadmodum enim peccatum vocaverat mortuum, quod nondum natum erat: ſimili argumento vivos homines abſque lege & ante legem vocavit Apoſtolus, qui non moriebantur propter imputationem prætergreſſæ legis. Dixit Apoſtolus vivos illos homines, apud quos peccatum erat mortuum: qua ratione mortuos homines ille idem alias pronunciavit, apud quos peccatum vixit.*

Introduxit autem hoc loco D. Paulus hominem loquentem abſque lege, & ante legem: conſtitutum haud dubie ſub ſtatu illo naturæ, quem diximus præceſſiſſe ſtatum legis. Nam de ſe ſolo locutum hic Apoſtolum, nec veriſimile eſt; cum lex utraq; & Adami & Moſis, fuerit longe ante illum: neq; dici poſſit vixiſſe illum unquam abſque lege.

Introduxit inquam hominem loquentem, quondam, *ποτὲ, indefinite, abſque lege, & ante legem. Ergo ante Adamum, cum definite lex data fuerit Adamo.*

CAPUT XVIII.

Introducitur vivus homo abſque lege, vel ante legem & Adamum, loquens ſecundum mentem D. Pauli.

INtroducamus & nos ad exemplar D. Pauli, hominem eundem Præ-Adamitam, homines Adami poſteros affantem. Fingamuſque illum bifrontem, qui antecedentia Adamum & legem viderit tempora; quique ſequentia Adamum

& legem noverit ſecula. Qui viderit utriuſque ſtatus homines: & ſub ſtatu naturæ creatos, & ſub ſtatu legis poſitos.

O vos! dicet ille, ſub ſtatu legis conſtituti: vos ego alloquor. Attendite & videte; quæ differentia fuerit inter me creatum ante legem, & vos à lege ſive poſt legem progenitos. Vivebam ego quondam ſub ſtatu illo naturæ, qui à veſtris præſentitus, ſed neque dum cognitus fuit. Vivebam inquam ſub ſtatu illo, abſque lege Dei. Et vivebam vita illa naturali tantum, quæ mihi communis erat cum ceteris animantibus. Vivebam abſque cognitione veri illius Dei, qui creavit cœlum & terram. Et vivebam abſque ulla cognitione voluntatis ejus.

Quicquid Dei notum mihi poterat eſſe, manifeſtum mihi erat lumine illo innato, & recta ratione illa quæ mihi à natura indita erat. [a] *Inviſibilia Dei illius intellecta & conſpecta mihi erant, à creatione mundi, & per ea quæ facta erant. Præſumebam Deum illum eſſe, indagine illa naturali quæ non niſi in uno principio creatore conquieſcit: ſed Deum illum non noveram. Incognitus mihi erat tunc temporis Deus ille; qualis idem erat incognitus tempore D. Pauli Athenienſibus.* [b] *Deus ille qui ſe toti naturæ, atque adeo hominibus manifeſtum dederat, per potentiam ſuam, & per mirabilia creationis: abſconderat à me faciem ſuam, & nomen ſuum; nec ſe mihi confeſſus erat, qualem*

[a] Cap. 1. Epiſt. ad Rom.
[b] Actor. cap. 17.

lem ſe deinceps Adamo confeſſus eſt. Homini nempe illi quem ad hoc peculiariter formavit, ut ſe illi communicaret, & notam in illo faceret voluntatem & legem ſuam omnibus hominibus. Cognitio prima veri illius Dei: cognitio prima voluntatis & legis ejus, ab Adamo fuit. Quo momento notum ſe dedit Deus homini illi; ex eo notam fecit homini illi legem ſuam. Et lex Dei cœpit eſſe ab homine illo Adamo, cui primo omnium hominum Deus ſe approbavit, & quem primum allocutus eſt.

Peccabam ego abſque lege, & ante legem illam Dei: ſed non peccabam in Deum; quia nulla adhuc mihi lex Dei nota erat, quæ vetuiſſet peccatum. Remordebat me intrinſecus peccatum meum; quia me, dignitate & excellentia creationis meæ, ſupra omnia animalia poſitum, infra beſtias ipſas traducebat. Pudebat ſcilicet me peccati mei, ante legem Dei; quam non noveram, quia nondum erat: eodem modo quo pudebat Socratem & Catonem peccati ſui, poſt legem illam Dei; ſed quam neque ipſi noverunt. [a] *Accuſabatur & condemnabatur peccatum illud meum, natura ipſa, & me ipſo judice: qua ratione & ipſe mihi ipſi eram quodammodo lex à natura.*

Imo & illud: pigebat me peccati mei quondam: quia præter legem illam naturalem, quæ mecum nata erat, leges itidem aliæ præſcriptæ mihi erant ante legem illam Dei, decretis hominum, jure gentium & civili. Quales deinceps & poſt legem illam Dei, præſcriptæ itidem leges fuerunt, Gentili-

a Cap. 2. Epiſt. ad Rom.

bus illis quos vocatis hominibus; quibus, ſicut & nobis ante legem creatis, lex eadem illa Dei fuit incognita: quales inquam leges præſcriptæ illis fuerunt, vel à Lycurgo, vel à Solone, vel à Decemviris. Nefas quippe mihi erat peccaviſſe in leges illas decretis hominum & judicum meorum mihi præſcriptas: quale nefas erat vel Thracibus, vel Athenienſibus, vel Romanis, peccaviſſe in leges illas ſuas, à Legumlatoribus illis ſuis promulgatas.

Remordebat ergo me peccatum meum, natura ipſa & me ipſo judice. Imo coërcebant peccatum illud meum Judices ad hoc conſtituti, legibus illis ſuis gentium & civilibus. Sed peccatum illud meum mihi non imputabatur à Deo judice, quia Deus legiſlator mihi ignotus erat. Sciebam quid eſſet peccare in leges hominum: neſciebam quid eſſet peccare in legem Dei. Sciebam quid eſſet peccatum, hominibus illud prohibentibus: neſciebam quid eſſet peccatum, Deo illud prohibente. Peccabam in legem naturæ, & in leges illas hominum, gentium puta & civiles, quæ à natura ortæ erant: ſed non peccabam in legem illam Dei, cujus transgreſſio mihi imputaretur à Deo, ſicut imputata fuit Adamo: & cujus imputationis nota fuit illi & poſteris ejus, mori morte: morte inquam regnante & duplici. Non idcirco quod peccabam, moriebar morte; ſicut Adamus deinceps mortuus eſt, quando legem Dei transgreſſus eſt. Non moriebar ego ante legem illam Dei, morte illa regnante & duplici, quæ ſecuta eſt transgreſſionem legis

illius

illius divina, & imputationem peccati Adamici. Mors mea ante legem illam, mihi pure & unice erat naturalis; non regnans, non imputata, non duplex, ut morte morerer. Moriebar, ſed non morte moriebar.

Hæc ita mecum gerebantur ſub ſtatu naturæ, ante legem & Adamum. Vobis autem ſub ſtatu legis conſtitutis; & ab Adamo, vel poſt Adamum genitis, res aliter longe ſe habuit. Peccatum enim illud quod mihi erat ſimpliciter & naturaliter peccatum, ſub natura, ante legem & Adamum: peccatum idem illud à lege & Adamo; vobis cœpit eſſe imputatum & duplex. Peccatum quod mihi erat mortuum, quod non originem acceperat, quod non vivebat: quod cum patrabam, vivebam: ſive quod perinde eſt, propter quod non moriebar morte, ſub natura, ante legem & Adamum: peccatum idem illud, à lege & Adamo, originem accepit, intravit in mundum, & vixit in vobis. Mors qua mihi naturaliter tantum contingebat, ſub natura, ante legem, ante transgreſſionem legis, vel ante peccatum Adami: mors eadem illa, à lege & peccato Adami, cœpit regnare in vos, & imputationis cauſa vobis infligi. Mors mihi erat ſimplex ante legem & Adamum: mors vobis fuit duplex, ex quo cœpit eſſe regnans, à lege & Adamo, propter peccatum Adami.

Quibus omnibus, clarius patet Sole ipſo cum ſudum eſt; quid fuerit non ſolum peccare ad ſimilitudinem transgreſſionis Adamicæ: ſed etiam, quid fuerit mori ad ſimilitudinem mortis Adamicæ.

CAPVT XIX.

Peccatum Adami fuiſſe retro imputatum primis hominibus ante Adamum conditis : & damnationem mortis ex illo peccato, retro regnaviſſe in illos. Qua de cauſa illud fieri debuerit.

Tale vero fuiſſe peccatum Adami dixit Apoſtolus hoc loco, ut retro imputatum fuerit; & mors, ſive damnatio mortis, ex illa peccati imputatione in illos etiam homines retro regnaverit, qui vixerant ſub ſtatu naturæ, non ſub ſtatu legis: qui peccaverant ante legem, atque adeo ante Adamum.

Quod nimirum oportuerat, ratione myſterii ad ſalutem, non ad perniciem eorundem hominum inſtituti. Oportuerat enim primos illos homines, qui peccaverant impune erga Deum ante legem, quia nullius legis divinæ violatæ rei erant, reos fieri in reatu Adami, ut participes fierent ſalutis & gloriæ quæ eſt in Chriſto. Oportuerat primos illos homines peccaviſſe in Adamo, ut ſanctificarentur in Chriſto. Quod ut fuſius eloquar. Oportuerat, ut hominibus illis, ratione & virtute myſterii, cenſeretur retro imputatum peccatum Adami; & cenſeretur mors ſive damnatio mortis, ex illa imputatione peccati in illos retro regnaviſſe; priuſquam mors Chriſti, quæ peccati Adamici fuit expiatio, quæque gloriam ſalutis operatur, retro eis imputaretur: & priuſquam ſalus quæ in Chriſto eſt, quæque vita ipſa eſt immortalis & æterna, retro regnaret in eoſdem, ex illa mortis Chriſti im-

imputatione. Oportuerat ut quibus imputandus eſſet Ieſus Chriſtus, iiſdem prius imputaretur Adamus. Vt quibus imputanda foret mors ſecundi Adami, iiſdem prius imputaretur peccatum primi Adami. Ac demum, quæ virtute myſterii vivere eis daretur in Chriſto; eadem ratione imputationis, cenſerentur prius mortui in Adamo. De quibus veriſſimè potuit illud uſurpari. Periiſſent niſi periiſſent.

CAPVT XX.

Peccata præcedentia, de quibus locutus eſt D. Paulus cap. 3. hujus epiſtolæ; eadem eſſe quæ facta ante legem & Adamum; quia legem & Adamum præceſſerunt.

P*Eccata illa quæ præceſſerunt peccatum Adami, illa eadem fuere, niſi me fallit conjectura, quæ vocavit Apoſtolus ſupra, capite* 3. *hujus epiſtolæ,* Peccata præcedentia: προγεγονότα ἁμαρτήματα, cum ait, Deum propoſuiſſe Ieſum Chriſtum placamentum per fidem in ſanguine ipſius; ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ, prætereundo peccata quæ præceſſerunt. διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων. *Quæ præceſſerunt: ſupple, legem. De quibus peccatis loquitur his noſtris verſibus Apoſtolus. Edixit enim peccata fuiſſe ante legem. At certe, quæ peccata præcedentia ſive antecedentia, intellexiſſet Apoſtolus loco illo capitis tertii, præter illa quæ legem præceſſerunt ſive anteceſſerunt? Ideo dicta commodiſſime* Antecedentia, *quia facta ante le-*

gem. Quæ ſcilicet peccata ab initio nulla & irrita, quia facta ante legem & Adamum, ex poſtfacto Adami convaluerant: quibuſque aſperſa fuerat labes imputationis ex peccato Adami, quam ſanguis Chriſti ablueret. Vel ſecundum mentem & verba Apoſtoli: quæ peccata antecedentia Ieſus Chriſtus placamentum ad hoc propoſitus præteriret & aboleret.

Mihi vero nihil agere videntur, qui volunt, Apoſtolum intellexiſſe hoc loco; Ieſum Chriſtum placamentum ad hoc propoſitum fuiſſe à Deo, ut præteriret peccata antecedentia legem Moſaicam. Tanquam ad hoc propoſitus videretur Ieſus Chriſtus, ut præteriret & deleret peccata facta in legem tantum à Moſe promulgatam; ut ſolum extingueret legem Moſaicam, in quam Iudæi ſoli peccaviſſent: non autem ut maxime præteriret, & præcipue extingueret peccata facta in legem datam Adamo: atque in primis refigeret legem illam, in quam non ſolum Iudæi, ſed homines omnes peccaviſſent. Certe nulla hic res fuit Apoſtolo cum Moſe: tota illi fuit cum Adamo: qua ratione Chriſtus dictus eſt, non ſecundus Moſes, ſed ſecundus Adamus. Neque intellexit Moſem, vel locutus eſt de Moſe hoc loco Apoſtolus, niſi quatenus Iudæorum princeps ille, in cujus legis tranſgreſſione Iudæi ſoli peccaverunt, pependit, originem accepit, & derivatus eſt ab Adamo; non ſolum primo Iudæorum parente, ſed & omnium hominum principe myſtico: nimirum, in quo, vel in cujus tranſgreſſione homines omnes peccaverunt.

Patet

Patet ergo, locum illum capitis tertii, referri debuiſſe ad hos verſus capitis quinti. Et peccata antecedentia de quibus illic egit Apoſtolus, eadem fuiſſe quæ hic intellexit facta ante legem: non imputata per ſe illorum auctoribus, ſed illis myſtice retro imputata ex peccato Adami: ut Ieſus Chriſtus placamentum ad hoc propoſitus, præteriret peccata illa; & gremio illo ſuo, abſolutionis & gratiæ, auctores illorum ſuſciperet.

CAPUT XXI.

Quomodo cenſeri poſſit, peccatum Adami fuiſſe retro imputatum primis hominibus ante Adamum conditis: nec non damnationem mortis ex illo peccato, retro regnaviſſe in illos.

AT inquies. Quomodo cenſeri & cogitari poteſt, homines illos qui Adamum præceſſiſſe intelligendi ſunt, peccaviſſe ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami; & mortem ex tranſgreſſione illa retro regnaviſſe in illos? Satisfaciam huic quomodo, *per alias quæſtiones factas in* quomodo. *Et ſolverit illam qui unam harum ſolvet.*

Quæro è contra. Quomodo per tranſgreſſionem illam Adami, per peccatum illud originale, cenſetur & cogitatur natura omnis corrupta, & labefactata omnis creatio? Quomodo cenſentur & cogitantur peccaviſſe, non dicam Infantes, ſed neque dum etiam nati homines in peccato Adami? Illud enim; Omnes homines peccaverunt in Adamo: *denotat, collective omnes homi-*

nes in ſpecie, & ſpeciem totam peccaviſſe in Adamo : homines ergo omnium temporum & ætatum. Scripta ſunt de morte, eadem quæ de peccato. Mortem in Adamo pervaſiſſe in omnes homines. *Id eſt ; mortem, ex quo Adamùm perculit, pervaſiſſe in omne genus humanum. Ergo in omnem ſpeciem, & in homines omnium temporum. At quomodo cenſendi & cogitandi ſunt decollati in uno hoc homine omnes homines, neque dum etiam nati? Nimirùm intelligendi ſunt primi illi homines ante Adamum conditi, peccaviſſe in Adamo, & damnationem mortis ſubiiſſe in Adamo; ratione eadem qua neque dum etiam nati peccaviſſe in illo putantur, & mortui in illo exiſtimantur.*

Quæro itidem. Quomodo cenſetur & cogitatur peccatum Adami imputatum Gentilibus illis hominibus, qui nati ſunt ab Adamo, ſive poſt Adamum? Quomodo cenſetur mors regnaviſſe in illos ex peccato Adami? Quæro, inquam, quomodo cenſeantur Gentiles illi poſt Adamum geniti, peccaviſſe ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami; & quomodo putentur mortui ad ſimilitudinem mortis Adamicæ? Gentiles inquam illi, quos ex Præ-Adamitarum hypotheſi, non ab Adamo, ſed ab ante Adamum creatis hominibus, oriundo ſtatuo : ad quos neque fando unquam pervenit, vel Deus Adami, vel lex Dei data Adamo, vel peccatum mors Adami; quin neque Adamus ipſe: & quorum idcirco in his imputationibus Adamicis, par omnino & eadem cauſa eſt cum Gentili-
bus

bus ante Adamum conditis; quibus utique, neque Deus ille Adami, neque Adamus ipſe unquam innotuit. Demonſtrabitur autem paulo inferius, non ideo fuiſſe imputatum peccatum Adami, Gentilibus illis poſt Adamum genitis, quatenus illos Adamus genuit. Probabitur enim, non imputari quod manat ex traduce, ſed imputari proprie, quod non materialiter generatur.

CAPUT XXII.

Analyſis continua horum verſuum Apoſtoli.

His ita explicatis, ut magis eluceſcant; eliciamus & contexamus hinc continuam, quam in partes ſecuimus, horum verſuum analyſin: quæ talis erit.

Verſus XII. *Sicut per temeratam legem Dei ab uno homine, peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: ita mors opſonium peccati, & proprium peccati inſeparabile, pervaſit in omnes homines, in hoc peccato, vel homine, in quo omnes peccaverunt. Quemadmodum per illam legis Dei tranſgreſſionem, peccatum imputatum fuit omnibus hominibus: ita mors per illam peccati imputationem, regnavit in omnes homines.*

Verſus XIII. *Certe, antequam lex Dei eſſet, antequam lex Dei eſſet violata; & uſque ad legem Dei, uſque ad legem Dei violatam, peccatum erat in mundo, & legem Dei præcedebat. Sed illud peccatum non erat proprie peccatum; quia peccatum, proprie eſt tranſgreſſio legis Dei: at non exiſtente lege Dei, nullum eſſe cenſebatur peccatum:*

non putabatur, quia non imputabatur. Peccatum tunc temporis cenſebatur tantum, vitium inhærentis & innatæ corruptionis in homine; in carne, in materia & natura hominis corruptioni obnoxia. Mors vero putabatur tantum effectus naturalis corruptionis illius: nondum enim decreta erat contra peccatum, quia lex nulla à Deo lata erat, quæ imputationis notam peccato inuſſiſſet, & peccatum proprie dictum conſtituiſſet. Sed à momento illo quo lex Dei fuit, quo lex Dei violari cœpit; peccatum quod non antea putabatur, exin cœpit imputari: mors quæ antea privatio tantum erat, exin cœpit eſſe quid poſitivum, quid vivens, quid regnans. Mors eadem illa quæ falce inſtructa erat, ut ſecundum ordinem naturæ omnes homines demeteret: gladio armata eſt, ut ſecundum inſtitutum legis, merum imperium in omnes homines agitaret.

Verum inquies; quod eſt illud momentum, à quo lex Dei fuit, à quo lex Dei violata fuit: à quo peccatum imputari, mors regnare cœpit?

Verſus XIV. Regnavit mors ab Adamo. *Regnavit mors ab illa tranſgreſſione legis Dei, quam Adamus perfregit. Regnavit mors ab Adamo, quia imputari cœpit peccatum ab Adamo. Regnavit mors ab Adamo, & pervaſit in omnes homines, ut peccatum Adami, & peccata omnium hominum qui in illo peccaverant, damnatione animadverteret.*

Conſtat de principio; videamus finem iſtius regni. Regnavit mors ab Adamo, uſque ad Moſem.

ſem. *Vel uſque ad legem Moſis, & quamdiu lex Moſis obtinuit. Regnavit mors uſque ad mortem legis Moſaicæ: vel quod idem & clarius eſt; uſque ad adventum & mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui legis fuit conſummatio, peccati & mortis conſumptio. Nulla enim eſt imputatio peccati, nulla eſt damnatio mortis iis qui ſunt in Chriſto.*

Imputatio autem illa tranſgreſſionis Adami tantum valuerat; ut mors quæ ex ejus condemnatione ſequebatur, regnaverit non ſolum in illos, qui deinceps & poſt Adamum peccaverunt, ad morem tranſgreſſionis illius, ad morem peccati imputati: ſed etiam retro regnaverit in eos qui retro peccaverant; non ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adamicæ, ſed ad ſimilitudinem peccati non-imputati, quod erat ante legem illam quam Adamus violavit.

Ille vero Adamus typus erat, ſed typus oppoſitus futuri Adami; id eſt, Ieſu Chriſti. Ille erat primus Adamus: hic ſecundus Adamus. Quemadmodum per illum primum Adamum, peccatum quod erat ex tranſgreſſione legis Dei, intravit in mundum, & per peccatum mors: ita etiam per hunc ſecundum Adamum abſolutio de peccato illo intravit in mundum, ac per illam abſolutionem vita. Quemadmodum in omnes homines mors pervaſit, in illo primo Adamo in quo omnes peccaverunt: ita etiam in omnes homines vita pervaſit, in hoc ſecundo Adamo, in quo omnes peccati Adamici inſontes evaſerunt. Ac demum: quemadmodum mors quæ obtinuit à peccato primi

Adami, regnavit in illos homines qui non peccaverant ad ſimilitudinem peccati imputati; ſed qui peccaverant. ad ſimilitudinem peccatorum antecedentium; id eſt, non imputatorum; qualia erant peccata facta ante legem : Eadem ratione, vita qua obtinuit per gratiam abſolutionis illam, quam generi humano comparavit ſecundus Adamus, regnavit in eoſdem. Sive quod perinde eſt; præteriit & delevit Chriſtus, placamentum ad hoc à Deo propoſitus, peccata illa antecedentia, infecta reatu & imputatione peccati Adamici. Quæ eſt abſoluta comparatio inter utrumque Adamum, primum & ſecundum.

CAPVT XXIII.

Adamum dici primum hominem, qua ratione Chriſtus ſecundus homo eſt.

O*Bjicitur, Adamum vulgo dici primum hominem. Sed facile erit reſponſum, ſi dicimus, Adamum eſſe primum hominem, qua ratione Chriſtus dicitur & eſt ſecundus homo. Relative nimirum & typice dicuntur invicem Adamus & Chriſtus; ille primus homo, hic ſecundus homo. Notandum porro illud eſt curioſius quod alias tetigi, & identidem inculcandum mihi eſt. Adamum & Chriſtum propoſitos eſſe hominibus, tanquam duos oppoſitos imputationum terminos : unum, damnationis propter crimen : alterum, purgationis de crimine : ambos, qui homines omnes imputationibus ſuis involverint : homines, inquam, præteritos & futuros: & qui retro longiſſi-*

longiſſime ante illos creati erant, & qui poſt illos longiſſime progeniti ſunt & progignentur.

Quod ut ſenſibilius comparatione intelligatur: concipiamus omnes homines, quotquot creati ſunt à principio temporum, & procreabantur uſque ad finem ſeculorum, ſimiles eſſe æſculo illi Virgiliana,

-- Quæ tantum vertice ad auras
Aërias, quantum radice ad Tartara tendit.

Comparemus radices arboris illius, quæ ad terram & Tartara ipſa defiguntur; hominibus illis ante Adamum creatis, à principio temporum: quorum notitia ſepulta, & ſeculorum ignorantia abſcondita eſt. Comparemus comas illius æſculi ad cœlum uſque luxuriantes; hominibus illis qui nati ſunt à Chriſto, vel à tempore Chriſti, & qui naſcentur uſque ad finem ſeculorum. Comparemus denique truncum illius arboris; hominibus illis qui interceſſerunt ab Adamo ad Chriſtum. Trunco vero illi concipiamus duos ſurculos immiſſos, qui in truncum ipſum coaluerunt, inter radices & ramos æſculi: primum, Adamum: ſecundum, Chriſtum. Ponamus Adamum primum ſurculum, trunco illi primo inſitum, qui ſucco ſuo peccati & mortis arborem totam infecerit, ab imis radicibus ad ſumma uſque ramorum faſtigia. Ponamus Chriſtum ſecundum ſurculum, trunco eidem illi & deinceps inoleſcentem; qui arborem illam medicaverit, eamque à radice ad verticem ſpiritu ſuo juſtitia & vita imbuerit. Ponamus, inquam, plantas

tas duas illas trunco illi immiſſas, inter radices & ramos arboris : quales poſuimus Adamum & Chriſtum, inter homines illos qui à principio creati ſunt, & eos qui ad finem uſque porro gignentur. Condiſcamus hinc tandem, quod quemadmodum non neceſſe fuit, Adamum ſecundum & ultimum, fuiſſe ultimum omnium hominum, ut præteritos tantum homines ſub juſtitia ſua comprehenderet. Ita neque neceſſe fuit Adamum antecedentem & primum, fuiſſe primum omnium hominum, ut futuros tantum homines ſub peccato ſuo concluderet. Condiſcamus, inquam, Adamum dici primum hominem, qua ratione dicitur Chriſtus ſecundus homo.

CAPVT XXIV.

Adamum dici primum hominem, qua ratione primus homo peccator eſt. Imputationem peccati Adamici non fluxiſſe ex Adami traduce.

I*Mo inquies ; non dicitur Adamus, ratione illa tantum, primus homo : ſed & dicitur abſolute, primus & pater omnium hominum. Reſpondeo ; Adamum dici itidem poſſe primum & patrem omnium hominum, quatenus homines omnes in illo peccaverunt ; & quatenus primus & pater omnium peccatorum eſt. Simili ratione dicitur Abrahamus pater omnium credentium : imo pater Adami ipſius, quatenus Adamus credidit, & quatenus ex fide juſtificatus eſt. Ita Chriſtus vocatus eſt* primitiæ reſurrectionis ; *& primus omnium hominum qui reſurrexerunt ; quam-*

vis

vis alii reſurrexerint longe ante Chriſtum, ſcriptura ſacra teſte. Dicitur Abrahamus pater omnium credentium; quoniam fides imputatur omnibus credentibus ex fide Abrahami. Vocatus eſt Chriſtus, primitiæ reſurrectionis, & primus omnium qui reſurrexerunt, quoniam reſurgitur in Chriſto & per Chriſtum. Simili argumento, nuncupatur Adamus primus & pater omnium hominum, quia primus homo peccator, quia pater omnium hominum qui peccaverunt, quia peccata fuere imputata omnibus hominibus ex peccato Adami, quia omnes homines peccaverunt in Adamo.

Neque vero neceſſe fuit, omnes homines duxiſſe originem ab Adamo, ut cenſerentur omnes peccaviſſe in Adamo, vel ut eis peccatum Adami imputaretur. Vitium certe naturale & materiale peccati, derivatur ex traduce; ſive ex vitio naturæ humanæ, & materiæ ejuſdem ex qua Adamus & ipſe formatus eſt. Sed vitium imputationis, ſive imputatio ipſa peccati Adamici, quæ pure eſt intellectualis, emanavit à tranſgreſſione legis quam Adamus violavit, nulla adhibita generatione naturali: quatenus intelligitur tranſgreſſio Adami myſtice effuſa in illa omnia quæ imputationi Adamicæ ſubjacebant.

Ita quando ira Domini ſæviit in ſexaginta mille Iudæos propter peccatum Davidis: putandumne ergo fuit, Iudæos illos oriundos ex Davide, ut eis peccatum Davidis imputaretur? Neutiquam. Imo illis peccatum Davidis imputatum fuit, quatenus

David

David princeps eorum & caput erat; quo nomine referebat populum omnem Iudaicum; & qua ratione populi dicuntur plecti propter deliramenta ſuorum Regum. Ita quando fideles omnes, Iudæi & gentiles, dicuntur filii Abrahami; anne ideo cenſendum eſt, gentiles natos eſſe ex ſemine Abrahami, ut illis imputetur fides quæ eſt ex Abrahamo? Vel rurſus: anne ideo cenſenda eſt imputata fides Abrahami Iudæis ipſis, quatenus Iudæi ſunt ſemen Abrahami, & quatenus ab illo naturali generatione prognati ſunt? Nihil minus. Sed dicuntur ratione ſpiritali & myſtica, Iudæi & gentiles, filii Abrahami: quatenus Abrahamus quoad fidem, vices ſuſtinuit omnium fidelium Iudæorum & gentilium: & qua ratione ſola dictus eſt indefinite, pater credentium. Hinc nimirum eſt, quod tam ſubtiliter D. Paulus diſputavit capite 9 ad Romanos: non omnes Iudæos ex ſemine Abrahami, reputandos in filios Abrahami: ſed illos tantum qui ſunt filii Abrahami, ſecundum promiſſionem & fidem: id eſt, ſecundum ſpiritalem Abrahami generationem. Idem prorſus ſtatuendum eſt de imputatione quæ eſt ex gratia Chriſti. Nullos enim natos habuit Chriſtus, natos inquam ſecundum carnem, quibus imputaret ſuam gratiam. Plures certe propagavit ſpiritales filios, ſuper quos purgatio & gratia ejus ſpiritaliter & myſtice effuſa eſt; non materialiter, non carnaliter, neque ex traduce.

Sed & imputationem illam ex peccato Adami non fluxiſſe in omnes homines ex Adami ſemine,

de-

demonſtratur clariſſime per exemplum Mundi totius, cui peccatum Adami fuit æque imputatum. Terra enim maledicta fuit propter peccatum Adami: & totus orbis labem imputationis accepit ex peccato illo. Nullus autem dixerit, Mundum oriundum vel natum eſſe ex Adamo. Sufficit nempe crediviſſe, Adamum myſticam induiſſe perſonam mundi totius & omnium hominum. Cui Adamo tanquam Syndico & defenſori rerum omnium creatarum, ſignificata lex Dei, cenſeretur ſignificata toti mundo & omnibus hominibus. Quam legem Dei ſi violaret homo ille, nomine illo quod præferebat, & quo referebat creationem univerſam, imputaretur illi homini, & omnibus hominibus, & toti mundo. Imputaretur inquam peccatum illius hominis omnibus hominibus, præteritis, præſentibus, & futuris: qua ratione fides ex Abrahamo, imputata fuit fidelibus omnibus, præteritis, præſentibus, & futuris: qua ratione itidem Chriſti obſequium; quo vicem Adami penſavit, imputatum fuit omnibus hominibus, præteritis, præſentibus, & futuris.

CAPVT XXV.

Explicatur D. Paulus Actorum capite 17. Ex uno ſanguine, non eſſe, ex uno Adamo.

N*On movet me quod introducitur D. Paulus in Areopago dicens, Actorum capite* 17. Deum feciſſe totam hominum gentem ex uno

uno * ſanguine. *Non enim concluditur hinc, ut vulgo receptum eſt, homines omnes oriundos ex Adamo. Imo illud tantum, Deum compegiſſe omnes homines, ex una eademque materia, ex una eademque terra, ex uno eodemque pulvere, ex una eademque carne, ex uno eodemque ſanguine. Quæ locutio vulgaris eſt in ſacris literis..* Ecce & me ſicut & te fecit Deus: & de eodem luto ego quoque formatus ſum: *aiebat Eliu ad Iob. Tale illud eſt Domini noſtri D. Petrum alloquentis.* Simon Barjona, caro & ſanguis hæc non retexit tibi. *Nec prætereundum eſt quod hoc loco Actorum, ſignate diſtinxit Apoſtolus materiam à progenie hominum. Materiam fecit ex ſanguine: progeniem duxit à Deo. Vbi dixit,* Fecit ex uno ſanguine totam hominum gentem. *Deinde concluſit,* Progenies ergo Dei cum ſimus. *Non dixit, Progenies Adami cum ſimus. Quippe qui alloquebatur, non Iudæos, ſed Athenienſes gentiles: & reſpiciebat, non particularem illam creationem Adami, qua Deus Iudæos in Adamo ſibi peculiariter finxit & efformavit filios: ſed generalem illam, qua Deus naturam ipſam, & omnes homines ad ſui imaginem creavit: & ſecundum quam imaginem dicuntur indiſtincte omnes homines progenies Dei.*

C A-

* Vulgata editio vertit, *ex uno*, ſimpliciter. ſed in autographo Græco legitur expreſſim, ἐξ ἑνὸς αἵματος. ex uno ſanguine.

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

Exercitationis epilogus.

EXegi quæ habebam ſuper his verſibus Apoſtoli, de imputatione peccati, & de regno mortis, ab Adamo: nec non de hominibus illis qui non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami; quos peccaviſſe ante Adamum poſui. In quibus tria ſunt quæ benignus lector perpendat velim.

Primum eſt. Commodius multo reſponderi poſſe objectionibus illis, quas intentat in hanc noſtram poſitionem vulgata opinio; quam reſponderi queat intricatis illis incommodis, quæ mea hæc poſitio attulit contra vulgatam opinionem.

Secundum eſt. Nullum prorſus oriri incommodum (quod mihi ſaltem viſum fuerit) ex poſitione hac: imo è contra commoda multa ex illa percipi. Lucem magnam afferri, cum Euangelio, & verſibus his D. Apoſtoli; tum etiam hiſtoriæ Geneſeos. Conciliari Geneſim & Euangelium, cum Aſtronomia veterum, Hiſtoria & Philoſophia gentium vel antiquiſſimarum. Itaque ſi venerint Chaldæi ipſi, vetuſtiſſimi illi Aſtronomi, penes quos erant rationes curſus ſyderum, à multis retro centenis annorum millibus (ut aiunt) compoſitæ & confectæ: ſi venerint antiquiſſimi Ægyptiorum Chronologi, cum antiquiſſimis Regum ſuorum dynaſtiis: ſi venerit Ariſtoteles ipſe: ſi venerint cum Ariſtotele Sinenſes, philoſophi & chronologi fortaſſean.

ſean eximii: vel ſi qui olim reperientur ſagaces apud Auſtrales & Septentrionales incognitos: quibus, ſicut & Sinenſibus, Ægyptiis, & Chaldæis, ſuæ ſibi ſint epochæ, à pluribus annorum myriadibus traditæ & cognitæ: Accipiant ultro illi omnes expoſitione hac hiſtoriam Geneſeos, & fiant lubentius Chriſtiani.

Tertium eſt quod unice benignum meum lectorem oratum volo. Vt quæcunque hic congeſſi, ſcripta putet Exercitationis gratia. Nihil enim auſim aſſerere de his quæ videntur parum convenire cum recepta opinione totius Eccleſiæ. Cujus præceptis, atque illud iterum edico, totum me ſine fraude & devotiſſime addico.

Deo duce & auſpice.

PROOEMIVM.

COnditi orbis epocham non ducendam eſſe ab illo principio quod vulgo figitur in Adamo; naturalis eſt ſuſpicio, omnibus inſita cognitione rerum vel mediocriter imbutis. Videtur enim altius & à longiſſime retroactis ſeculis petendum illud principium: tum ex antiquiſſimis Chaldæorum rationibus: tum ex vetuſtiſſimis Ægyptiorum, Æthiopum, & Scytharum monumentis: tum ex nupere detectis terrenæ machinæ partibus: tum & ex regionibus illis incognitis, ad quas noviſſime percrebuit navigando perveniſſe Batavos: & quarum homines veriſimile eſt non fuiſſe ab Adamo propagatos.

Illa eadem & mihi olim inciderat ſuſpicio; cum puer adhuc vel audirem, vel legerem hiſtoriam Geneſeos. Vbi Cainus foras egreditur: ubi occidit fratrem ſuum, cum eſſent in agro; nempe illud, more latronum, caute; ne à quopiam arbitro proderetur: Vbi timet, ubi fugit pœnam fratricidii: ubi denique longe à patribus ſuis uxorem ducit, & civitatem ædificat. Sed quamvis hæc animo meo inſideret dubitatio; nihil tamen de illa audebam proferre, quod non ſaperet receptam opinionem de Adamo primo omnium hominum creato: donec incidi in verſus, duodecimum, decimum tertium, & decimum quartum, cap. 5. Epiſtolæ D. Pauli ad Romanos: quos abhinc viginti plus minus annis,

 & men-

& mente & manibus verſo. Ac veluti qui per glaciem incedit, ſuſpendit greſſus ſuos, ubi aſtrictam minus, vel ſauciam, diffidit: ubi vero concretam, & acrius induratam ſentit, fortius figit pedem: timui primo, ne vel plantas mihi ſecaret dubia hæc diſputatio, vel in profundam hæreſim devolveret, ſi quando illi diutius inſiſtebam. Verum ubi tandem per hos verſus Apoſtoli ſcire licuit, peccatum fuiſſe in mundo antequam imputaretur hominibus: ubi deinceps noviſſe datum eſt, illudque inconcuſſe, peccatum cœpiſſe imputari ab Adamo; auſus ſum animo, & totam hanc diſputationem uſque adeo ſolidam expertus ſum, ut præter illam trepido minus pede vectus ſim. Reperi homines trans & ultra imputationem illam peccati quæ originem traxit ab Adamo; qui quidem peccaverant, ſed quibus peccatum non imputatum fuerat, ad ſimilitudinem Adami, cui primo omnium hominum peccatum imputatum fuit; atque ita imputatum, ut illi, & in illo omnibus hominibus, reputatum in crimen, & verſum fuerit in mortem.

At, quæ rerum natura eſt bene compactarum, tanta mihi apparuit hinc poſitionis hujus firmitudo; ut quo plures illam verti ad quæſtiones Theologicas, illaſque majores & intricatiores; hoc ſolidior, major, & purior mihi affulſerit Religio Chriſtiana:

—— Qualiſque videri
Cœlicolis, & quanta ſolet.

Cu-

Cujus rei experimenta quædam edidi in Exercitatione illa, quam ad elucidationem Verſuum illorum Apoſtoli ſpeciatim inſtitui. Neque enim pro ratione opellulæ omnia potui. Exponere nunc in animo eſt, continua Exercitationis cauſa & gratia, Syſtema ipſum Theologicum, quo doctrina omnis Euangelii, ex Præ-Adamitarum hypotheſi, fuſius explicetur: & appareat, Poſitionem hanc, ne dicam Fidei quæ in Chriſto eſt, quoquo pacto officere: quin illam etiam tricis quampluribus, quibus implicatur, extricare; nec non oculis, & mentibus, ubique fere illuſtriorem exhibere. Quod nullo hiatu promitto. An vero expedire & exequi valeam, judicium eſto Lectoris benevoli.

Non ſum vero animi dubius, quin plurimi conſpecto Operis hujus apice & lemmate, neque pellecto Opere ipſo; voces continuo & manus intentent in hanc hypotheſin, quia nova eſt: ſtyloſque ocius ſtringant, ut quod non ceperint, carpant. Quibus omnibus jam nunc reſpondeo: *Quicquid ſcripſerint, me nihil reſponſurum*. At ſi qui erunt ſedatiores & cordatiores; quales & quamplurimos fore confido; qui ſibi temperabunt: Et ſi quid illos in ſcriptione mea diligenter examinata offenderit; more humano & Chriſtiano admonere me dignabuntur: Illis ego totum me adprobabo: & honore ſummo cumulatis plene ſatisfacere conabor. Hoc vero præcipue, & verbis conceptiſſimis recipio. Si quis cauſa cognita me errare demonſtrave-

rit. Hoc eſt: me in aliquo vel minimo, adverſari hiſtoriæ Geneſeos, aut quibuſlibet locis aliisScripturæ ſacræ & orthodoxæ, quæ continetur in utroque fœdere: vel diverſum abire, quantum latus unguis eſt, à quovis capite fidei Chriſtianæ. Primum, habebo illi gratiam maximam quod me docuerit. Deinde vero, nomen meum non pudebit apponere; imo glorioſiſſime mihi verſurum putabo, ſi illud totum & quadratis literis implevero, in ejurando tali errore meo: Quem abominor, ſi quis meus talis eſt. Quamvis enim mihi ipſi ſim amiciſſimus, magis tamen mihi eſt amica Veritas. Quod unice profiteor. Nomen autem meum nunc reticeo; verecundia, non mali facti conſcientia. Vereor enim, ne tam nobile & tam illuſtre argumentum culpa ingenii, & tenuitate orationis detrivero; neve omnino infra ſit, quicquid ſuper hac ſublimi materia elaborare & concinnare ſtuduero. Sed reputent qui me norunt, quibus & quantis erroribus actus fuerim, abhinc triginta annis; & quæ me fata per illud tempus traxerint & retraxerint. Ita ut meditando magis quam legendo, & literis ut par erat ſerio incumbendo, Opus hoc tandem inconditum & male dolatum extuderim. Oro itaque Lectorem meum hanc veniam: ut hoc qualecunque rudimentum boni conſulat, & benigno animo accipiat.

ARGVMENTA CAPITVM SYSTEMATIS.

LIBRI PRIMI

Caput I.

Verſus Apoſtoli. Specialiter in illis tractatur de peccato originali. Lex eo loci intelligenda eſt Adamica, non Moſaica. De peccato naturali & legali, imputato & non imputato. De morte itidem naturali & legali. Leges humanæ inſtitutæ ſunt ut dirigant rectam rationem. Intra homines ſunt. Lex divina ſupra homines eſt. Pag. 1

II. *Peccata hominum naturalia; vitia ipſa ſunt naturæ humanæ: quorum cauſa non ſunt petenda ex peccato Adami. Peccatum legale imputatum hominibus ex peccato Adami, adventitium eſt. Spiritualiter concipitur, nec propagatur naturaliter.* 6

III. *Mors naturalis hominum, creatur ex natura ipſa mortali hominum: nec cauſatur ex condemnatione mortis decreta in Adamum. Quæ mors legalis eſt. Et ſpiritaliter, non naturaliter intelligitur.* 11

IV. *Homines creati ſunt in principio ad imaginem Dei: & valde boni. De imagine Dei quæ prima creationis eſt. Et de imagine Dei quæ ſecundæ creationis eſt. Homines creati ſunt in principio recti: Sed ex materia prava: & quæ facile in ſe ipſam redire poſſet.* 16

V. *De materiâ hominum corruptioni obnoxiâ. De creatione hominum rectâ. De reditu hominum ad ingenium naturæ, & materiæ ſuæ corruptioni deditæ.* 20

VI. *Homines rectos creatos, & in pravum natura ſua reflexos, Deus creatione ſecunda in melius reſtituit. Et ab hominibus ad Deos evehit. De productitio & factitio. De immutabili & mutabili: immortali & mortali &c. De ſpiritu qui ex Deo eſt; & de Spiritu mundi.* 25

VII. *De uno Deo: & de uno ſpiritu qui ex Deo eſt. De variis ſive diis, ſive ſpiritibus.* 27

VIII. *Homines ſpiritibus pravis emoti, ceciderunt è ſtatu ſuo recti quo creati erant, in pravum natura ſua. Reſtituti in melius per Spiritum recreationis, qui unus ex Deo eſt, norunt Deum quem ignorat caro & ſanguis: Sanctitatem aſſequuntur, quam non poterant creatione ſua prima adipiſci: & mortem ſuam naturalem immortalitate ſupernaturali redimunt.* 33

IX. *Recreatio hominum, gratia & donum Dei eſt. Non omnibus datur hominibus recreari. Sed electis tantum. Electio in rebus naturalibus eſt. Electio divina in electis Dei eſt. Qui ſint Electi. Et qui dicantur Reprobi.* 38

X. *Electio divina dupliciter conſideratur: in Deo, & in Myſterio. Illa ab æterno eſt. Hæc myſticis temporum occaſionibus diſpenſatur. Illa homines omnes indiſtincte admittit. Hæc Iudæos primo elegit, & in Iudæis Gentes terrarum omnes aſſumpſit.* 44

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI SECVNDI.

CAPVT I.

DE *electione Iudæorum. Electio Iudæorum incepit ab Adamo primo Iudæorum patre. Iudæi primogeniti, quia primo electi. Electi autem non ſuo merito, ſed mero Dei eligentis & volentis beneficio. Formati ex eadem terra communi qua ceteri homines creati ſunt. Deus matrimonio conjunctus Eccleſiæ Iſraëlitidi. Iudæorum pater. Iudæi Dii habiti, quia filii Dei. Deus Iudæorum mater. Amicus Iudæorum. Iudæi amici Dei.* 49

II. *Deus Iudæorum rex. Iudæi populus Dei. Deus Iudæorum dominus. Iudæi ſervi Dei. Iudæi dicti ſancti. Dicti juſti. Iudæi electi in populum ſempiternum. Separati de univerſis populis terræ, in ſortem & hæreditatem Domini.* 58

III. *Iudæis electis Terra data eſt electa. Terra ſancta, quia terra ſanctorum. Et terra promiſſionis, quia promiſſa*

miſſa juramento patribus Iudæorum. Deſcriptio Terra ſancta. Electa terra illa, non ſua natura, ſed Dei benedicentis & eligentis placito. Iudæorum terra. Et quam Iudæi ſoli habitarent. 65

IV. *Ieruſalem civitas ſancta terra ſancta. Templum in Ieruſalem poſitum. Et in monte Sion bicipiti. Colles æterni. Civitas David. Civitas magni Regis. De Regibus Iudæorum. Explicatur Samuel de Iure Regis.* 71

V. *Electi gentiles in Iudæis, electione myſtica. Filii Dei habiti, quia adoptati in Iudæis. Et inſiti in Iudæis.* 75

VI. *Gentiles genere & origine diverſi à Iudæis, quà adoptati & inſiti in illis. Gentiles athei, quia ſine Deo. Homines ſimpliciter appellantur. Et filii hominum. Inſipientes, ſtulti, iniqui.* 80

VII. *Gentiles dicti peccatores.* 85

VIII. *Gentiles dicti infantes, parvi, & pauperes.* 89

IX. *Gentiles dicti filii iræ. Inimici & hoſtes Dei. Beſtiæ, & beſtiæ habiti à Iudæis: imo beſtiæ immundæ. Oppoſitionis comparatio inter Iudæos & Gentiles.* 96

X. *Iudæi formati à Deo in Adamo. Gentiles creati à Deo. Et creati à verbo Dei ſicuti cetera animantes; nec non eadem die qua cetera animantes. Iudæi peculiariter formati manibus Dei. Deus Iudæorum plaſtes dictus. Adam primus pater Iudæorum. Iudæi filii Adam vocantur.* 101

XI. *Iudæi vocantur à Moſe, filii Adam. Explicatur caput 32 Deuteronomii. Explicantur Iſaias & Oſeas ſuper Adam patre primo Iudæorum. Gentiles dicti alienigenæ. Iudæi ſpecies hominum diſtincta à ſpecie gentilium. Gentiles terrigenæ. Explicatur pſalm. 49. Abraham habuit ſervos vernaculos, & emptitios, qui non erant ex ſtirpe ſua: id eſt, Adamica: Filii hominum, qui? Filius hominis, quis? Differentia inter fratres Iudæorum, & gentiles alienigenas.* 105

ARGVMENTA CAPITVM

LIBRI TERTII.

CAPVT. I.

PRobatur ex Geneſi origo gentilium diverſa ab origine Iudæorum. Gentiles creati fuerunt creatione illa quæ enarratur capite 1 *Geneſeos. Creata animalia omnia, & creati omnes homines, maſculus & fœmina, ſexta creationis die; ſicut & plantæ & arbores & volatilia, ſuis diebus; per univerſum terrarum orbem. Quare die illa non fuerit creatus unus homo & ſolus, in terris omnibus, à quo omnes homines naſcerentur.* 116

II. *Formatus fuit Adamus ſeorſim à primis hominibus, formatione illa quæ enarratur capite* 2 *Geneſeos. Adamus primus & pater Iudæorum, non omnium hominum. Diverſa omnino formatio Adami, à creatione primorum hominum. Eva non potuit ædificari eadem die qua Adam formatus eſt.* 121

III. *De mirabili formatione Adami. De mirabilibus Iſaaci & Chriſti conceptionibus. Adamus typus Chriſti factus fuit in omnibus ſimilis Chriſto, excepta juſtitia Chriſti. Eva ſponſa Adami, figura & ipſa Eccleſiæ ſponſæ Chriſti.*

IV. *Cain agricola. Abel paſtor & cu[illegible] ciſo Abelo, timet. Fugit p[illegible] re reorum omniu[illegible] rem ducit, [illegible] civitat[illegible] li[illegible]*

vi à Claudiano deſcripta. De ſeculorum ſeculo. 138

VI. *Ignorant homines primas ſuas hiſtorias & origines. De Chaldæis. De ſtupendo annorum numero, quem poſuiſſe dicuntur Chaldæi, in componendis tabulis ſuis Aſtronomicis. De Ægyptiis. Et de annorum myriadibus per quas regnaviſſe dicuntur Ægyptiorum reges, Dii, Heroes, & Homines.* 148

VII. *De Regibus Ægyptiis hominibus. Laudatur Plato in Timæo ſuper bellatoribus inſula Atlantica. Filii hujus ſeculi prudentiores filiis lucis. De prodigioſa Sinenſium periodo ſecundum Scaligerum.* 154

VIII. *Probatur antiquiſſima mundi creatio, ex progreſſu Aſtronomiæ, Aſtrologiæ, Theologiæ, & Magiæ gentilium. Tractatur hoc capite de conſtructione Sphæra.* 160

IX. *De antiquitate Aſtronomiæ.* 165

X. *De antiquitate Aſtrologiæ.* 167

XI. *De antiquitate Theologiæ & Magiæ gentilium.* 174

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI QVARTI.

CAPVT I.

...amus ... quantumvis perfectus formatus, non potuit ... uo formatus eſt, callere Sphæram, Aſtrologiam. Sed illarum cognitionem pro... qui potuit. De Bibliis ſacris. Sunt ..., non autographa. 181

... tum dedit hominibus. Deus in ne... phis. Fuere ſcriptores ante Mo... ſcribere Geneſis. Non ſcripſit ... rum, ſed primorum Iudæorum. ... vium. Vinea plantata à Noë, ... plantatarum. Qua ratione ..., ſine patre, ſine matre, ſine 191

... accipitur quod ſpecialiter ... d 5 ... deluit

debuit intelligi. Tenebræ in morte Domini, factæ fuerunt ſuper totam terram Iudæorum: non ſuper univerſum terrarum orbem. Stella quæ apparuit Magis, facula fuit in aëre; non ſtella in cœlo. 198

IV. *In miraculo Ezechiæ ægrotantis, non retroceſſit Sol in cœlo, ſed in horologio Achas.* 202

V. *Qua ratione in miraculo Ioſuæ, Sol ſteterit in Gabaon. Longa dies illa non debuit extendi extra regionem Gabaonitidem.* 208

VI. *Vbi ſit miraculum de non attritis Iudæorum veſtimentis in deſerto: Et de calceamentis eorum vetuſtate non conſumptis.* 215

VII. *Diluvium Noacicum non fuiſſe effuſum ſuper univerſum terrarum orbem, ſed ſuper terram Iudæorum. Vt Iudæos perderet, non ut omnes homines obrueret.* 216

VIII. *Probatur idem quod in ſuperiori capite, per columbam à Noë emiſſam, & per aquarum naturalem decurſum.* 221

IX. *Probatur idem, per hiſtoriam filiorum & nepotum Noæ. Per Euſebium in Chronico. Particulares fuere cataclyſmi. Ægyptus nunquam diluvio obruta. Referuntur; Strabo, de Turdetanis Hiſpanis. Scaliger & Servius de Trojanis. Solinus de Indis. Sanchoniato, Iombal.* 225

X. *De æterno ante æternum. De æterno ab æterno.* 234

XI. *De æterno ultra æternum. De æterno uſque in æternum. Regnum Meſſiæ qua ratione æternum.* 237

XII. *Æternum ſignificari ſolet in ſacris literis, per durationem Solis & Lunæ & Mundi. De Ævo. De temporibus æternis. D. Paulus explicatus. Æternum indeterminatum eſt.* 241

XIII. *De ætatibus animantium deſcriptis ab Heſiodo & Auſonio. Quare ignorata hiſtoria primorum hominum. Ex Platone. Ex mutatione epocharum. Terrarum Aborigines ignorantur.* 246

XIV. *Falluntur qui origines omnium hominum deducunt à Noaci nepotibus. Refellitur Grotius de origine gentium Americanarum.* 251

AR-

ARGVMENTA CAPITVM.

LIBRI QVINTI.

CAPVT I.

Mori debuerunt homines, qui immortales evadere debuerunt. Moriuntur homines in Chriſto. Debuerunt prius peccare & condemnari in Adamo. Moriuntur homines in Chriſto ſpiritaliter, & ratione myſterii. De fictionibus & myſteriis juris. De myſteriis divinis, quæ fuere vel fictiones, vel parabolæ, vel ſimilitudines myſticæ. Morimur ſpiritaliter ad ſimilitudinem mortis Chriſti. Peccavimus ſpiritaliter ad ſimilitudinem peccati Adamici. 256

II. *De peccato originali. Eſt inhærens. Eſt imputatum. Quid ſit imputare. Imputatur quod communione quadam junctum eſt cum eo cui imputatur. De communionibus & conjunctionibus rerum, phyſicis, politicis, & myſticis. Chriſtus myſterium omnium finis. Referri debuit Adamus ad Chriſtum: non vice verſa Chriſtus ad Adamum. Imputari debuit Adamus hominibus, qua ratione Chriſtus imputatur hominibus: ſpiritaliter & myſtice.* 260

III. *De duobus imputationum myſticarum primoribus, Adamo & Chriſto. Medius inter illos interceſſit Abrahamus. Itur à peccato Adami, ad juſtitiam Chriſti, per fidem Abrahami. Pœnæ inflictæ ex imputationibus myſticis, myſtice & ſpiritaliter intelligendæ ſunt. Nullus, neque Adamus ipſe, mortuus eſt pro peccato Adami. Solus Chriſtus pro peccato illo mortuus eſt. Intelliguntur homines omnes mortui in Chriſto ſpiritaliter & myſtice.* 266

IV. *Non poteſt concipi alieni delicti imputatio, niſi quadam juris fictione. Imputatum eſt peccatum Adami omnibus hominibus, ratione mere ſpiritali, non propagatione naturali. Confundunt naturam & reatum Theologi, quæ ſeparatim conſiderari debuerunt in peccato originali. Natura prior eſt reatu. Reatus non corrupit naturam*

turam: imo è contra, natura corrupta effecit reatum. Quod probatur exemplo Adami ipſius, quando peccavit. 273

V. *Qui volunt, imputationem peccati Adamici derivatam fuiſſe ex traduce Adami; ex illo putant, quod autumant, Adamum genuiſſe omnes homines. Apoſtolus diſtinxit, nec ſociavit peccatum naturaliter inhærens, cum eo quod imputatum eſt. Diſtinxit, nec ſociavit mortem naturalem cum ea quæ ex condemnatione legis inflicta eſt. Mors ex peccato Adami, incepit ab Adamo, deſiit in Moſe & Chriſto. Peccatum naturale & mors naturalis fuerunt ante Adamum. Et erunt poſt Moſem & Chriſtum, in finem uſque ſeculorum.* 280

VI. *Qua ratione peccatum Adami ſalutem, non perditionem hominum fecit. Non imputatur à Chriſto mortuo peccatum alienum hominibus, ſed ſua quiſque peccata patitur.* 288

VII. *Quare Adamus qui tanquam caput peccavit, non tanquam caput pœnas dedit peccati ſui. Peccatum Adami inobedientia fuit. Peccatum naturale & legale, duplex fuit repagulum objectum hominibus, quibus Paradiſo interdicerentur. Solvit legale repagulum Chriſtus moriens. Solvet naturale Chriſtus idem reſurgens, & nos plene ſanctificans.* 296

VIII. *Omnes homines peccaverunt ad ſimilitudinem peccati Adamici. Infantes peccaverunt ad eandem ſimilitudinem.* 303

IX. *Qua ratione retroacta fuerit imputatio peccati Adamici, in anteceſſores Adami. Myſterio ſcilicet ad ſalutem anteceſſorum eorundem comparato. Qua ratione potuerint ſalvi fieri anteceſſores Adami illi.* 310

FINIS.

SYSTEMA THEOLOGICVM,

EX

PRÆADAMITARVM HYPOTHESI.

PARS PRIMA.

ANNO SALVTIS,
M. DC. LV.

Digitized by Google

SYSTEMATIS

THEOLOGICI

PARS PRIMA.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Verſus Apoſtoli. Specialiter in illis tractatur de peccato originali. Lex eo loci intelligenda eſt Adamica, non Moſaica. De Peccato naturali & legali, imputato & non imputato. De morte itidem naturali & legali. Leges humanæ inſtitutæ ſunt ut dirigant rectam rationem. Intra homines ſunt. Lex divina ſupra homines eſt.

Reponam verſus ipſos Apoſtoli capite 5. ad Romanos, quia ſunt Syſtematis hujus ſtatumina.

12. *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pervaſit, in quo omnes peccaverunt.*

13. *Uſque ad legem enim peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur cum lex non eſſet.*

14. *Sed regnavit mors ab Adamo uſque ad Moſem: etiam in eos qui non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, qui eſt typus futuri.*

ARGVMENTA CAPITVM
LIBRI TERTII.

CAPVT. I.

Probatur ex Geneſi origo gentilium diverſa ab origine Iudæorum. Gentiles creati fuerunt creatione illa quæ enarratur capite 1 *Geneſeos. Creata animalia omnia, & creati omnes homines, maſculus & fœmina, ſexta creationis die; ſicut & plantæ & arbores & volatilia, ſuis diebus; per univerſum terrarum orbem. Quare die illa non fuerit creatus unus homo & ſolus, in terris omnibus, à quo omnes homines naſcerentur.* 116

II. *Formatus fuit Adamus ſeorſim à primis hominibus, formatione illa quæ enarratur capite* 2 *Geneſeos. Adamus primus & pater Iudæorum, non omnium hominum. Diverſa omnino formatio Adami, à creatione primorum hominum. Eva non potuit ædificari eadem die qua Adam formatus eſt.* 121

III. *De mirabili formatione Adami. De mirabilibus Iſaaci & Chriſti conceptionibus. Adamus typus Chriſti factus fuit in omnibus ſimilis Chriſto, excepta juſtitia Chriſti. Eva ſponſa Adami, figura & ipſa Eccleſiæ ſponſæ Chriſti.* 126

IV. *Cain agricola. Abel paſtor & cuſtos ovium. Cain, occiſo Abelo, timet. Fugit pœnam fratricidii. Fugit, more reorum omnium, ad orientalem plagam Edeni. Vxorem ducit, generat filium, & in plaga eadem orientali civitatem ædificat. Adam genuiſſe dicitur filios & filias, à Setho nato uſque ad mortem Adami ipſius. Non ſcriptum eſt genuiſſe illos vel illas, ab Abelo occiſo uſque ad Sethum natum.* 132

V. *Probantur ex monumentis gentilium, gentiles genere diverſi à Iudæis, & à genere Iudæorum Adamico. Diſputatio de æternitate mundi in duas claſſes ab antiquis diſtributa. De tempore. De annorum faſciculis quos ſibi fecerant Chaldæi. De annis periodicis. De anno vertente & magno. Anni ſignificati per ſerpentes. De ſpelunca æ-*

vià

vi à Claudiano deſcripta. De ſeculorum ſeculo. 138

VI. *Ignorant homines primas ſuas hiſtorias & origines. De Chaldæis. De ſtupendo annorum numero, quem poſuiſſe dicuntur Chaldæi, in componendis tabulis ſuis Aſtronomicis. De Ægyptiis. Et de annorum myriadibus per quas regnaviſſe dicuntur Ægyptiorum reges, Dii, Heroes, & Homines.* 148

VII. *De Regibus Ægyptiis hominibus. Laudatur Plato in Timæo ſuper bellatoribus inſulæ Atlanticæ. Filii hujus ſeculi prudentiores filiis lucis. De prodigioſa Sinenſium periodo ſecundum Scaligerum.* 154

VIII. *Probatur antiquiſſima mundi creatio, ex progreſſu Aſtronomiæ, Aſtrologiæ, Theologiæ, & Magiæ gentilium. Tractatur hoc capite de conſtructione Sphæræ.* 160

IX. *De antiquitate Aſtronomiæ.* 165

X. *De antiquitate Aſtrologiæ.* 167

XI. *De antiquitate Theologiæ & Magiæ gentilium.* 174

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI QVARTI.

CAPVT I.

ADamus, quantumvis perfectus formatus, non potuit momento illo quo formatus eſt, callere Sphæram, Aſtronomiam & Aſtrologiam. Sed illarum cognitionem progreſſu temporis aſſequi potuit. De Bibliis ſacris. Sunt pleraque apographa, non autographa. 181

II. *Deus ſe obſcure notum dedit hominibus. Deus in nebula. De Bibliis apographis. Fuere ſcriptores ante Moſem. Non omnia potuit ſcribere Geneſis. Non ſcripſit hiſtoriam primorum hominum, ſed primorum Iudæorum. Arca non fuit prima navium. Vinea plantata à Noë, non fuit prima vinearum plantatarum. Qua ratione Melchiſedec intelligi debeat, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, &c.* 191

III. *Erratur, quoties generalius accipitur quod ſpecialius*

debuit intelligi. Tenebræ in morte Domini, factæ fuerunt ſuper totam terram Iudæorum: non ſuper univerſum terrarum orbem. Stella quæ apparuit Magis facula fuit in aëre; non ſtella in cœlo. 198

IV. *In miraculo Ezechiæ ægrotantis, non retroceſſit Sol in cœlo, ſed in horologio Achas.* 202

V. *Qua ratione in miraculo Ioſuæ, Sol ſteterit in Gabaon. Longa dies illa non debuit extendi extra regionem Gabaonitidem.* 208

VI. *Vbi ſit miraculum de non attritis Iudæorum veſtimentis in deſerto: Et de calceamentis eorum vetuſtate non conſumptis.* 215

VII. *Diluvium Noacicum non fuiſſe effuſum ſuper univerſum terrarum orbem, ſed ſuper terram Iudæorum. Vt Iudæos perderet, non ut omnes homines obrueret.* 216

VIII. *Probatur idem quod in ſuperiori capite, per columbam à Noë emiſſam, & per aquarum naturalem decurſum.* 221

IX. *Probatur idem, per hiſtoriam filiorum & nepotum Noæ. Per Euſebium in Chronico. Particulares fuere cataclyſmi. Ægyptus nunquam diluvio obruta. Referuntur; Strabo, de Turdetanis Hiſpanis. Scaliger & Servius de Trojanis. Solinus de Indis. Sancheniato, Iombal.* 225

X. *De æterno ante æternum. De æterno ab æterno.* 234

XI. *De æterno ultra æternum. De æterno uſque in æternum. Regnum Meſſiæ qua ratione æternum.* 237

XII. *Æternum ſignificari ſolet in ſacris literis, per durationem Solis & Lunæ & Mundi. De Ævo. De temporibus æternis. D. Paulus explicatus. Æternum indeterminatum eſt.* 241

XIII. *De ætatibus animantium deſcriptis ab Heſiodo & Auſonio. Quare ignorata hiſtoria primorum hominum. Ex Platone. Ex mutatione epocharum. Terrarum Aborigines ignorantur.* 246

XIV. *Falluntur qui origines omnium hominum deducunt à Noaci nepotibus. Refellitur Grotius de origine gentium Americanarum.* 251

AR-

ARGVMENTA CAPITVM.

LIBRI QVINTI.

CAPVT I.

MOri debuerunt homines, qui immortales evadere debuerunt. Moriuntur homines in Chriſto. Debuerunt prius peccare & condemnari in Adamo. Moriuntur homines in Chriſto ſpiritaliter, & ratione myſterii. De fictionibus & myſteriis juris. De myſteriis divinis, quæ fuere vel fictiones, vel parabolæ, vel ſimilitudines myſticæ. Morimur ſpiritaliter ad ſimilitudinem mortis Chriſti. Peccavimus ſpiritaliter ad ſimilitudinem peccati Adamici. 256

II. *De peccato originali. Eſt inhærens. Eſt imputatum. Quid ſit imputare. Imputatur quod communione quadam junctum eſt cum eo cui imputatur. De communionibus & conjunctionibus rerum, phyſicis, politicis, & myſticis. Chriſtus myſterium omnium finis. Referri debuit Adamus ad Chriſtum: non vice verſa Chriſtus ad Adamum. Imputari debuit Adamus hominibus, qua ratione Chriſtus imputatur hominibus: ſpiritaliter & myſtice.* 260

III. *De duobus imputationum myſticarum primoribus, Adamo & Chriſto. Medius inter illos interceſſit Abrahamus. Itur à peccato Adami, ad juſtitiam Chriſti, per fidem Abrahami. Pœna inflicta ex imputationibus myſticis, myſtice & ſpiritaliter intelligenda ſunt. Nullus, neque Adamus ipſe, mortuus eſt pro peccato Adami. Solus Chriſtus pro peccato illo mortuus eſt. Intelliguntur homines omnes mortui in Chriſto ſpiritaliter & myſtice.* 266

IV. *Non poteſt concipi alieni delicti imputatio, niſi quadam juris fictione. Imputatum eſt peccatum Adami omnibus hominibus, ratione mere ſpiritali, non propagatione naturali. Confundunt naturam & reatum Theologi, quæ ſeparatim conſiderari debuerunt in peccato originali. Natura prior eſt reatu. Reatus non corrupit naturam*

turam: imo è contra, natura corrupta effecit reatum. Quod probatur exemplo Adami ipſius, quando peccavit. 273
V. *Qui volunt, imputationem peccati Adamici derivatam fuiſſe ex traduce Adami; ex illo putant, quod autumant, Adamum genuiſſe omnes homines. Apoſtolus diſtinxit, nec ſociavit peccatum naturaliter inhærens, cum eo quod imputatum eſt. Diſtinxit, nec ſociavit mortem naturalem cum ea quæ ex condemnatione legis inflicta eſt. Mors ex peccato Adami, incepit ab Adamo, deſiit in Moſe & Chriſto. Peccatum naturale & mors naturalis fuerunt ante Adamum. Et erunt poſt Moſem & Chriſtum, in finem uſque ſeculorum.* 280
VI. *Qua ratione peccatum Adami ſalutem, non perditionem hominum fecit. Non imputatur à Chriſto mortuo peccatum alienum hominibus, ſed ſua quiſque peccata patitur.* 288
VII. *Quare Adamus qui tanquam caput peccavit, non tanquam caput pœnas dedit peccati ſui. Peccatum Adami inobedientia fuit. Peccatum naturale & legale, duplex fuit repagulum objectum hominibus, quibus Paradiſo interdicerentur. Solvit legale repagulum Chriſtus moriens. Solvet naturale Chriſtus idem reſurgens, & nos plene ſanctificans.* 296
VIII. *Omnes homines peccaverunt ad ſimilitudinem peccati Adamici. Infantes peccaverunt ad eandem ſimilitudinem.* 303
IX. *Qua ratione retroacta fuerit imputatio peccati Adamici, in anteceſſores Adami. Myſterio ſcilicet ad ſalutem anteceſſorum eorundem comparato. Qua ratione potuerint ſalvi fieri anteceſſores Adami illi.* 310

FINIS.

SYSTEMA THEOLOGICVM,

EX

PRÆADAMITARVM HYPOTHESI.

PARS PRIMA.

ANNO SALVTIS,
M. DC. LV.

SYSTEMATIS THEOLOGICI

PARS PRIMA.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Verſus Apoſtoli. Specialiter in illis tractatur de peccato originali. Lex eo loci intelligenda eſt Adamica, non Moſaica. De Peccato naturali & legali, imputato & non imputato. De morte itidem naturali & legali. Leges humanæ inſtitutæ ſunt ut dirigant rectam rationem. Intra homines ſunt. Lex divina ſupra homines eſt.

REponam verſus ipſos Apoſtoli capite 5. ad Romanos, quia ſunt Syſtematis hujus ſtatumina.

12. *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pervaſit, in quo omnes peccaverunt.*

13. *Vſque ad legem enim peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur cum lex non eſſet.*

14. *Sed regnavit mors ab Adamo uſque ad Moſem: etiam in eos qui non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, qui eſt typus futuri.*

PRINCIPIO notandum eſt, locum hunc ſingularem & unicum eſſe, quo tractatio peculiaris inſtituitur peccati originalis vulgo dicti, quod ab Adamo in omnes homines imputatione pertranſiit: neque alium ſignari in tota ſacrarum literarum mole, & quantus liber eſt utriuſque fœderis, quo perſpicue, & ex profeſſo, diſputetur de peccato illo Adamico. Comprobatur proinde hinc, Adamum intelligendum eſſe, per illum hominem de quo hic loquitur Apoſtolus; per quem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: per quem itidem mors pervaſit in omnes homines, ut in illo omnes peccaverunt. At, quo argumento locutus eſt Apoſtolus de peccato Adami illo, quod reatum meruit omnibus hominibus; conſequens eſt ut legem etiam illam hoc loco intellexerit, cujus tranſgreſſio peccatum Adami fecit; quamque Adamicam nuncupo: nec non ut lex ipſa eadem intelligatur Adamica; quam datam omnibus hominibus in Adamo cenſendum eſt, ratione eadem, qua violaviſſe illam homines omnes in Adamo reputandi ſunt. Eliminabimus ergo hinc legem Moſaïcam, cui nullus erat locus in negotio peccati originalis, & Adamici: quia enim neque data fuerat Adamo, neque omnibus hominibus in Adamo: cujus utique tranſgreſſio imputari nequiverat Adamo, neque omnibus hominibus in Adamo. Et certe Moſaica lex Iudæis tantum lata & promulgata fuerat, neque vero cæteris hominibus: cujus utique tranſgreſſio, Iudæis tantum imputari debuit, neque item cæteris Gentibus quæ non erant de tribu & familia Iudaica, quæque nullo pacto, & nullo fœdere ſancito, lege illa tenebantur. *Annuntiavit verbum ſuum Iacob, & judicia ſua Iſraël. Non* *fecit*

ſecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis, canebat Propheta Rex pſalmo 148. Tum quæ plurima ejus generis leguntur apud auctores ſacros, quos ut brevis fiam prætereo. Si vero legem Adamicam, non Moſaicam, intellexit hoc loco Apoſtolus: Peccatum erat in mundo uſque ad legem Adamicam, per eundem Apoſtolum. Ergo & ante legem Adamicam. Et incidant in meam hypotheſim neceſſe eſt, homines illi qui peccaverant ante legem Adamicam, vel ante Adamum, quod idem eſt.

Præterea; liquido igne liquidius patet, Apoſtolum ſtatuiſſe his verſibus, duo genera peccatorum, tempore & qualitate diſtincta. Tempore diſtincta, ubi poſuit peccatum ante legem, & peccatum poſt legem. Qualitate diſtincta, ubi voluit peccatum legem antecedens, non fuiſſe imputatum; peccatum legem pone ſequens, fuiſſe imputatum. Ait Paulus, *uſque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum vero non imputabatur* (ſive non imputatur, ut quidam vertunt) *non exiſtente lege*. At ſi peccatum erat in mundo uſque ad legem, erat & ante legem: Et peccatum illud quod legem violavit, poſt legem procul dubio fuit. Vides hic peccata tempore diſtincta, ante & poſt legem inſtituta. Rurſus, ſi peccatum non imputatur non exiſtente lege, quis peccatum illud dicat imputatum, quod ante legem fuit, vel quod ante legem patratum eſt? Sin parte alia, tranſgreſſio legis illa fuit, quæ imputationem peccato inuſſit, peccatum dicemus imputatum illud quod legem fregit, atque adeo poſt legem fuit. Vides hic peccata qualitate diſtincta: peccatum ante legem, non imputatum: peccatum poſt legem, imputatum.

Peccatum ante legem non imputatum, vocare liceat *Naturale:* quatenus à nulla prohibitione legis pependit, ſed à puris & pravis naturæ humanæ appetitionibus ortum habuit. Peccatum poſt legem imputatum, vocare detur *Legale*: quatenus à mera legis tranſgreſſione originem duxit. Mortem rurſus concedatur dicere illam *Naturalem*, quæ ex mea hypotheſi peccatum naturale conſequuta eſt. Mortem vero illam *Legalem*, quæ peccatum legale ulta eſt.

Quod ut clarius eluceſcat, ſciendum eſt primo. Naturam humanam dupliciter conſiderari: rectam, & pravam. Rectam, quæ habuit Ideam recti & perfecti, quatenus homo rectus & perfectus creari potuit. Pravam, quæ deflexus fuit à rectitudine perfecti illius: Quod peccatum naturale eſſe aio. Notandum eſt ſecundo. Legem inſtitutam fuiſſe, non ut perfectionem hominum conſtitueret, ſed ut ad perfectionem illam corruptos & pravos homines reduceret. Non ut perfectum illud faceret, ſed ut perfectum illud doceret & præſcriberet: Et quos turpitudinis pudor non deterreret ab inhoneſto, formido pœnæ intra honeſti regulas coërceret. Perfectio hominum recta ratione, & lege dirigitur. Recta ratio, naturalis & nobiſcum nata eſt. Lex, adventitia & nobis præſcripta eſt. At illa ante nata eſt, quam hæc ſcripta eſſet: neque opinione, ſed natura conſtituta eſt. Lex nos docet quod naturæ & rectæ rationis noſtræ corruptione dedidicimus: neque enim ſciremus quid eſſet peccatum, niſi lex nos illud docuiſſet. Atque hinc eſt quod Lex ſimpliciter dicta, vocatur *Pædagogus* Apoſtolo: tum leges omnes, documenta, mandata, & præſcripta nominantur, apud utroſque auctores, ſacros & prophanos.

Pec-

Peccabant homines peccato naturali tantum, ante legem & uſque ad legem; quoties deflectebant à perfectione illa, ad quam natura creationis ſuæ nati erant; nec non quoties aberrabant à recta ratione illa, quæ illos ad perfectum ſuum dirigebat. Peccaverunt homines dupliciter poſt legem, & poſtquam lex illis data eſt. Peccaverunt enim primo, contra perfectum illud naturæ ſuæ rectæ: peccaverunt ſecundo, contra præceptum & præſcriptum legis, quæ illos ad perfectum, & rectum ſuum revocabat. Et hoc eſt peccatum quod legale eſſe aio: quodque D. Paulus Rom. 7. voluit *fuiſſe peccans per mandatum* καθ' ὑπερβολήν: id eſt, fuiſſe peccans per legem, ultra quam fuerat peccans per naturam.

Quodcumque autem poſitum fuerit peccatum, naturale vel legale, ſua mors ſemper, vel naturalis vel legalis conſequuta eſt. Et peccati cujuſvis, ſive illud natura, ſive illud lege condias, individuum opſonium mors eſt. Mors naturalis, quam corruptio naturalis generat; antecedentem naturam corruptam, vel pede cito, vel pede claudo, nunquam deſerit. Mors legalis, quam tranſgreſſio legis facit, ultrix addita poſt legirupam ſedet. Ac veluti peccato naturali peccatum legale inditur: mors legalis morti naturali apponitur. Tum quo argumento peccatum legale peccato naturali inditum, reatum generat qui mente concipitur: mors legalis morti naturali appoſita, mortem civilem parit, quæ fictione & ſpiritu intelligitur.

Caverunt humanæ leges, ne homines extra fines recti & perfecti ſui vagarentur; ſed ut intra illos cohiberentur: Voluit divina lex, non illud tantum, ut ſtarent homines loco ſuo recti &

perfecti, ſed ut ſupra rectum & perfectum ſuum eveherentur. Caverunt humanæ leges, ne homines, ut cæteræ animantes, ad paſtum abjicerentur: Voluit divina lex, ut homines ad conſpectum & gloriam Dei immortalem ſurſum raperentur. Humanæ leges intra homines fuerunt: Divina lex ſupra homines fuit. Humanæ leges naturam hominum continuerunt: Divina lex naturam hominum mutare conſtituit. Humanæ leges in natura inſitæ, naturam curant, & naturam redolent: Divina lex ſupra naturam poſita, nil niſi divinum & myſticum ſpirat: Naturam curat, ut illam purificet: imo ut humanam in divinam vertat.

Miſſas hic faciemus humanas leges, & de illa nobis ſermo erit quam Deus dedit Adamo. Et enimvero, quoniam per legis illius diſpenſationem, non naturalem ſed myſticam, ſupra homines evadimus, & in deos quaſi transformamur: Quæ finis eſt Theologici & Chriſtiani hujus Syſtematis: Peccatum itidem legale tractabimus illud, quod legem Dei rupit. Legem inquam Dei primam illam, quam Adamus hominum primus violavit: Quamque homines omnes in Adamo violaviſſe putati ſunt.

CAPUT II.

Peccata hominum naturalia, vitia ipſa ſunt naturæ humanæ. quorum cauſæ non ſunt petendæ ex peccato Adami. Peccatum legale, imputatum hominibus ex peccato Adami, adventitium eſt. Spiritaliter concipitur, nec propagatur naturaliter.

SVnt qui putant, & bella, & peſtes, & febres, & totas corruptionum naturalium cohortes,

terris

terris incubuiſſe, ex imputatione peccati illius Adamici, quod primum omnium legem Dei infregit. Acriter nempe illud contendunt, ex non animadverſa diſtinctione peccati naturalis & legalis. Peccatum enim naturale, quod naturæ ipſius pravum & vitium eſt, conſequuntur naturaliter bella, peſtes, & febres, & quæcunque de genere hoc conturbant & male urunt homines. Facile hoc vero illi perſpicient, qui nubem inveteratæ præoccupationis, quæ viſus eorum hebetat, ſibi eripi tantiſper patientur. Quis enim neſcit bella ex his orta, quos vel inhians prædæ fames, vel effera vindictæ cupiditas, vel ſacra regni ambitio, arma capeſcere incitat? Nempe ut naturales appetitiones & innatas libidines expleant. Tum peſtes & febres quis naſci & inflammari non expertus eſt, vel ex naturali corruptione aëris, vel & ipſa naturali corporis noſtri corruptione? Notitiæ & veritatis hujus tot habemus teſtes, quot politicos & medicos: quorum auctoritates pene innumeras, parum refert hoc loci comprehendere.

Duplex igitur peccatum ſtatuemus in Adamo: naturale, & legale. Naturale, quod naturaliter Adamo inhæſit, ex vitio naturæ ſuæ, & materiæ peccatricis qua formatus eſt: Legale, quod accidit & imputatum fuit Adamo, ex violata lege Dei. Naturale, quod affecit ſenſum, materiam, & naturam Adami corpoream: Legale, myſticum & ſpiritale; quod infregit legem myſticam & ſpiritalem, quæ non niſi ratione & ſpiritu concipi potuit. Quis enim reputet arborem ſcientiæ boni & mali? quis in animum inducat ſuum, manducationem ſcientiæ, manducationem boni & mali, niſi illa modo intellectuali & myſtica ratione concipiat? Duplex iti-

dem peccatum conſiderabimus in omnibus hominibus, quale & duplex in Adamo ſtatuimus: naturale, & legale. Naturale, quod ſua ſibi natura peccatrici hominibus omnibus innatum, viſceribus eorum naturaliter & radicitus infixum eſt. *Quod prodiit ex adipe eorum*: ut eleganter locutus eſt pſalmus 73. Legale, quod accidit & imputatum eſt omnibus hominibus ex tranſgreſſione legis Dei quam Adamus violavit. Naturale, quod affecit ſenſum, materiam, & naturam omnium hominum corpoream: Legale, quod pervaſit in omnes homines ex peccato legali Adami, ſpiritaliter & ratione myſterii.

Concipimus autem pervaſionem illam myſticam & ſpiritalem peccati legalis in omnes homines, ex peccato Adami alieno, ratione imputationis: qua intelligimus imputatum fuiſſe omnibus hominibus quod Adamus ſolus peccavit.

Imputatio ex alieno delicto, mera eſt juris fictio extra Theologos: apud Theologos mera eſt ratio myſterii. Quod exemplo accommodatiſſimo aperiam. Iuratus rex Iudæorum Sedecias, fidem fefellerat Regi Aſſyriorum. Imputata fuit fraus illa Regis Iudæorum Iudæis omnibus; qui peieraſſe reputati ſunt in perjurio ſui Regis; fictione illa juris Gentium, qua putantur populi delinquere in delictis ſuorum Regum. Iniverat Deus pactum cum Adamo, & in illo cum omnibus hominibus, tanquam in Syndico, defenſore, & principe omnium hominum. Pactum illud rupit Adamus: & adſcripta fuit fraus Adami omnibus hominibus, ratione illa divini myſterii, qua putati ſunt homines omnes deliquiſſe in delicto ſyndici, defenſoris, & principis ſui.

Non

Non ergo is ſum qui putem imputationem peccati Adamici labefactaviſſe naturam hominum: neque rurſus illis aſſentior qui nihil concedunt imputationibus. Suum ſibi locum relinquo naturalibus, & myſticis. Naturalia naturaliter accipienda exiſtimo: myſtica myſtice intelligenda cenſeo. Corruptio contracta ex materia omnium hominum corruptioni addicta, illa eſt quæ labefecit naturam omnium hominum. Imputatio myſtica peccati Adamici illa eſt, quæ myſtica condemnationis macula homines omnes infecit. Aſſero imputationes, ſine quibus tota funditus ruerent myſteria Chriſtiana: ſed illas intra limites ſuos myſticos coerceo, ne vagentur extra myſterium, extra intellectum & ſpiritum. Non ergo ex eo quod imputatum fuit peccatum Adami hominibus, crediderim homines morbis obnoxios, & omnibus quæcumque illos circumveniunt incommodis: ſed ex vitio naturæ ſuæ putridæ & putidæ. Vitium innatum hominibus, ſolida fuit & naturalis hominum calamitas. Et ſecundum Ezechielem cap. 28, *Productus eſt ignis de medio eorum qui illos exederet.* Quo nihil verius. Natura enim ſua eſt, quæ incendia facit in hominum cordibus. Quod ut clarius exemplis demonſtretur; Inauditum eſt Adamum ipſum, crimen & caput (ut aiunt) malorum tantorum, vel minimo corporis morbo tentatum fuiſſe, totis triginta & nongentis annis quibus vixiſſe notum eſt: niſi forte credimus illi qui retulit ex auctore neſcio quo, Adamum mortuum arthritide qua laborabat, & quam à patribus ſuis tanquam hæreditario jure accepiſſe obtendit. Num vero ægrotavit Caïnus poſtquam occidit fratrem ſuum? Imo enimvero pancratice

valuit: aufugit id orientem Edeni, collegit ibi manum facinoroſorum hominum; cum quibus rapinas exercuit: Vxorem duxit, filium genuit, & civitatem ædificavit. Illa itidem querela eſt perpetua apud auctores ſacros, Electorum Deum veluti incuſantium, quod omnem quaſi poteſtatem ſuam oſtendat ut reprobos bonis cumulet: omnia illis congruere commoda, præter ſpem & optata etiam evenire: tum voluptates illorum & gaudia nullas contaminare ægritudines. Quin & Poëta elegantiſſimus Deos ſuos plane increpat, quod Domina ejus illos conteſtata pejeraſſet. At vero nihilo ſecius faciem illi eandem eſſe poſt perjurium, quæ fuiſſet ante perjurium: perjuram tam longos habere capillos, quam longos habuiſſet nondum perjura: eundem illi manere oris ruborem roſeum, eandem pedis exigui formam aptiſſimam, eoſdem argutos & radiantes oculos, poſtquam Deos læſiſſet, quos habuiſſet fide erga illos incontaminata. Imo, ſimul obligaverat perfidum votis caput, pulchrior multo enitebat. Et certe, plures captos ab hoſtibus reputavit civiliter mortuos fictio Romani juris, quos tamen bene valuiſſe naturaliter nihil prohibuit. Conſtat ergo, neque fictiones juris, neque rationes myſterii, vel hilum naturæ officere potuiſſe: neque imputationem peccati Adamici, quæ pure myſtica & ſpiritalis eſt, cauſam fuiſſe peſtium, febrium, & aliarum ægritudinum quas natura movet hominibus: ſed illa accidiſſe & accidere hominibus, ex materia prava, & figmento creationis ſuæ corruptioni deditæ.

C A-

CAPUT III.

Mors naturalis hominum, creatur ex natura ipſa mortali hominum: nec cauſatur ex condemnatione mortis decretæ in Adamum, quæ mors legalis eſt. Et ſpiritaliter, non naturaliter, intelligitur.

AT, qui mos eſt incommodorum omnium, ut aliud ex alio incidat: non deſunt qui aſſeverent, homines nunquam morituros ſi Adamus nunquam peccaviſſet. Quaſi vero immortalitas, quæ vita æterna eſt, & quam ſola perficere potuit recreatio, quæ ſecunda creatio eſt; utpote penes quam ſolam immortalitatis poteſtas degat; comparari potuerit hominibus, vi & virtute creationis primæ, quæ natura ſua corruptioni & morti obnoxia eſt: neque morituri naturaliter fuiſſent homines, qui naturaliter corruptibiles (ut cum Schola loquar) atque adeo mortales creati fuerant.

Imo, inquiunt, hoc edixerat Deus Adamo. *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas.* * *Ex quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Ergo inſiſtunt: ſi mors data fuit pœna Adamo quo die peccaret in legem Dei, mortuus nunquam fuiſſet Adamus, ſi nunquam in legem Dei peccaviſſet. Negatur vero & pernegatur conſequens. Quamvis enim decreto legis moriantur qui occidunt; non idcirco tamen immortales ſunt qui non occidunt. Plenos & puros ſanguinis eadem verſat mortis fatalitas. Differentia hæc eſt inter utrorumque mortem: quod puri, & vitæ integri, naturaliter tantum & ſimpliciter moriuntur: ſceleroſi vero & nocentes, qui moriuntur ex decreto legis, dupliciter mori cenſentur: naturaliter, & legaliter: morte naturali,

& illa quæ,ex condemnatione legis, legalis & civilis appellata eſt. Certe, ſive quis ſententia judicis laqueo effocatus, ſive quis capite truncatus, ſive quis in equuleo poſitus,vita interfectus ſit: cenſetur primo ille morte naturali mortuus, utpote cauſis pure naturalibus; quales ſunt, intercludi, vel incidi vias ſpiritus. Deinde, ex eo quod addita eſt naturæ, condemnatio ex lege, cenſetur idem ille,propter notam mortis ſecundo & morte civili mortuus.

Idem accidiſſe Adamo putandum eſt, damnato ex lege Dei, quod aliis hominibus damnatis ex legibus hominum. Debuit Adamus mori naturaliter, & cauſa pure naturali, ex quo materia corruptibili & mortali compactus eſt. Mortuus eſt Adamus idem morte legali, ex condemnatione legis, quo momento legem Dei attentavit. Mors naturalis Adami, peccatum naturale Adami, & vitium ipſum corruptionis, ex materia ejus corruptibili innatum, conſequuta eſt. Mortem legalem Adami peccatum legale effecit: Cauſa myſtica effectus myſtici, qui ſola ſpiritus & myſterii ratione concipi potuit.

Demonſtrabitur hoc evidenter per Adamum ipſum. Edixerat Deus Adamo: *In quocumque die comederis, morte morieris.* Mortuus ergo intelligitur Adamus, illo ipſo die, imo illo ipſo momento quo peccavit in legem Dei. Atqui, neque naturaliter neque corporaliter mortuus eſt Adamus, momento & die illo: conſtat enim, vixiſſe annos circiter nongentos,poſtquam peccavit.Mortuum ergo intelligemus Adamum, die & momento illo quo peccavit; morte legali, ſpiritali,& quæ ſola mente concipi potuit. Mortuus eſt Adamus morte legali & ſpiritali, quando legem

gem Dei tranſgreſſus eſt. Mortuus eſt Adamus morte naturali & corporali, quando exegit triginta & nongentos vitæ ſuæ annos, & hora illa compoſita qua naturaliter hæſit vitæ ſuæ terminus.

Sed & morte mortuum Adamum, & mortem ſpiritalem additam morti ejus naturali, facilius intelligemus; ſi percurrimus condemnationes alias, tum in Adamum ipſum, tum in Evam, tum in Serpentem,poſt & propter Adami tranſgreſſionem, à Deo ſancitas. Hæc fuit Adamo pœna decreta poſt peccatum: *In laboribus comedes ex Terra cunctis diebus vitæ tuæ*. Atqui tulerat Deus Adamum ante peccatum in Paradiſum, ut operaretur culturæ Paradiſi. Ergo ut verteret & exerceret terram Paradiſi, ante peccatum, & in laboribus ex ea comederet: ſicut terram vertit & exercuit,& in laboribus ex ea vixit poſt peccatum. Nota hic labores ante & poſt peccatum. Labores ante peccatum, ſecundum naturam agricolationis, naturales: labores poſt peccatum,ex condemnatione myſticos,& qui mente ſola concipi potuerunt.

Tale illud eſt quod Evæ pronunciavit Dominus: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos in dolore paries: & ſub viri poteſtate eris, & ipſe tibi dominabitur*. Multiplicavit ſcilicet Dominus ærumnas fœminæ; quando ex condemnatione ſpiritales & myſticos dolores addidit naturalibus illis quibus naturaliter fœmina rumpitur cum parturit. Multiplicavit Dominus ſubjectionem fœminæ ſub dominio viri, quando addidit condemnationem ex lege,legi illi naturali, qua naturaliter ſexus nobilior dominatur ſequiori

Sed in primis audire eſt operæ pretium quid de-

decreverit Deus in Serpentem, & quam pœnam illi conſtituerit, propter tentatam manducatione fructus prohibiti Fœminam. *Quia feciſti hoc*, ait Dominus Serpenti, *ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Atqui, hoc erat inditum Serpenti à naturâ creationis ſuæ, ut reperet & ſerperet: quod eſt Serpenti, gradi ſuper pectus ſuum, & terram comedere: creavit enim Deus ante peccatum, imo quinto creationis die, reptilia omnigena, è quorum numero Serpens fuit, & certe præcipuus. Repſiſſe igitur Serpentem intelligemus dupliciter: ante peccatum, & poſt peccatum. Repſiſſe ante peccatum, naturâ creationis ſuæ, naturaliter: repſiſſe poſt peccatum, ex decreto Dei, & condemnatione illa quæ ſpiritu conſtitit.

Simili prorſus ratione mortuum Adamum intelligemus dupliciter. Naturaliter, quando ex inſtituto formationis ſuæ quæ fuit ante legem, ultimum diem ſuum naturaliter obiit. Legaliter & modo ſpiritali, poſt legem: decreto legis, & condemnatione illa quæ ſpiritu cogitatur.

Duplicem utique putabimus mortem in omnibus hominibus, qualem & duplicem in Adamo concepimus. Naturalem, quæ naturaliter omnibus hominibus contigit, ex innata ſua ſibi natura corruptibili & mortali: legalem, quæ myſtice homines omnes perculit, momento illo quo in Adamum decreta eſt. Naturalem, qua naturaliter moriebantur homines omnes ante legem: legalem, quæ in illos ſpiritaliter pervaſit poſt legem, ex tranſgreſſione legis. Naturalem, quæ peccatum naturale hominum conſequuta eſt: legalem quam effecit peccatum legale hominum, ex peccato legali Adami: Cauſa myſtica effectus myſtici, qui ſola ſpiritus & myſterii

rii ratione concipitur. Et certe, ſicuti lex proſerpendi, decreta in Serpentes ex peccato Adami, nihil addidit naturæ reptili Serpentum, præter condemnationem meram & ſpiritalem: ita neque lex moriendi, decreta in homines ex peccato Adami, quicquam addidit naturæ mortali hominum, præter condemnationem mortis illam, quæ mente & myſterio reputatur. *Memorare*, aiebat David Pſalmo 89, *quæ mea ſubſtantia*. Et paulo poſt: *Quis eſt homo qui vivat, & non videbit mortem?* Quæ de morte naturali intellexit Propheta Rex: cujus cauſas petiit ex ſubſtantia & materia ipſa hominum, non ex peccato Adami. Adde his quæ D. Paulus ſcripſit Rom. 8. *Quod ſapit caro, mors eſt.* nec non, c. 6. ejuſdem epiſtolæ. *Opſonium peccati mors.* Quo loco peccatum naturale, & mortem naturalem intellexit: quatenus mors naturalis peccato naturali intrita eſt: condimentum ſcilicet & opſonium quod ſapit caro, quæ natura & materia peccati eſt.

Ex diſtinctione porro illa peccati naturalis & legalis, nec non mortis naturalis & legalis, facilis exſurgit interpretatio loci illius Numer. cap. 27. ubi filiæ Salphaad Moſem his verbis aggreſſæ ſunt. *Pater noſter mortuus eſt in deſerto, nec fuit in ſeditione quæ concitata eſt contra Dominum ſub Core: ſed in peccato ſuo mortuus eſt, &c.* Patrem ſuum mortuum aiebant illæ, non judicio illo quo abſorptus fuerat Core, qui in Dominum rebellaverat: ſed peccato & vitio naturæ ſuæ, quæ peccati & corruptionis ſemen erat: tum fato naturæ illo, quo mors rerum omnium corruptioni obnoxiarum ultima linea eſt. Non illum hauſtum aiebant legitimo ſupplicio illo, quo conjuratis Core omnibus tellus ima

ima fatiſcerat: ſed rebellionis puram vitam obiiſſe in deſerto, lege illa naturali qua debentur morti omnes homines; quaque ſimpliciter mors naturalis peccatum naturale manet.

CAPUT IV.

Homines creati ſunt in principio ad imaginem Dei; & valde boni. De imagine Dei quæ primæ creationis eſt. Et de imagine Dei quæ ſecundæ creationis eſt. Homines creati ſunt in principio recti: ſed ex materia prava: & quæ facile in ſe ipſam redire poſſet.

QVod vero creationem hominum pravam, & corruptam, nomine dixi; congruere parum videtur cum eo quod ſcriptum eſt Geneſeos 1, Deum creaviſſe hominem ad ſui imaginem: nec non valde bona fuiſſe omnia quæ Deus creaviſſet. Vnde concludunt (& recte) interpretes, hominem ad Dei imaginem effictum, rectum & perfectum fuiſſe creatum. Et ſi valde bona fuerunt omnia quæ Deus creavit; hominem proinde, omnium creatorum excellentiſſimum, ſumme bonum fuiſſe creatum.

Ad hæc ut reſpondeam; Principio concedi mihi velim: aliam eſſe imaginem Dei quæ impreſſa eſt creationi primæ: aliam quæ recreationi, vel creationi ſecundæ indita eſt. Expreſſit Deus in creatione prima imaginem prototypi, ſive artis illius ſuæ mirabilis, qua Mundum & quæcumq; in eo ſunt, ſummis rationibus finxit, temperavit, & libravit. Expreſſit Deus in recreatione, quæ ſecunda creatio eſt, imaginem naturæ ſuæ ipſius, qua Mundum dilectione & caritate ſua communicavit. Exhibuit Deus, in creatione prima, opus ſuum exterius: ſed aperuit viſcera ipſa

ipſa caritatis ſuæ in ſecunda creatione. Creatio prima expreſſit imaginem Dei, quam dixiſſe liceat extimam: ſecunda creatio illam, quæ intima eſt. Nihil præterea in rerum natura extitit, quod Deus non participaverit imagine illa prototypi, & artis ſuæ mirabilis, quam expreſſit in omnibus creatis. Sed non omnia participare voluit imagine illa naturæ, dilectionis, & caritatis ſuæ: quam dignius expreſſit in hominibus, vel recreatis vel recreandis. Quæcumque porro materialia & corporea creata ſunt; lege ſua ſibi naturæ, corruptibilia & mortalia creata ſunt. Quæcumque vero ex materialibus & corporeis recreantur; ſecundæ illius creationis lege, incorruptibilia & immortalia evadunt.

Vt taceam materialia & corporea reliqua; certum eſt homines fuiſſe creatos in principio ad imaginem Dei creatoris illam, quam dixiſſe liceat, *imaginem creationis*: imo creatos fuiſſe ad imaginem creationis illam, quæ ſupra imagines creationis omnes, quibus cætera animalia efficta ſunt, excellentiſſimá eſt: quæque Deum creatorem expreſſius & nobilius exhibuit. Sed fatendum eſt, homines fuiſſe creatos primo ad imaginem Dei extimam, quæ longiore intervallo Deo proxima intelligenda eſt, reſpectu imaginis illius intimæ, quæ imago recreationis eſt. Verum eſt, homines fuiſſe creatos in principio perfectos, rectos, & ſumme bonos; quatenus homines vi & virtute creationis ſuæ primæ, perfecti, recti & ſumme boni creari potuerunt. Sed neminem fallere debuit; homines fuiſſe creatos in principio, ex materia corruptibili, & quæ facile à perfecto ad imperfectum, à recto in pravum, & à bono in malum converteretur. Quod nos experimento valido

&

& comprobato homines ipſi primo creati docuerunt, quo tempore perfectos creatos, tum natura figmenti ſui, tum negligentia ſua, alio illos detorſit.

Quoties ergo animum meum ſubit hæc cogitatio; homines ad imaginem Dei creatoris, & ad imaginem prototypi optimi primo creatos, perfectos, rectos, & ſumme bonos; vitio illo, quod natura inſevit, à perfectis ad imperfectos, à rectis in pravos, & à bonis in malos degeneraviſſe: Toties concipio Horologium ab eximio artifice noviſſime expolitum, dentatarum rotularum partibus, ſecundum proportionem, curioſe diſtinctum; nec non æquatis horarum momentis attemperate libratum: cum pyxide vel imaginibus ad vivum expreſſis exquiſite picta, vel emblemate vermiculato ingenioſe compoſita; quantum auro & electro valuit artifex. Horologium quippe illud omnibus ſui partibus abſolutum, tamdiu perfectione ſua ſtare putandum eſt, quamdiu non corrumpitur, vel natura materiæ ſuæ corruptibilis, vel incuria domini in cujus poteſtate eſt. Simile fatum imputo hominibus, qui primum creati à Deo perfecti, recti & ſumme boni: vitio materiæ & acris quæ illos incendebat naturæ ſuæ impetigine; non manſerunt in veſtigio creationis ſuæ; qui perfectione ſua abierunt, & à recto in pravum reflexi ſunt.

——— Sic omnia fatis
In peius ruere, & retro ſublapſa referri.

Comparaverim etiam lubens homines creatos in principio ad imaginem Dei, ſumme bonos; Ædibus illis Comici, factis probe & amuſſitata opera, expolitis & paratis ſedulo in firmitatem: in quam deinde immigravit nequam homo,

homo, & indiligens, & immundus, & inſtrenuus, qui curavit male bonas ædes. Venit ſiquidem tempeſtas, quæ confregit tegulas imbriceſque, venit imber qui lavit parietes: perpluerunt tigna, putrefecit aër operam fabri. Tum demum ruêre parietes, & cum fundamento perierunt ædes totæ. Atque haud fabri culpa, ut expreſſim notavit Comicus; ſed vecordis illius hominis qui illas habitavit ignavia: qui noluit alias tegulas pro fractis reddere, & per quem nequior factus eſt uſus ædium.

Etenim tales creatos fuiſſe primos homines reputabimus, quales animo concipimus ædes novas illas fuiſſe conſtructas: creatos inquam, ad imaginem Dei, incorruptos, bonos, & rectos: ſumma cum ratione, ſumma cum virtute, & ſumma cum fide: neque quicquam addi potuiſſe ad perfectionem primæ illius creationis hominum. Verum poſtquam illi ipſi homines immigraverunt in ſe ipſos, & in ingenium ſuum: quæ ſua fuit natura, quod ſuum fuit lutum, quæ ſua fuit caro, quæ ſua fuit materia terreſtris & corruptibilis; quæ à peccato non temperat: continuo venit ignavia quæ perdidit operam creatoris, quæ deturbavit hominibus omnem rationis, virtutis, & fidei modum, quæque demutavit perfectionem creationis ſuæ. Atque haud creatoris culpa, quod ſedulo notandum eſt: ſed ignavia ipſorum hominum, per quam nequiores facti ſunt; & boni creati ſe ipſos curaverunt male. Ignavia inquam illa, tempeſtas fuit hominibus, quæ illis grandinem imbremque attulit, quæ detexit illorum verecundiam, & per quam negligentes fuerunt ſe obtegere. Permanaverunt ergo uſque in pectus hominum deſideria prava; permadefecerunt

cor

cor illorum cogitationes malignæ; ſimulque homines, & ratio, & virtus, & fides, deſeruerunt; & vitiis tum demum ſuis putruerunt. *Diſceſſit ab illis quod bonum erat ex creatione ſua, & manſit malignum materiæ illorum additum*, ut loquitur Eſdras libro 4. cap. 3.

CAPUT V.

De materia hominum corruptioni obnoxia. De creatione hominum recta. De reditu hominum ad ingenium naturæ, & materiæ ſuæ corruptioni deditæ.

TRia ergo conſideranda veniunt in creatione prima hominum. Primum eſt, materia qua homines creati & concreti ſunt. Secundum, creatio ipſa hominum. Tertium, tranſitus & recurſus hominum ad ingenium illud ſuum, à ſua ſibi materia inditum.

Materiam qua homines in principio coagulati ſunt, fuiſſe corruptioni deditam, res ipſa comprobavit: quando ſtare neſciverunt creatione ſua perfecta, & à recto in pravum converſi ſunt. Vocata hacpropter Caro, quæ materia hominum eſt, per ſe & ſimpliciter immunda, polluta, corruptio, & merum inquinamentum, apud omnes auctores ſacros. Atque hæc in præſentia de materia hominum corruptioni obnoxia dixiſſe ſufficiat: quippe qui tantis ſuper hoc cingamur teſtimoniorum nimbis, ut illis obrueremur ſi effunderentur.

Veniamus ad creationem ipſam hominum. Creavit Deus homines in principio ad ſui imaginem ſumme bonos & perfectos: ſed ſtatu illo tantum boni & perfecti, qua ſunt & creati ſunt homines. Creavit illos perfectos, & à quibus perfe-

perfectorum hominum nihil alienum eſſet: ſed qui virtute & vi creationis ſuæ ſaperent tantum quod intra homines perfectos eſſet, non quod ſupra eſt. Quod hominum eſſet, non quod Dei eſt. De quo ut ſine controverſia inter omnes conveniat, nihil video quod obſtet & repugnet.

Deſcendamus ad converſionem illam hominum in pravum, qua deflexerunt à perfectione creationis ſuæ, & retroceſſerunt ad ingenium materiæ ſuæ corruptibilis, quaque perituri erant figmenti ſui ominibus. Ac primum inſpiciamus quid egerit Deus poſtquam creavit homines perfectos, illoſque in terris conſtituit, rebus omnibus ad illorum uſum perfecte itidem inſtructis. Cognoſcere illud erit per ea quæ referuntur cap. 25. D. Matthæi: de Patrefamilias, qui peregre proficiſcens, reliquit bona ſua utenda ſervis ſuis. Peregre profectus eſt Deus poſtquam creavit homines perfectos. Id eſt, reliquit homines in manu conſilii ſui, in ſui ipſius poteſtate & libero arbitrio; ut ſuo modo viverent. *Dimiſit illos ingredi voluntates & vias ſuas*, ut ſcriptum eſt Actorum 4.

Videamus autem quid contra egerint homines facti ſui arbitrii, & ut ita dicam, facti ſui juris. Fecerunt quod illis in proclivi erat. Proclivis erat malis eorum animus; atque illos urebat peccati ſcabies. Non habuerunt vitæ ſuæ modum, ſed animo ſuo morem gerentes, & cupiditatibus ſuis devincti, imminuerunt perfectionem creationis ſuæ. In vitium libertas excidit: Proſiluitque frænis non admotis natura hominum libera. Furiavit eos, & cœcos egit caro ſua. Idonei neque inviti in malas partes adducti ſunt; & deteriores facti licentia, recurrerunt ad

ad naturam materiæ ſuæ ad malum propenſæ. *Tranſierunt* à perfectione ſua, *in affectum cordis ſui*, ut loquitur Pſalmus 78. Creati fuerant recti adverſum ingenium ſuum; & inflexi fuerant natura ſua prava, pravi, in rectum. Reflexi ſunt, contortione &. vi creationis ſuæ rectæ recti, ſponte & natura ſua prava, pravi, in pravum. Retrahebat homines rectos vitium naturæ & materiæ ſuæ corruptibilis à recto in pravum. Non obniſi ſunt contra, ut par erat rectis creatis. Sibi ipſis indulſerunt: neque fuerunt uſque adeo ſibi imperioſi, ut reſponſarent cupiditatibus ſuis, atque illis obfirmate reſiſterent. Non belligeraverunt cum geniis ſuis. Remiſerunt pedes & manus: tum vero ut tulit naturæ carneæ corruptela, rapuit illos ſuus alveus in præceps: & ſibi facile imperaverunt ut corrumperentur. Non illis tantillum penſi adfuit, quam vitæ rectitudinem inſiſterent. Pejus melius, prodeſſet obeſſet; nihil viderunt, niſi quod animo collibitum fuit ſuo: & ſibi peccatorum omnium gratiam fecerunt. Ruerunt homines per ſuum nefas; atque ut loquar cum Ieremia capite 28, Converſi ſunt habenis liberi, ad ingenium ſuum, *tanquam equi impetu currentes ad prælium.*

Redierunt vero homines ad ſuam naturam hac propterea de cauſa; quod in prima creatione emendatum & correctum fuerat tantum, neque penitus exciſum vitium in natura, ſive in figmento hominum; quod non omnino ſublatum, recurrere uſque valuit. Abiit autem in hominibus arbitrio ſuo mancipatis, quod bonum erat ex emendatione vitii, ſive ex perfectione creationis: remanſit vero quod malum erat ex vitio luti & figmenti ſui. Defecit rectitudo hominum,

minum, & bene creatos dedecoravit peccatum ſuum. Vitium autem relictum, neque penitus exciſum, in creatione prima hominum, fermentum fuit in illorum pectoribus, creatione potentius, quo toti intumuerunt, & depravati ſunt. Adde, quod fortiora ſunt quibus interius agitamur, quam quibus exterius afficimur. Perfectio creationis hominum à Deo promanaverat: atque adeo tanquam alienum quid à carne & materia hominum, imo illi ex adverſo contrarium, extrinſecus acciderat hominibus. Vitium è contra, luti & figmenti ſui, tanquam proprium quid & naturale hominibus, interius illis adhæſerat. Redierunt ergo homines ad naturam ſuam, quia fecerunt ingenium ſuum: quia intus monſtratum erat: tum quia fortius illos agitavit vitium figmenti ſui interius, quam afficere potuit extrinſecus petita creationis perfectio. Imo, quia caro & materies hominum, terra fuit reproba: noverca boni ſeminis, mater autem mali graminis: noverca virtutum omnium quas perfectione creationis ſeminaverat Deus in cordibus hominum: mater autem vitiorum omnium quæ naturaliter in illis germinant, tanquam in nativo ſuo ſolo. Quæque tanquam herba irrigua ſuccreſcunt uberrime. Odit autem noverca averſatrix privignos ſuos: mater vero indulgentiſſima fovet & amplectitur filios ſuos. Accidit hinc, quod averſata eſt natura & caro hominum, lectum illud & ſpectatum ſemen perfectionis qua creati erant: tum etiam quod natura eadem rediit in ſe ipſam qua porta illi data eſt. Atque adeo, quod hominibus male facere, nimio levius fuerit onus, quam bene. Horruit vero hinc pectus hominum, rubis & ſentibus vitiorum omnium, luti & figmenti ſui.

Rever-

Reverſio illa hominum à perfectione creationis, ad vitium naturæ & carnis ſuæ, peccatum illud eſt naturale quod ſtatuimus. Sive illud naturale vocamus, quia naturaliter nobis inhæret: vel ut loquitur D. Paulus, *quia in nobis habitat: quia nobis adjacet: quia lex eſt in membris hominum captivans homines in lege peccati, quæ in membris illorum eſt.* Vbi nota, legem peccati naturalis membris hominum infixi: vel legem naturalem peccati, carni & materiæ ipſi hominum inhærentem. Quo ſenſu intelligendum eſt caput 7 ad Romanos. Sive illud peccatum naturale dicimus, quia deflexus fuit à natura & lege perfectionis illius, qua homines in principio creati ſunt. Qua ratione, & magis proprie, peccatum dici potuit.

Perfectionis hujus veſtigia quædam reſtare in cordibus hominum: imo homines naturali & tacita illius percelli conſcientia, argumento eſt; quod peccatum & vitium omne naturaliter averſantur, quicunque meliore & perfectiore luto formati ſunt: qui ſtudio virtutis perfectionem illam à qua deflexerunt, & ad quam ſe creatos ſentiunt, odore conſequi & venari videntur. Quo ſenſu intelligendus præcipue eſt D. Paulus, locis illis quibus voluit, *homines ſe ipſos naturaliter incuſare, & ſibi ipſis legem eſſe.*

C A-

CAPUT VI.

Homines rectos creatos, & in pravum naturæ ſuæ reflexos, Deus creatione ſecunda in melius reſtituit. Et ab hominibus ad Deos evehit. De productitio & factitio. De immutabili & mutabili: immortali & mortali, &c. De ſpiritu qui ex Deo eſt; & de Spiritu mundi.

HOmines autem à perfectione creationis ſuæ in lutum ſuum revolutos, &c. peccato collutulatos, Deus neque deſpexit neque deſeruit. Neque rurſus illos eatenus reſtitui paſſus eſt in integrum ſtatum illum perfectionis ſuæ veteris; quatenus homines perfecti in principio creati ſunt. Sed illos recreare, illorumque perfectionem ſupra hominum perfectionem evehere decrevit. Præcipitati fuerant homines à ſplendore perfectionis ſuæ, ad illuviem ſuam, quod idem brutorum inquinamentum eſt. Homines juſſit Deus à brutis ad Deos (ut ita dicam) ſecunda & nova creatione tranſcendere: A corruptione ad incorruptionem, à morte ad vitam immortalem prætervehi: Et quod exquiſitiſſimum Dei fuit erga homines beneficium; à pravis, malis, & impuriſſimo cœno merſis, ad perfectionem ſanctitatis & gloriæ ſuæ extolli: ad quam ſpiritu recreationis, curru velut igneo raperentur. Imo ſi conſilium & decretum Dei recta reputamus via: noviſſimum fuiſſe reperiemus in mente ejus, creare homines corruptibiles & mortales; antiquius, recreare illos incorruptibiles & immortales. Divinum erat creatio: excellentius, & ut ita dicam, divinius quid erat recreatio. Intervallo ſcilicet proportionis illo, quo incor-

ruptum corrupto, & immortale mortali intereſt.

Verum enimvero, ut rem omnem, quanta eſt doctrina Chriſtiana, à primordio repetam: Sciendum eſt, duo occurrere notatu digna in creatione & compoſitione rerum; quæ non demonſtrantur per cauſas; ſed deſignantur in ſacris literis, & patent per effectus ſuos. Vnum, quod nullo intercedente medio à Deo emanavit: alterum, quod medio intercedente à Deo creatum eſt. Vnum, productitium: alterum, factitium. Vnum, ſpiritale: alterum, animale, materiale, carnale & corporeum. Vnum, permanens, ſtabile, & æternum: alterum, mutabile & vanitati obnoxium, quod ὑπετάγη τῇ ματαιότητι. Vnum, incorruptibile quod purificat: alterum, corruptibile quod inquinat. Vnum, quod olet vitam: alterum, quod redolet mortem. Vnum, quod patiens eſt cœleſtis illius fulguris, quo Deus coruſcat, quodque ſplendeſcit in ejus conſpectu, tanquam aurum in ignibus: alterum, quod Deus urit ſplendore ſuo; quodque ad ejus radios, tabeſcendo abit in ſpumam, in fumum, in cineres. Vnum, quod Deus diligit: alterum, quod faſtidit. Vnum, quod eligit: alterum, quod reprobat. Vnum, quod D. Paulus, Corinthior. 1. capite 2, vocavit *Spiritum qui ex Deo eſt*: alterum, quod Apoſtolus idem vocavit loco eodem, *Spiritum hujus Mundi*. Duo hæc contrariis legibus, & æternis diſſidiis inter ſe pugnantia, ex quo Deus omnia miſcuit, cum dedit omnibus vitam & halitum.

Spiritum qui ex Deo eſt, ſpiritum recreationis dicemus illum, qui nullo interjecto medio emanat & producitur à Deo: qui mere ſpiritalis, ſtabilis, incorruptibilis, & æternus eſt: qui paſcitur

ſcitur igne viſionis Dei,quem Deus unice diligit & eligit. Spiritum hujus Mundi, ſpiritum creationis conſtituemus illum, quo Mundus animatus eſt, & qui toti ſe ejus machinæ in creatione miſcuit. Spiritus ergo ille eſt, qui medio interpoſito creatus à Deo, qui animalis, materialis, carnalis, & corporeus eſt, quatenus materialia, carnalis, & corporea vivificat: qui mutabilis & vanitati obnoxius, qui corruptibilis eſt: qui mortem redolet,qui ſtupet & liqueſcit ante oculos Dei: quem Deus faſtidit & reprobat.

Deus quo tempore creavit Mundum, afflavit creata & viventia Mundi omnia Spiritu illo Mundi & creationis per quem vivunt. Sed non item infudit Mundi creatis & viventibus omnibus Spiritum illum recreationis, per quem creata & viventia obſoleta renovantur, corrupta recreantur, mortua in vitam æternam reſurgunt. Imo illo tantum numerum certum Electorum, & ſibi certo cognitum, communicavit; eo conſilio & decreto, ut quæcumque ex electis informaret Spiritus ille; in gratiam, & potentia illius, immortalitate donarentur, & patientia fierent cœleſtis illius ignis qui probaturus eſt omnia; Die illa qua omne vitium Mundi excoquetur; qua amovebuntur & conſumentur,qua peribunt factitia omnia, mutabilia vana, mortalia & corruptioni mancipata, quæ Deus faſtidit & reprobat.

CAPUT VII.

De uno Deo: & de uno ſpiritu qui ex Deo eſt. De variis ſive diis, ſive ſpiritibus.

SPiritus recreationis idem qui ſpiritus qui ex Deo eſt, & ſpiritus Chriſti, per quem recrea-

tio eſt; unus eſt, impatiens conſortis & numeri. Spiritus creationis plures eſſe, tum in cœlo tum in terra, demonſtravit Apoſtolus, Corinthiorum 1. cap. 8. quos eo loci vocavit *Deos, & Dominos*. Verba D. Pauli hæc ſunt. *Nullus Deus niſi unus. Nam etſi ſunt qui dicuntur Dii, ſive in Cælo, ſive in terra: ſiquidem ſunt Dii multi & Domini multi: nobis tamen unus Deus eſt.* Deos & Dominos illos in cœlo & in terra, vocavit Apoſtolus idem Romanorum 8, ὕψωμα καὶ βάθος; *altitudinem & profunditatem*: quos ibi recenſet inter creationis ſpiritus: ſubjunxit enim, οὔτε τις κτίσις ἑτέρα. Et certe, qua ratione Paulus idem, Epiſtola ad Epheſios, conſtituit nequitiæ Spiritus in cœleſtibus, non incommode putaveris nequitiæ Spiritus dari in terreſtribus. Quia enim ſcriptum legas Samuelis 1. cap. 28. *Magam vidiſſe Deos*, id eſt Spiritus, *de terra aſcendentes*; Spirituum illorum præcipuus ille eſt, quem ſacri Codices vulgo indigitant, Diabolum, Satanam, Belial, Mammona, Principem poteſtatis aëris, ſeculi & mundi hujus. Cuique datos fuiſſe Spiritus ſatellites & Angelos, ſacri itidem utriuſque fœderis libri paſſim teſtantur. Spirituum illorum principem, nec non Spiritus omnes Angelos illi ſubmiſſos, creatos fuiſſe in principio ad imaginem Dei creatoris, bonos & rectos, nec non creatione mutabili & corruptibili conflatos, docuit nos Iuda Apoſtolus, Epiſtola ſua catholica. Quo loci diſerte ait, *Spiritus illos non ſervaviſſe Principatum ſuum, ſed domicilium ſuum dereliquiſſe.* Habuiſſe ergo illos præſumendum eſt, principatum bonum quem non ſervaverunt, & domicilium rectum quod dereliquerunt. Hinc illud eſt Iobi 4. *Ecce qui ſerviunt*

viunt ei, non ſunt ſtabiles: Et in Angelis ſuis reperit pravitatem.

Spiritus illi omnes ut afflaverunt quæcunque creationis legibus ſubjecta fuerant, *& in illis operati ſunt*, ut loquitur Apoſtolus Epheſior. 2, credibile eſt, omnia Mundi creata degeneraviſſe à perfectione boni & recti creationis ſuæ, quo momento ſpiritus illi principatu & domicilio ſuo recto ceciderunt. Atque hinc factum eſſe, quod primæ creationis homines, Dei creatoris ſui obliti, nec non ſpiritibus illis creationis corruptæ incitati, aberraverint à rectitudine creationis primæ, & evanuerint in cogitationibus ſuis. Hinc certe illa fuit obſcurati ſui cordis inſipientia; qua Deum creatorem ſuum non putaverunt; qua Spiritibus impuris ſe dediderunt; qua illos coluerunt; qua *ſervierunt creaturæ potius quam Creatori*; qua denique *mutaverunt gloriam Dei incorruptibilis in ſimilitudinem imaginis hominis corruptibilis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentum.* Rom. 1.

Sacerdotes & Philoſophi è Gentibus, qui Deum patrem, & creatorem ignoraverunt: varios obſervaverunt Spiritus & Deos, quos Reges & duces variorum ordinum conſtituerunt; quoſque vel in cœlo, vel in ſideribus, vel in igne, vel in aëre, vel in aquis, vel in terris, imo & ſub terris collocaverunt: & quorum imagines variis ſacrorum & incantationum ritibus, evocari potuiſſe non negaverunt. Conſideraverunt ſcilicet cognationem quandam, compaſſionemque Spirituum illorum, cum rebus omnibus creatis, quas ſympathia & ſimilitudine ſua afficerent. Animalia & vegetabilia quæque, ab arboribus ad metalla & lapides, ſpiritibus illis tangi & duci voluerunt. Imo cuncta precari, hymnoſ-

que concinere ad Ordinis ſui duces. Itaque, aiebant illi, Soliſequa movetur ad Solem : acſi quis poſſet audire pulſationem ab ea in aëre circuitu factam, ſonum quendam erga Regem ſuum compoſitum animadverteret, qualemcunque poteſt planta conficere. Lotus ad planetam eundem explicat & implicat folia ſua, gradatim, ut gradatim aſcendit & deſcendit Sol : quem planta illa motu foliorum, tanquam labiorum, videtur honorare. De Selenetropiis vero quæ vertuntur ad Lunam, eadem illi jactavere, quæ de Heliotropiis quæ vertuntur ad Solem. Noti ſunt Gallorum plauſus & cantus ad Solis adventum; quos vocaverim planctus cum Sol decedit vel abſconditur. Canes Lunam allatrant, & Syrio inflammati ad rabiem efferuntur. Quid præterea dicam de lapide Helitide, qui radiis ſuis aureis Solares radios imitatur ? Nec non de lapide Selenite, qui figura Lunæ corniculari ſimilis eſt, & ſui mutatione Lunarem ſequitur motum ? Quid denique de lapide Helioſeleno, qui Solis & Lunæ congreſſus exhibere videtur ? Taceo metalla ſeptem, quibus ſingulis, ſinguli ſeptem planetæ aſſignantur. Tum quercus Iovi ſacras, lauros Apollini, oleas Minervæ, populos Herculi : equos Neptuno, ſues Cereri, hircos Baccho, oves nigras Iunoni inferæ, Serpentes Epidaurio : & quæcunque de genere hoc, adeo ſunt multa, delaſſare valerent enumerantem.

Hominem omnium animantium mage compoſitum cenſuerunt Myſtæ illi antiqui : atque idcirco Microcoſmum dictum, quia rerum omnium creatarum naturam participaret. Hominum itaque alios Saturno caperari, alios Iove hilareſcere : alios Marte iraſci ; hos Sole rutilare,

lare, illos Venere laſcivire: unos Mercurio fallere, alteros Luna deficere. Sed & alios, ut pecora Arcadica, rudere; alios canibus ſimiles, hos porcis, leonibus illos rapacibus; columbis unos, alteros ſerpentibus. Imo homines verſos in beſtias ipſas, in arbores, in lapides, tradiderunt fabulæ: Secundum puta varias aptitudines, ſimilitudines, & participationum ſympathias, quas hominibus eſſe cum rebus omnibus creatis proditum eſt. Sed & Pythones in ventribus hominum confeſſos: nec non hominibus datos, his Spiritus mendacii, illis Spiritus ſoporis, aliis vertiginis, ſacræ nos docuerunt paginæ. Tum Spiritus veteratores, ſeductores & illuſores, homines in tentationem inducere, manifeſtum ex eo eſt, quod Dominus ipſe diſcipulos ſuos hortatus ſit, *ne cuivis Spiritui crederent.* Imo & illos increpuerit, *quia neſcirent quo Spiritu ducerentur.* At ſocrum D. Petri, *Spiritu febrili* vexatam, Euangelio teſte comprobatum eſt.

Homines ergo poſt creationem ſuam à Deo relictos, ut ſui arbitrii evaderent: tum variis Spiritibus, Diis, & Dominis, qui illos incitarent, permiſſos: quis mirabitur tam multiplices, & tam variis rerum creatarum formis, ſibi conſtituiſſe & coluiſſe Deos? ſi reputaverit cognationes & compaſſiones pene innumeras, quas homines cum Spiritibus, Diis, & Dominis illis, nec non cum rebus omnibus creatis, ſuperis & inferis, habuiſſe compertum eſt.

Spiritus & Deos illos, à rectitudine & perfectione creationis in mutabile ſuum revolutos, abominatus eſt Deus abominatione illa, qua rectiſſimo & optimo prava & mala cordi eſſe non poſſunt. Deos hacpropter legas illos Codici-

bus ſacris nominitari, Spiritus nequam, & nequitias: Spiritus erroris: Spiritus malos, & peſſimos. Quale illud eſt Iudicum 9. *Miſit Deus Spiritum peſſimum inter Abimelech, & habitatores Sichem.* Deos præterea vanos & mendaces improba: Idola fallacia, abominationes, immundicias, pollutiones, proſtibula, ſtercora. Imo ſopores, & furores Domini. Tale illud Samuelis 1. cap. 26. *Irruerat ſopor Domini ſuper Saul & ſuos.* Sopor vero Domini idem eſt hoc loco, qui Spiritus nequam à Domino, ſuperiori capite 16 ejuſdem libri, ubi legas, Spiritum Dei receſſiſſe à Saulo, & exagitaviſſe illum *Spiritum nequam à Domino.* Tale itidem illud & Samuelis 2. cap. 24. *Addidit furor Domini iraſci contra Iſrael.* Quod liber primus Paralipomenon de eadem re loquens expreſſit his verbis. *Conſurrexit Sathan contra Iſrael.* Vbi Satan idem eſt qui furor Domini, ſive à Domino.

Quin & Spiritus, Deos & Dominos illos, lege creationis ſuæ mutabilis & corruptibilis, mortales eſſe; imo & morti æternæ damnatos, libri ipſi ſacri teſtes ſunt idonei. Apud quos facinoroſi & nequam homines, vocati ſunt *filii Belial.* Filii Heli dicti ſunt *filii Belial*, Samuelis 1. cap. 2: nec non Nabal homo nequam, Filius Belial infamatus eſt, libro eodem cap. 25. At idem filius Belial, vocatus eſt *Filius mortis*, Samuelis 2. cap. 12. Et libro eodem cap. 23. torrentes mortis, vocati ſunt *torrentes Belial*: ubi David in cantico ſuo hæc ait. *Circumdederunt me contritiones mortis: torrentes Belial terruerunt me.* Quibus locis Belial non ſolum mortalis, ſed mors ipſa dicitur: Vt pote qui Spirituum omnium princeps, nec non Spiritus

ipſi

ipſi omnes adminiſtri ejus, mortales, & morti ex qua non reſurgitur in vitam, adjudicati ſint. Quis vero non credat Spiritus illos morti æternæ deſtinatos? Si Deus ipſe profeſſus ſit, extremo illos rerum corruptibilium judicio damnandos, & in ignem æternum cum reprobis præcipitandos?

CAPUT VIII.

Homines Spiritibus pravis emoti, ceciderunt è ſtatu ſuo recti quo creati erant, in pravum naturæ ſuæ. Reſtituti in melius per Spiritum recreationis, qui unus ex Deo eſt, norunt Deum quem ignorat caro & ſanguis: Sanctitatem aſſequuntur, quam non poterant creatione ſua prima adipiſci. Et mortem ſuam naturalem immortalite ſupernaturali redimunt.

LAbem omnem peccatorum quæ peſſundediſſent homines, hinc maxime deducit Apoſtolus, capite 1. Epiſtolæ ad Romanos, quod Deum creatorem miſſum feciſſent, & ſeſe Diis illis & Dominis Spiritibus impuris permiſiſſent; Hinc nimirum occœcatas illorum mentes, nec non ſuis ſibi traditos deſideriis, turpibus & nefandis contra naturam exarſiſſe cupidinibus. Tum quas meruiſſent erroris ſui mercedes, in ſemêt ipſis recepiſſe. Tantam vero inde feneſtram patefeciſſe ad nequitiem & turpitudinem, ut per illam tandem ad omne peccatum abiiſſent. Et ſicuti Deum noſſe poſthabuiſſent ſuæ libidini, tradidiſſe viciſſim illos Deum in ſenſum reprobum, ut facerent homines quæ indigna eſſent hominibus. Hinc ſcilicet iniquos factos, malos, fornicatores, avaros, nequitiæ deditos, invidiæ & ſanguinis

plenos, litigatores, fraudulentos, malignos, ſuſurrones, detrectatores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, ſcelerum inventores, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectu, abſque fœdere & ſine miſericordia.

Homines certe Spiritibus illis emoti, nec non concitatione eadem ſuis ſibi appetitionibus impulſi, pro affectione & compaſſione quæ his cum illis eſt: Homines inquam ſua peccatorum mole oppreſſi, & lutulento cœno merſi, deſperaviſſent de ſalute ſua, neque plantas evellere inde potuiſſent, ni Deus illos auxilio levaviſſet, & potentes manus ſuas, quæ miſeros inde elicerent, de cœlo tetendiſſet. At non illa mens Deo fuit, quæ pluribus hominibus, qui infortunio gravatos præſentibus malis eripiunt, nec deinde ſolliciti ſunt ut res illorum lapſæ in melius referantur. Auctius & melius fecit Deus hominibus. Emerſos luto ſuo flumine vivo primum abluit: candidatos deinde & albatos mento levavit: illoſque tandem ab infamia volutabri ad cœli ſui gloriam excepit: nec non participes fecit cognitionis, ſanctitatis, & immortalitatis divinæ, quæ in feliciſſimo ejus conſpectu eſt. Illud autem vi & virtute Spiritus illius qui ex Deo eſt, quique Spiritus ipſe Dei eſt, ſecunda & nova creatione perfecit: puro puto ejus placito, benigna mente, benigno erga homines animo, & mero beneficio. Quod donum Dei, & pura puta ejus gratia, proinde inſignitur.

Conſiſtant ergo hic quicunque ſe bene noſſe cupiunt, & grato in Deum redhoſtire ſatagunt animo. Guſtent & videant quam dulcis & ſuavis Dominus; Recolant quantis beneficiis, non homi-

hominum merito, homines promeritus ſit. Cogitatione defigant, ſe animales eſſe, *& animales non percipere illa quæ ſunt Dei, neque intelligere poſſe quæ ſpiritaliter examinantur.* 1 Corinthiorum 2.14. Sapientiam animalem, *Diabolicam* dici, D. Iacobo cap. 3. & ſpientiæ divinæ ex adverſo oppoſitam. *Carnem & ſanguinem myſteria Dei non retegere, ſed Deum qui in cælis eſt.* Matthæi 16. Conſiderent proinde ſecum in animo, quantaquanta ſit illorum imbecillitas in Deo cognoſcendo. Se *nebulas eſſe turbinibus exagitatas*, qui, ut loquitur D. Petrus, *omni vento doctrinæ circumferuntur*, neque uni Deo affiguntur. Non poſſe illos ex ſeſe accipere *Spiritum veritatis, quia non vident eum, neque ſciunt eum.* Ioannis Euangelio, cap. 16. Quin neque ſe ipſos noſſe: *ignorare quæ ſit via Spiritus, & qua ratione impacta fuerint oſſa ſua in matrum ſuarum uteris.* Eccleſiaſtæ 11. At *ſi non intelligant vias ſuas, qua ratione intelligant vias Domini?* Proverbiorum 20. *Inveſtigabiles* idcirco dici *divitias Dei*, Apoſtolo, quia *homo animalis non capit illas.* Imo quia neque illas propter exſuperantiam ſplendoris & altitudinis capere poteſt. Se ipſos ergo reputent, ex ſe ipſis orbos auxilii, opumque, ad Deum aſſequendum: cœcos & tenebricoſos in cognitione ejus: quibus propterea ſecundum ſuum meritum, & dictum D. Petri 2. 2, *Caligo tenebrarum reſervaretur.* Occaſionem vero hinc arripiant benedicendi Deo, uſque adeo bono & facili, qui adverſum & obviam ierit hominibus eum neſcientibus; qui ſe illis ultro obtulerit & noſcendum præbuerit. Imo qui illos vias ſuas docuerit, & ſicut amicus amicum ſolet, quam familiariter affatus eſt.

Meditentur rurſus, quam prava ſit affectio cordis eorum. *Homines omnes, ſicut & Mundum totum, in maligno poſitos*, D. Ioannis 1. cap. 5. Materiæ ſuæ, *& fæcibus ſuis defixos*, Sophoniæ 1. Peccatum potare ſicut piſces aquam potant. Senſus & cogitationes hominum in malum pronas eſſe *ab adoleſcentia*, Geneſeos 8. hoc eſt, indole & natura ſua innata. At qua ratione Æthiops non mutat pellem ſuam, neque Pardus varietatem, quia illis innatæ ſunt: Ieremiæ 8. Ita neque homines benefacere poſſe, cum malum didicerint, & malum illis innatum ſit. Naturæ ſuæ opera malos eſſe, & ſuapte malitia. Voluntatem carnis, voluntati Dei contrariam; atque idcirco ſapientiam carnis inimicitiam Deo eſſe. Legi divinæ non ſubjici, *neque poſſe ſubjici*, edicente Apoſtolo cap. 8. ad Romanos. Duros ſe eſſe, & cervicem ſuam nervum ferreum; qui rectum & perfectum creationis ſuæ detractaverit, & ſeveriori legis divinæ jugo ſubmitti non potuerit. Recordentur parte alia, Deum non ſolum bonum & rectum eſſe; quales homines in principio creati fuerant boni & recti: ſed, quod ſupra homines excellſiſſimum eſt, ſanctiſſimum: cui averſa ad nauſeam, & inimica ſint prava, maligna, & peccata omnia. Benignitatem igitur & liberalitatem Dei extollant, qui nihilo ſecius ita ſe cum hominibus comparaverit, ut ad illos pravos, malignos, & peccatores accedere non piguerit; particulamque illis ſanctitatis ſuæ, juſtitiæ & pacis oſculo, afflare non dedignatus ſit.

In hanc demum cogitationem veniant. *Hominem putredinem eſſe, & filium hominis vermem*, Iobi 25. Tum quam vane conſtituerit Deus homines. Fœnum omnes eſſe, & tanquam flores

agri

agri deflorеſcere. Imo fœni ad inſtar, cujus ſimulacrum habent, de mane uſque ad veſperam ſuccidi. Homines, homunciones, non homines, qui toti nihil ſunt, habitare domos luteas, quæ terrenum habeant fundamentum; quæque conſumantur velut à tinea. Subſtantiam illorum vanam, ſtipulam eſſe, quæ ignito deflatur ſpiritu; illoſque tandem, ex peccato naturæ ſuæ corruptibilis, mortem neceſſario conſequi: vel, quod idem eſt, anancæo & morte, quod neceſſitatis poculum eſt, creationis ſuæ fato, dari omnibus quod bibant. Naturam præterea illorum, ut ita dicam, ſtupeam ante Deum, qui ignis conſumens eſt, & cujus ante oculos compages humana labat, miraculo transformari in Dei ipſius naturam igneam: cujus virtute, contemplatione ejus glorioſiſſima, paſcantur. Et quod palmarium hominibus eſt, mortalitatem eorum immortalitate commutari, ut in æternum gloria illa ſatientur.

Reputent ergo illud ſedulo & ſemper apud ſe: creatos ſe quidem in principio rectos & perfectos: ſed rectitudine & perfectione illa tantum, quæ peripheria hominum continebatur: Atque ingenio uſque adeo corruptibili; ut à ſummitate circuli ſui, & perfecti, ad centrum corrupti & imperfecti præcipitati ſint. Quodſi recti & perfecti creati, rectitudinem & perfectionem ſuam non tenuerunt: quanto minus pravi & imperfecti potuere illi attingere ea quæ ſupra rectitudinem & perfectionem ſuam poſita fuerunt? Supra, inquam, toto intervallo quo terra cœlo, creatio creatore, & homo Deo diſtat. Imo data illis fuerit ſcala qua cœlum ſcanderent, vel alarum pernicitas qua ad Deum tranſvolarent. Quo ſuo intellectu, vel qua ſua men-

tis acie potuere illi cognitionem Dei conſequi; cujus negata omnino hominibus via eſt; quique nullam, vel minimam, ſui ipſius notitiam habent? Qua naturæ ſuæ indole ſanctitatem Dei adipiſci, *qui malum & ipſum quod nolunt, inviti faciunt?* Rom. 7. Qua meriti confidentia, vel qua Virtutis ſuæ conſcientia, immortalitatem divinam præripere; cujus cauſas tam procul habent, ut neque momento, neque momenti, ſi fas eſt dicere, ramento, depactos vitæ ſuæ terminos prolatare poſſint? Se igitur virium innatarum inopes, & nullo modo potes fateantur, ad beneficia tanta conquirenda, & tanta rerum intercapedine à ſe diſſita. Eoque Deum ſubmiſſius & ſanctius venerentur, quo benignius & liberalius inopiæ & debilitati eorum indulſerit.

CAPUT IX.

Recreatio hominum, gratia & donum Dei eſt. Non omnibus datur hominibus recreari. Sed electis tantum. Electio in rebus naturalibus eſt. Electio divina in electis Dei eſt. Qui ſint Electi. Et qui dicantur Reprobi.

FIxum igitur ratumque ſit, cognitionem, ſanctitatem, & immortalitatem divinam, quibus ſalus hominum conſtat, & beatitudo cœleſtis perficitur; comparari nuſquam potuiſſe hominibus, vi & virtute creationis primæ, qua homines perfecti conditi ſunt: ut pote quæ ſupra humanam perfectionem poſita ſint. Verum illa hominibus dono dari, mera Dei liberalitate & beneficentia: nec non eos ad poſſeſſionem bonorum tantorum abripi, potentia & ſpiritu recreationis, quæ ſecunda hominum creatio eſt.

At

At quamvis Deus, ut ante dixi, non ſufflaverit ſpiritum recreationis illum rebus omnibus creatis, ſed eum ſpeciatim hominibus indiderit: neque totam idcirco ſpeciem hominum donavit ſpiritu illo, cujus virtute detur omnibus Deum noſſe ſicuti eſt: cujus efficacitate liceat omnibus eſſe ſanctis, quemadmodum Deus eſt ſanctus: cujus denique potentia, vitam omnes æternam, quæ immortalitas divina eſt, adipiſcantur. Imo ſpiritum illum impertivit Deus Electis tantum hominibus, quos è loco & ordine hominum, ad locum & ordinem ſupra homines excelſiſſimum evexit, quos divinis ſuis dotibus, cognitione & ſanctitate ſua celebravit, & quos ſibi tandem immortales, & quaſi Deos cooptavit. Ita ut veriſſime, & ad hanc rem accommodatiſſime uſurpari poſſit; Deum, qui omnium rerum Dominus eſt, perpaucorum tamen, & Electorum hominum eſſe Deum.

Electio in rebus omnibus creatis eſt. Electiora ſunt animata inanimatis. Animatorum rurſus, ſenſitiva vegetativis, rationalia ſenſitivis præſtant. Sed in lapidibus & metallis, exquiſitior eſt lapis lapide, & metallum metallo pretioſius. Terra item datur electa, & terra datur reproba. Delectus eſt in floribus, tum colore tum odore, electioribus. Electior eſt cedrus arbuto, vitis labruſca, & mites arborum fructus ſilveſtribus dulciores ſunt. Animantium, leones, fortitudine præcellunt, cervi celeritate antideunt, agni manſuetudine eximii ſunt. Volucrum, luſcinia cantu, aquila volatu ceteras vincit Tum pecudum & avium carnibus, ſapidiora alia aliis condiuntur edulia. Quid porro dicam de hominibus? Alii aliis ſunt generoſo honeſto commen-

mendatiores; alii aliis ſublimiores, pulchriores, nobiliores, honoribus & divitiis fortunatiores: alii aliis tum virtutis ſtudio, tum ingenii perſpicacitate, tum rerum notitia excellentiores. Electio itidem in vita & duratione rerum eſt. Quædam repente exoriuntur, & repentino occidunt. Cornix juſtam ſeneſcentem vitam hominum novies implere dicitur: cervus cornicis annos quater egreditur: corvus ter in vitam cervi ſuperexit: Phœnix ætatem corvi novies multiplicat: &, ſi credimus antiquiſſimis ante Heſiodi tempora fabularum traditionibus; Hamadryades vita ſua longiſſima Phœnicis ævum decies prævertunt. Adde his vitam, ſi placet, vel durationem cœli & terræ: tum æviternum conjugium illud, quo cœlum in gremium terræ deſcendit, & quo terra perpetuis in cœlum germinibus repullulat: tum à ſempiterno manantem ſtellarum in cœlis ordinem: tum Solis & Lunæ motus indefeſſos, quibus indeſinenter rapiuntur, & quibus ipſa temporum æviternitas ſignatur.

In his vero creatis omnibus Electio divina non eſt. Electio inquam illa qua Deus non omnes ſibi elegit homines: quæ non eſt de genere & ſanguine creationis primæ: quæ genus omne creatorum tranſcendit, & toto cœlo ſupra eſt: quæque recreationis, id eſt ſecundæ, non primæ creationis, Electio eſt. Certe ſi quid eſt in creatione prima vel exquiſitum, vel pretioſum, vel delectum, vel delicatum, vel forte, vel ſublime, vel pulchrum, vel nobile, vel fortunatum, vel ſapientia reconditum, vel duratione & vita ſempiternum: Illud eſt in recreatione vel creatione ſecunda, longiſſime exquiſitum ultra exquiſitum, longiſſime pretioſum ultra pretio-

tio-

tioſum, longiſſime delectum ultra delectum, longiſſime delicatum ultra delicatum, longiſſime forte ultra forte, longiſſime ſublime ultra ſublime, longiſſime pulchrum ultra pulchrum, longiſſime nobile ultra nobile, longiſſime fortunatum ultra fortunatum, longiſſime ſapiens ultra ſapiens, longiſſime ſempiternum ultra ſempiternum.

Sed de his Baruc audiendus eſt, capite 3 libri ſui. *Vbi ſunt*, inquit, *Principes gentium, & qui dominantur ſuper beſtias, quæ ſunt ſuper terram: qui argentum theſaurizant, & aurum, quo confidunt homines? Exterminati ſunt. Filii Agar exquiſierunt ſcientiam quæ de terra eſt, fabulatores & exquiſitores intelligentiæ. Ibi fuerunt Gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt ſtatura magna, ſcientes bellum. Non hos elegit Dominus.* Ait ille, Electionem divinam non degiſſe penes Reges & principes gentium: penes doctos & ſapientia humana pollentes: penes divites & nobiles: penes fortes & heroas, clara & nominata bellorum fulmina. Quia, inquit, perierunt, & exterminati ſunt. Quia legem illam naturæ & creationis primæ, qua homines ad mortem omnes nati & creati ſunt, impleverunt: nec compotes evaſerunt vitæ illius æternæ, quæ Electionis divinæ potentia, & ſecundæ creationis virtute conſtitit.

Dicitur Deus homines illos eligere & ſibi aſſumere, quos denuo fingere, & ſecundo creare inſtituit: quibus ſe notum dedit & confeſſus eſt: quos ſanctitate ſua donavit: quos immortalitatis ſuæ, quæ vita æterna eſt, participes fecit: quoſque proinde ab hominibus ad Deos evexit. Dicitur porro deus idem, homines illos reprobare & ejicere, quos creare tantum nec recrea-

injuriam vel contumeliam decrevit rebus illis creatis, quas minus honorabiles effinxit: niſi contumelia putetur illa, quæ verius honoris privatio eſt. Honor eſt verbi gratia, inanimato, creatum eſſe à Deo: ſed eidem contumelia putatur, non creatum eſſe in honorem animati. Honor eſt vegetativo, animatum eſſe: ſed eidem contumelia putatur, animatum non eſſe in honorem ſenſitivi. Honor eſt ſenſitivo, animale eſſe: ſed eidem contumelia putatur, animale non eſſe in honorem rationalis. Honor eſt homini rationali, ceteris ratione ſua præſtitiſſe animantibus: ſed eidem contumelia putatur, Electum non fuiſſe in honorem ſecundæ creationis illum, quo intellectus ratione, & homo homine, excelſiſſimo gloriæ intervallo intereſt. At vero, ô homo, tu quis es qui de Deo quereris, & cum illo expoſtulas, qui te creationis honore dignatus eſt; ſi te præterea ad recreationis gloriam non elegerit? Numquid dicet figmentum ei qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic?

CAPUT X.

Electio divina dupliciter conſideratur: in Deo & in Myſterio. Illa ab æterno eſt. Hæc myſticis temporum occaſionibus diſpenſatur. Illa homines omnes indiſtincte admittit. Hæc Iudæos primo elegit, & in Iudæis Gentes terrarum omnes aſſumpſit.

Electio divina illa quæ recreatione conficitur, & quæ proprie, hominum tranſitus eſt ab hominibus ad Deos, dupliciter conſideratur: vel in deo, vel in myſterio. Electio in deo ab æterno eſt: edicente Apoſtolo cap. 1. epi-

epiſtolæ ad Epheſiòs: quo loci Electos ſtatuit *ante ipſam Mundi conſtitutionem.* Vbi porro nullus habetur reſpectus, vel ad gentem, vel ad perſonas: ſecundum illud D. Pauli, aſſerentis cap. 3. ad Coloſſenſes: *Apud Deum non eſſe Gentilem, neque Iudæum, neque circumciſionem, neque præputium, neque Barbarum neque Scytham, neque ſervum neque liberum.* Quo refer & illud Romanorum 2. *Non eſſe acceptionem perſonarum apud Deum.*

Electio in myſterio, myſtica ſeculorum diſpenſatione peragitur; reſpectu myſtico habito ad gentem, vel acceptione myſtica perſonarum habita; qua hominibus peculiariter electis, Electionem ſuam myſticam deus primo impertivit; & à quibus Electionem eandem illam, tanquam à ſuo fonte, in ceteros deinceps gentium omnium homines, derivari & effundi voluit. Myſterio & conſilio nobis incognito, quod deus apud ſe condidit, *& ſignavit in theſauris ſuis;* ut loquitur Moſes in cantico ſuo. Cujus propterea vias inveſtigabiles inſiſtere poſſe, temere ne præſumamus: & de illo nihil proferamus, quod Scripturas ſacras non ſapiat, quantum in illis ſapere conceſſum erit hominibus.

Illud autem pro certo & indubitato paginis ſanctis traditum eſt: Deum præ ceteris gentibus, & ceteris gentium omnium hominibus, elegiſſe gentem Iudaicam, & Iudæos homines, quos primum, & ante omnes gentium omnium homines, Electione ſua donaret. Electione inquam illa, quæ vera dei cognitione, quæ ſanctitate divina, quæ recreatione, & reſurrectione in vitam, quæ vita æterna conſtitit. Cujus rei teſtimoniis ſcatent libri omnes quot-

Meditentur rurſus, quam prava ſit affectio cordis eorum. *Homines omnes, ſicut & Mundum totum, in maligno poſitos*, D. Ioannis 1. cap. 5. Materiæ ſuæ, *& fæcibus ſuis defixos*, Sophoniæ 1. Peccatum potare ſicut piſces aquam potant. Senſus & cogitationes hominum in malum pronas eſſe *ab adoleſcentia*, Geneſeos 8. hoc eſt, indole & natura ſua innata. At qua ratione Æthiops non mutat pellem ſuam, neque Pardus varietatem, quia illis innatæ ſunt: Ieremiæ 8. Ita neque homines benefacere poſſe, cum malum didicerint, & malum illis innatum ſit. Naturæ ſuæ opera malos eſſe, & ſuapte malitia. Voluntatem carnis, voluntati Dei contrariam; atque idcirco ſapientiam carnis inimicitiam Deo eſſe. Legi divinæ non ſubjici, *neque poſſe ſubjici*, edicente Apoſtolo cap. 8. ad Romanos. Duros ſe eſſe, & cervicem ſuam nervum ferreum; qui rectum & perfectum creationis ſuæ detractaverit, & ſeveriori legis divinæ jugo ſubmitti non potuerit. Recordentur parte alia, Deum non ſolum bonum & rectum eſſe; quales homines in principio creati fuerant boni & recti: ſed, quod ſupra homines excelſiſſimum eſt, ſanctiſſimum: cui averſa ad nauſeam, & inimica ſint prava, maligna, & peccata omnia. Benignitatem igitur & liberalitatem Dei extollant, qui nihilo ſecius ita ſe cum hominibus comparaverit, ut ad illos pravos, malignos, & peccatores accedere non piguerit; particulamque illis ſanctitatis ſuæ, juſtitiæ & pacis oſculo, afflare non dedignatus ſit.

In hanc demum cogitationem veniant. *Hominem putredinem eſſe, & filium hominis vermem*, Iobi 25. Tum quam vane conſtituerit Deus homines. Fœnum omnes eſſe, & tanquam flores

agri

agri deflorefcere. Imo fœni ad inſtar, cujus ſimulacrum habent, de mane uſque ad veſperam ſuccidi. Homines, homunciones, non homines, qui toti nihil ſunt, habitare domos luteas, quæ terrenum habeant fundamentum; quæque conſumantur velut à tinea. Subſtantiam illorum vanam, ſtipulam eſſe, quæ ignito deſiatur ſpiritu: illoſque tandem, ex peccato naturæ ſuæ corruptibilis, mortem neceſſario conſequi: vel, quod idem eſt, anancæo & morte, quod neceſſitatis poculum eſt, creationis ſuæ fato, dari omnibus quod bibant. Naturam prætcrea illorum, ut ita dicam, ſtupeam ante Deum, qui ignis conſumens eſt, & cujus ante oculos compages humana labat, miraculo transformari in Dei ipſius naturam igneam: cujus virtute, contemplatione ejus glorioſiſſima, paſcantur. Et quod palmarium hominibus eſt, mortalitatem eorum immortalitate commutari, ut in æternum gloria illa ſatientur.

Reputent ergo illud ſedulo & ſemper apud ſe: creatos ſe quidem in principio rectos & perfectos: ſed rectitudine & perfectione illa tantum, quæ peripheria hominum continebatur: Atque ingenio uſque adeo corruptibili; ut à ſummitate circuli ſui, & perfecti, ad centrum corrupti & imperfecti præcipitati ſint. Quodſi recti & perfecti creati, rectitudinem & perfectionem ſuam non tenuerunt: quanto minus pravi & imperfecti potuere illi attingere ea quæ ſupra rectitudinem & perfectionem ſuam poſita fuerunt? Supra, inquam, toto intervallo quo terra cœlo, creatio creatore, & homo Deo diſtat. Imo data illis fuerit ſcala qua cœlum ſcanderent, vel alarum pernicitas qua ad Deum tranſvolarent. Quo ſuo intellectu, vel qua ſua men-

tis acie potuere illi cognitionem Dei conſequi; cujus negata omnino hominibus via eſt; quique nullam, vel minimam, ſui ipſius notitiam habent? Qua naturæ ſuæ indole ſanctitatem Dei adipiſci, *qui malum & ipſum quod nolunt, inviti faciunt?* Rom. 7. Qua meriti confidentia, vel qua Virtutis ſuæ conſcientia, immortalitatem divinam præripere; cujus cauſas tam procul habent, ut neque momento, neque momenti, ſi fas eſt dicere, ramento, depactos vitæ ſuæ terminos prolatare poſſint? Se igitur virium innatarum inopes, & nullo modo potes fateantur, ad beneficia tanta conquirenda, & tanta rerum intercapedine à ſe diſſita. Eoque Deum ſubmiſſius & ſanctius venerentur, quo benignius & liberalius inopiæ & debilitati eorum indulſerit.

Capvt IX.

Recreatio hominum, gratia & donum Dei eſt. Non omnibus datur hominibus recreari. Sed electis tantum. Electio in rebus naturalibus eſt. Electio divina in electis Dei eſt. Qui ſint Electi. Et qui dicantur Reprobi.

FIxum igitur ratumque ſit, cognitionem, ſanctitatem, & immortalitatem divinam, quibus ſalus hominum conſtat, & beatitudo cœleſtis perficitur; comparari nuſquam potuiſſe hominibus, vi & virtute creationis primæ, qua homines perfecti conditi ſunt: ut pote quæ ſupra humanam perfectionem poſita ſint. Verum illa hominibus dono dari, mera Dei liberalitate & beneficentia: nec non eos ad poſſeſſionem bonorum tantorum abripi, potentia & ſpiritu recreationis, quæ ſecunda hominum creatio eſt.

At

At quamvis Deus, ut ante dixi, non ſufflaverit ſpiritum recreationis illum rebus omnibus creatis, ſed eum ſpeciatim hominibus indiderit: neque totam idcirco ſpeciem hominum donavit ſpiritu illo, cujus virtute detur omnibus Deum noſſe ſicuti eſt: cujus efficacitate liceat omnibus eſſe ſanctis, quemadmodum Deus eſt ſanctus: cujus denique potentia, vitam omnes æternam, quæ immortalitas divina eſt, adipiſcantur. Imo ſpiritum illum impertivit Deus Electis tantum hominibus, quos è loco & ordine hominum, ad locum & ordinem ſupra homines excelſiſſimum evexit, quos divinis ſuis dotibus, cognitione & ſanctitate ſua celebravit, & quos ſibi tandem immortales, & quaſi Deos cooptavit. Ita ut veriſſime, & ad hanc rem accommodatiſſime uſurpari poſſit; Deum, qui omnium rerum Dominus eſt, perpaucorum tamen, & Electorum hominum eſſe Deum.

Electio in rebus omnibus creatis eſt. Electiora ſunt animata inanimatis. Animatorum rurſus, ſenſitiva vegetativis, rationalia ſenſitivis præſtant. Sed in lapidibus & metallis, exquiſitior eſt lapis lapide, & metallum metallo pretioſius. Terra item datur electa, & terra datur reproba. Delectus eſt in floribus, tum colore tum odore, electioribus. Electior eſt cedrus arbuto, vitis labruſca, & mites arborum fructus ſilveſtribus dulciores ſunt. Animantium, leones, fortitudine præcellunt, cervi celeritate antideunt, agni manſuetudine eximii ſunt. Volucrum, luſcinia cantu, aquila volatu ceteras vincit Tum pecudum & avium carnibus, ſapidiora alia aliis condiuntur edulia. Quid porro dicam de hominibus? Alii aliis ſunt generoſo honeſto commen-

mendatiores; alii aliis ſublimiores, pulchriores, nobiliores, honoribus & divitiis fortunatiores: alii aliis tum virtutis ſtudio, tum ingenii perſpicacitate, tum rerum notitia excellentiores. Electio itidem in vita & duratione rerum eſt. Quædam repente exoriuntur, & repentino occidunt. Cornix juſtam ſeneſcentem vitam hominum novies implere dicitur: cervus cornicis annos quater egreditur: corvus ter in vitam cervi ſuperexit: Phœnix ætatem corvi novies multiplicat: &, ſi credimus antiquiſſimis ante Heſiodi tempora fabularum traditionibus; Hamadryades vita ſua longiſſima Phœnicis ævum decies prævertunt. Adde his vitam, ſi placet, vel durationem cœli & terræ: tum æviternum conjugium illud, quo cœlum in gremium terræ deſcendit, & quo terra perpetuis in cœlum germinibus repullulat: tum à ſempiterno manantem ſtellarum in cœlis ordinem: tum Solis & Lunæ motus indefeſſos, quibus indeſinenter rapiuntur, & quibus ipſa temporum æviternitas ſignatur.

In his vero creatis omnibus Electio divina non eſt. Electio inquam illa qua Deus non omnes ſibi elegit homines: quæ non eſt de genere & ſanguine creationis primæ: quæ genus omne creatorum tranſcendit, & toto cœlo ſupra eſt: quæque recreationis, id eſt ſecundæ, non primæ creationis, Electio eſt. Certe ſi quid eſt in creatione prima vel exquiſitum, vel pretioſum, vel delectum, vel delicatum, vel forte, vel ſublime, vel pulchrum, vel nobile, vel fortunatum, vel ſapientia reconditum, vel duratione & vita ſempiternum: Illud eſt in recreatione vel creatione ſecunda, longiſſime exquiſitum ultra exquiſitum, longiſſime pretioſum ultra pretio-

tioſum, longiſſime delectum ultra delectum, longiſſime delicatum ultra delicatum, longiſſime forte ultra forte, longiſſime ſublime ultra ſublime, longiſſime pulchrum ultra pulchrum, longiſſime nobile ultra nobile, longiſſime fortunatum ultra fortunatum, longiſſime ſapiens ultra ſapiens, longiſſime ſempiternum ultra ſempiternum.

Sed de his Baruc audiendus eſt, capite 3 libri ſui. *Vbi ſunt*, inquit, *Principes gentium, & qui dominantur ſuper beſtias, quæ ſunt ſuper terram: qui argentum theſaurizant, & aurum, quo confidunt homines? Exterminati ſunt. Filii Agar exquiſierunt ſcientiam quæ de terra eſt, fabulatores & exquiſitores intelligentiæ. Ibi fuerunt Gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt ſtatura magna, ſcientes bellum. Non hos elegit Dominus.* Ait ille, Electionem divinam non degiſſe penes Reges & principes gentium: penes doctos & ſapientia humana pollentes: penes divites & nobiles: penes fortes & heroas, clara & nominata bellorum fulmina. Quia, inquit, perierunt, & exterminati ſunt. Quia legem illam naturæ & creationis primæ, qua homines ad mortem omnes nati & creati ſunt, impleverunt: nec compotes evaſerunt vitæ illius æternæ, quæ Electionis divinæ potentia, & ſecundæ creationis virtute conſtitit.

Dicitur Deus homines illos eligere & ſibi aſſumere, quos denuo fingere, & ſecundo creare inſtituit: quibus ſe notum dedit & confeſſus eſt: quos ſanctitate ſua donavit: quos immortalitatis ſuæ, quæ vita æterna eſt, participes fecit: quoſque proinde ab hominibus ad Deos evexit. Dicitur porro deus idem, homines illos reprobare & ejicere, quos creare tantum nec recrea-

injuriam vel contumeliam decrevit rebus illis creatis, quas minus honorabiles effinxit: niſi contumelia putetur illa, quæ verius honoris privatio eſt. Honor eſt verbi gratia, inanimato, creatum eſſe à Deo: ſed eidem contumelia putatur, non creatum eſſe in honorem animati. Honor eſt vegetativo, animatum eſſe: ſed eidem contumelia putatur, animatum non eſſe in honorem ſenſitivi. Honor eſt ſenſitivo, animale eſſe: ſed eidem contumelia putatur, animale non eſſe in honorem rationalis. Honor eſt homini rationali, ceteris ratione ſua præſtitiſſe animantibus: ſed eidem contumelia putatur, Electum non fuiſſe in honorem ſecundæ creationis illum, quo intellectus ratione, & homo homine, excelſiſſimo gloriæ intervallo intereſt. At vero, ô homo, tu quis es qui de Deo quereris, & cum illo expoſtulas, qui te creationis honore dignatus eſt; ſi te præterea ad recreationis gloriam non elegerit? Numquid dicet figmentum ei qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic?

CAPUT X.

Electio divina dupliciter conſideratur: in Deo & in Myſterio. Illa ab æterno eſt. Hæc myſticis temporum occaſionibus diſpenſatur. Illa homines omnes indiſtincte admittit. Hæc Iudæos primo elegit, & in Iudæis Gentes terrarum omnes aſſumpſit.

Electio divina illa quæ recreatione conficitur, & quæ proprie, hominum tranſitus eſt ab hominibus ad Deos, dupliciter conſideratur: vel in deo, vel in myſterio. Electio in deo ab æterno eſt: edicente Apoſtolo cap. 1. epi-

epiſtolæ ad Epheſios: quo loci Electos ſtatuit *ante ipſam Mundi conſtitutionem*. Vbi porro nullus habetur reſpectus, vel ad gentem, vel ad perſonas: ſecundum illud D. Pauli, aſſerentis cap. 3. ad Coloſſenſes: *Apud Deum non eſſe Gentilem, neque Iudæum, neque circumciſionem, neque præputium, neque Barbarum neque Scytham, neque ſervum neque liberum*. Quo refer & illud Romanorum 2. *Non eſſe acceptionem perſonarum apud Deum*.

Electio in myſterio, myſtica ſeculorum diſpenſatione peragitur; reſpectu myſtico habito ad gentem, vel acceptione myſtica perſonarum habita; qua hominibus peculiariter electis, Electionem ſuam myſticam deus primo impertivit; & à quibus Electionem eandem illam, tanquam à ſuo fonte, in ceteros deinceps gentium omnium homines, derivari & effundi voluit. Myſterio & conſilio nobis incognito, quod deus apud ſe condidit, *& ſignavit in theſauris ſuis*; ut loquitur Moſes in cantico ſuo. Cujus propterea vias inveſtigabiles inſiſtere poſſe, temere ne præſumamus: & de illo nihil proferamus, quod Scripturas ſacras non ſapiat, quantum in illis ſapere conceſſum erit hominibus.

Illud autem pro certo & indubitato paginis ſanctis traditum eſt: Deum præ ceteris gentibus, & ceteris gentium omnium hominibus, elegiſſe gentem Iudaicam, & Iudæos homines, quos primum, & ante omnes gentium omnium homines, Electione ſua donaret. Electione inquam illa, quæ vera dei cognitione, quæ ſanctitate divina, quæ recreatione, & reſurrectione in vitam, quæ vita æterna conſtitit. Cujus rei teſtimoniis ſcatent libri omnes

quot-

recreare dignatus eſt: quorum cordibus non ſplenduit: quos tabo & inquinamento carnis ſuæ turpatos vivere ſivit: quos morte donabiles morte non redemit: quos denique nihil ſupra homines ſapere voluit.

Non eligere, *reprobare*, & *ejicere* dicitur. Quod vulgare eſt apud auctores ſacros. Admiſſus Samuel ad ædes Iſaï, ut, quem non noverat ex filiis ejus unum, in Regem Iſrael ungeret: quamprimum vidit Eliab primogenitum filiorum Iſaï, cujus ore regium decus eminebat, electum ilicet à deo credidit. Sed admonuit deus Samuelem. *Non reſpicias*, inquit, *vultum Eliab, quoniam abjeci eum.* Samuelis 1. cap. 16, *Abjeci eum*, eo loci, vere & reapſe eſt, non elegi eum. Manifeſtius evadet hoc per Euangelium D. Matthæi, cap. 24, de judicio ipſo Electorum & Reproborum, quod fiet in die Domini. *Tunc*, ait Euangeliſta, *unus aſſumetur, & unus relinquetur*. *Relinquetur*, eo loci, manifeſto idem eſt, quod *reprobabitur* & *ejicietur*. Hæc orabat Salomon Regum 1. capite 8. *Sit Deus noſter nobiſcum, non derelinquens nos, neque projiciens: ſed inclinet corda noſtra ad ſe.* Vbi nota primo, *derelinquere & projicere* eadem fuiſſe Regi ſapientiſſimo. Nota ſecundo, *Deum inclinare corda hominum*: quæ viciſſim cum non inclinat, *obdurare* dicitur: nec non *odiſſe* cum non diligit. In quam bonam partem accipiendum illud eſt; *Dilexi Iacob, odio autem habui Eſau.* Eximius demum locus eſt apud Ieremiam Prophetam, ubi Deum introducit exitium Iudæis minitantem. *Dorſum*, inquit Dominus, *& non faciem oſtendam eis, in die perditionis eorum.* Ibi, dorſum vertere Iudæis, occurſare Iudæis fuit. Iudæos relinquere, deſerere, & fugere;

re; Iudæos fuit deturbare, ſternere, peſſundare.

Rejecti ergo & reprobi homines, Deo ſunt proprie, derelicti: vel quod idem eſt, non electi, nec aſſumpti. Quis mos loquendi Iureconſultis non ignotus eſt: apud quos *accreſcere, non decreſcere* eſt, & quibus *jus accreſcendi*, jus proprie eſt *non decreſcendi*. Simili apud Theologos, converſo licet argumento; quicquid accreſcit Electis felicitatis & gloriæ ex recreatione ſua, præter & ultra prærogativam creationis ſuæ; decreſcere dicitur reliquis hominibus, quibus tantum licet eſſe hominibus; ſed quibus nihil conceſſum eſt præter & ultra homines.

Cauſam vero eximiam Electionis hujus reddidit D. Paulus, exquiſito Romanorum loco illo, quo res omnes creatas in manibus dei poſuit, ut lutum eſt in manibus Figuli: nec non eandem poteſtatem in res omnes creatas deo tribuit, quam habet Figulus in lutum; cum ex eadem maſſa, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam facit. Atqui, ſi bene calculum ponas, nunquam ita magnifice de dei bonitate & clementia dicemus, quin ſuperet beneficentia & benignitas ejus, erga opera ſua omnia; ſive illa creationis honore tantum impertiverit, ſive & illa recreationis gloria dignatus ſit. Imo nihil eſt tam vile in rerum natura, quod non in honorem, & in honorem magnum creatum ſit, qua ratione in honorem Dei creatum eſt. Ac veluti Figulus contumelioſe non agit cum luto illo, quod non ad honorem & ornamentum abacorum effingit: niſi ratione comparationis illa, qua vas forſitan ad uſum non dicam contumelioſum, ſed minus honeſtum, rota exiit. Deus item, nullam vel inju-

recreare dignatus eſt: quorum cordibus non ſplenduit: quos tabo & inquinamento carnis ſuæ turpatos vivere ſivit: quos morte donabiles morte non redemit: quos denique nihil ſupra homines ſapere voluit.

Non eligere, *reprobare*, & *ejicere* dicitur. Quod vulgare eſt apud auctores ſacros. Admiſſus Samuel ad ædes Iſaï, ut, quem non noverat ex filiis ejus unum, in Regem Iſrael ungeret: quamprimum vidit Eliab primogenitum filiorum Iſaï, cujus ore regium decus eminebat, electum ilicet à deo credidit. Sed admonuit deus Samuelem. *Non reſpicias*, inquit, *vultum Eliab, quoniam abjeci eum.* Samuelis 1. cap. 16, *Abjeci eum*, eo loci, vere & reapſe eſt, non elegi eum. Manifeſtius evadet hoc per Euangelium D. Matthæi, cap. 24, de judicio ipſo Electorum & Reproborum, quod fiet in die Domini. *Tunc*, ait Euangeliſta, *unus aſſumetur, & unus relinquetur*. *Relinquetur*, eo loci, manifeſto idem eſt, quod *reprobabitur* & *ejicietur*. Hæc orabat Salomon Regum 1. capite 8. *Sit Deus noſter nobiſcum, non derelinquens nos, neque projiciens: ſed inclinet corda noſtra ad ſe.* Vbi nota primo, *derelinquere & projicere* eadem fuiſſe Regi ſapientiſſimo. Nota ſecundo, *Deum inclinare corda hominum*: quæ viciſſim cum non inclinat, *obdurare* dicitur: nec non *odiſſe* cum non diligit. In quam bonam partem accipiendum illud eſt; *Dilexi Iacob, odio autem habui Eſau.* Eximius demum locus eſt apud Ieremiam Prophetam, ubi Deum introducit exitium Iudæis minitantem. *Dorſum*, inquit Dominus, *& non faciem oſtendam eis, in die perditionis eorum.* Ibi, dorſum vertere Iudæis, occurſare Iudæis fuit. Iudæos relinquere, deſerere, & fuge-

re; Iudæos fuit deturbare, ſternere, peſſundare.

Rejecti ergo & reprobi homines, Deo ſunt proprie, derelicti: vel quod idem eſt, non electi, nec aſſumpti. Quis mos loquendi Iureconſultis non ignotus eſt: apud quos *accreſcere, non decreſcere* eſt, & quibus *jus accreſcendi*, jus proprie eſt *non decreſcendi*. Simili apud Theologos, converſo licet argumento; quicquid accreſcit Electis felicitatis & gloriæ ex recreatione ſua, præter & ultra prærogativam creationis ſuæ; decreſcere dicitur reliquis hominibus, quibus tantum licet eſſe hominibus; ſed quibus nihil conceſſum eſt præter & ultra homines.

Cauſam vero eximiam Electionis hujus reddidit D. Paulus, exquiſito Romanorum loco illo, quo res omnes creatas in manibus dei poſuit, ut lutum eſt in manibus Figuli: nec non eandem poteſtatem in res omnes creatas deo tribuit, quam habet Figulus in lutum; cum ex eadem maſſa, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam facit. Atqui, ſi bene calculum ponas, nunquam ita magnifice de dei bonitate & clementia dicemus, quin ſuperet beneficentia & benignitas ejus, erga opera ſua omnia; ſive illa creationis honore tantum impertiverit, ſive & illa recreationis gloria dignatus ſit. Imo nihil eſt tam vile in rerum natura, quod non in honorem, & in honorem magnum creatum ſit, qua ratione in honorem Dei creatum eſt. Ac veluti Figulus contumelioſe non agit cum luto illo, quod non ad honorem & ornamentum abacorum effingit: niſi ratione comparationis illa, qua vas forſitan ad uſum non dicam contumelioſum, ſed minus honeſtum, rota exiit. Deus item, nullam vel

injuriam vel contumeliam decrevit rebus illis creatis, quas minus honorabiles effinxit: niſi contumelia putetur illa, quæ verius honoris privatio eſt. Honor eſt verbi gratia, inanimato, creatum eſſe à Deo: ſed eidem contumelia putatur, non creatum eſſe in honorem animati. Honor eſt vegetativo, animatum eſſe: ſed eidem contumelia putatur, animatum non eſſe in honorem ſenſitivi. Honor eſt ſenſitivo, animale eſſe: ſed eidem contumelia putatur, animale non eſſe in honorem rationalis. Honor eſt homini rationali, ceteris ratione ſua præſtitiſſe animantibus: ſed eidem contumelia putatur, Electum non fuiſſe in honorem ſecundæ creationis illum, quo intellectus ratione, & homo homine, excelſiſſimo gloriæ intervallo intereſt. At vero, ô homo, tu quis es qui de Deo quereris, & cum illo expoſtulas, qui te creationis honore dignatus eſt; ſi te præterea ad recreationis gloriam non elegerit? Numquid dicet figmentum ei qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic?

CAPUT X.

Electio divina dupliciter conſideratur: in Deo & in Myſterio. Illa ab æterno eſt. Hæc myſticis temporum occaſionibus diſpenſatur. Illa homines omnes indiſtincte admittit. Hæc Iudæos primo elegit, & in Iudæis Gentes terrarum omnes aſſumpſit.

Electio divina illa quæ recreatione conficitur, & quæ proprie, hominum tranſitus eſt ab hominibus ad Deos, dupliciter conſideratur: vel in deo, vel in myſterio. Electio in deo ab æterno eſt: edicente Apoſtolo cap. 1. epi-

epiſtolæ ad Epheſios: quo loci Electos ſtatuit *ante ipſam Mundi conſtitutionem*. Vbi porro nullus habetur reſpectus, vel ad gentem, vel ad perſonas: ſecundum illud D. Pauli, aſſerentis cap. 3. ad Coloſſenſes: *Apud Deum non eſſe Gentilem, neque Iudæum, neque circumciſionem, neque præputium, neque Barbarum neque Scytham, neque ſervum neque liberum.* Quo refer & illud Romanorum 2. *Non eſſe acceptionem perſonarum apud Deum.*

Electio in myſterio, myſtica ſeculorum diſpenſatione peragitur; reſpectu myſtico habito ad gentem, vel acceptione myſtica perſonarum habita; qua hominibus peculiariter electis, Electionem ſuam myſticam deus primo impertivit; & à quibus Electionem eandem illam, tanquam à ſuo fonte, in ceteros deinceps gentium omnium homines, derivari & effundi voluit. Myſterio & conſilio nobis incognito, quod deus apud ſe condidit, *& ſignavit in theſauris ſuis*; ut loquitur Moſes in cantico ſuo. Cujus propterea vias inveſtigabiles inſiſtere poſſe, temere ne præſumamus: & de illo nihil proferamus, quod Scripturas ſacras non ſapiat, quantum in illis ſapere conceſſum erit hominibus.

Illud autem pro certo & indubitato paginis ſanctis traditum eſt: Deum præ ceteris gentibus, & ceteris gentium omnium hominibus, elegiſſe gentem Iudaicam, & Iudæos homines, quos primum, & ante omnes gentium omnium homines, Electione ſua donaret. Electione inquam illa, quæ vera dei cognitione, quæ ſanctitate divina, quæ recreatione, & reſurrectione in vitam, quæ vita æterna conſtitit. Cujus rei teſtimoniis ſcatent libri omnes quot-

quotquot ſunt utriuſque fœderis: & quorum locos præcipuos in proceſſu hujus Syſtematis, ſuis locis, & quemque ſuo ordine (ſi deus faverit) non perfunctorie attingam. Effuſos quinetiam ex fonte illo Electionis myſticæ, quæ manavit à Iudæis & gente Iudaica, electionum rivos myſticos, ſuper gentes omnes & gentium omnium homines, Codicibus itidem ſacris manifeſtum eſt. Quod evidentiſſimis in promptu erit expedire argumentis, ubi de Electione gentium tractare locus erit.

Electio illa quæ in Deo ab æterno eſt, Chriſto conſtat: quatenus Chriſtus ſpiritus pure ex deo eſt: Spiritus emanans, ſtabilis, incorruptibilis & æternus: per quem indiſtincte Iudæi & gentiles electi, recreantur & reſurgunt. Electio in myſterio, quæ myſtica temporum partitione revelatur, Chriſto eodem perficitur: quatenus ſpiritus ille, homo & caro factus eſt: quatenus inquam homo Iudæus, ex ſemine electo Iudæorum, à quibus myſtica Electio procedit, natus eſt: quatenus item à Iudæis ejectus, damnatus, & crucifixus, Iudæos viciſſim abjecit, & ſibi Gentes non electas aſcivit: quatenus porro Iudæos & gentes plene aſſumet, cum venerit in ſpiritu: quatenus denique ubi tempus erit, utroſque, Iudæos & Gentiles, ſanctitate perfecta recreatos, reſurrectione donabit, & vita æterna coronabit. Iudæos deus & gentiles indiſtincte elegit, nulla Iudæorum & gentilium acceptione habita, Electione illa quæ ab æterno eſt. Potiores Deus Iudæos gentibus habuit, Electione illa quæ myſticis ſeculorum occaſionibus impertitur. Imo gentiles in Iudæis primo electis, ſibi deinceps elegit deus electione myſtica: quatenus extraneos in Iudæorum gen-

tem

tem & familiam adoptavit, vel quatenus Oleaſtros in Iudæorum Oleam inſevit: quæ D. Pauli comparatio eſt, Romanorum cap. 11.

Iudæos Deus & gentiles ſibi elegit illos Electione æterna, quos ſine delectu gentis donavit ſpiritu Chriſti: vel quibus infudit ab æterno ſpiritum illum qui ex Deo eſt: ſpiritum emanantem, ſtabilem, incorruptibilem, & æternum, cujus virtute recreentur & gloria immortalitatis decorentur. Infunditur autem ſpiritus Chriſti animabus electorum, ratione eadem, qua facultas vegetativa arboribus & plantis innaſcitur: qua facultas ſenſitiva, animarum vegetativæ inſeritur: qua denique facultas rationalis, vegetativis & ſenſitivis inditur & additur hominum facultatibus. Animarum rurſus ſpiritalior illa eſt, quæ pluribus conſtat ſive componitur facultatibus. Verbi gratia. Anima bruti ſpiritalior eſt anima plantæ, quia brutum ſuperat plantam facultate ſenſitiva. Anima hominis ſpiritalior eſt anima bruti, quia homo ſuperat brutum facultate rationali. Spiritaliſſima proinde eſt anima electorum, ſupra animas reliquorum hominum, quia electi ſuperant reliquos homines ſpiritu Chriſti, ſpiritu recreationis, & ſpiritu illo qui ex deo eſt. Quem idcirco Propheta Rex vocavit *ſpiritum principalem*, Pſalmo 51. Cujus ſcilicet virtute electi dicuntur per excellentiam *Spiritales*. Imo corpore ipſo ſpiritales, per reſurrectionem in vitam ſpiritalem & æternam.

Diſpar omnino ratio eſt compoſitionis materiæ, & compoſitionis Spiritus. Craſſior nimirum exſurgit materia illa, cui multa ſuperingeruntur materialia. Defæcatior vero & purior evadit Spiritus ille, qui pluribus componitur

nitur Spiritibus. Ac veluti in Arithmeticis, minutiam multiplicare, minutiam eſt minuere & ſubtiliorem efficere: ſubtilior evadit Spiritus ille, qui pluribus multiplicatur & diluitur Spiritibus. Multiplicatur vero, imo ſubtrahitur, & additur Spiritus Chriſti in Electis: qualis multiplicatus fuit Eliſæo, qualis item ſubtractus fuit Moſi, & additus ſeptuaginta viris de ſenioribus Iſrael: Numerorum 11. Sed hæc non ſunt hujus loci. Crediderim certe, ſpiritum Chriſti, qui Electis infunditur, fermentum illud fuiſſe tribus ſatis farinæ abſconditum; de quo D. Matthæi Euangelium eſt, cap. 14. *Fermentum*, inquam, quia creſcit & multiplicatur in Electis. *Abſconditum tribus ſatis farinæ*; quia immiſcetur tribus illis animæ facultatibus, quæ ſunt in homine; rationali, ſenſitivæ, & vegetativæ.

Spiritus Chriſti qui ab æterno Electione æterna in Electis eſt, ſine delectu Gentium: virtus & potentia in illis eſt recreationis, reſurrectionis, & vitæ æternæ. Virtus illa exeritur, nec non potentia illa in actum reducitur, Electione myſtica, & myſticis ſeculorum diſpenſationibus; quibus Iudæi primum electi ſunt, poſthabitis & neglectis Gentibus; quibus viciſſim, ejectis & neglectis Iudæis, Gentes in Iudæorum locum ſuffectæ ſunt; quibus deinceps Iudæi & Gentiles concorpores, in Electionem unam coaleſcent; quibus denique recreatio utrorumque perficietur: ut tandem in conſummatione ſeculorum, utroſque reſurrectione & vita æterna donet Deus, ſine delectu Iudæorum & Gentium. Qui erit reditus ab Electione myſtica, ad Electionem æternam. Interitus & Myſteriorum omnium conſummatio.

Meta

Meta ergo Syſtematis hujus, quæ terenda & circumvertenda mihi erit, conſtituetur in Electione myſtica illa, quæ Iudæis primo competiit, & in cujus deinceps partem Gentes vocatæ ſunt expunctis Iudæis; ut in unam denique & plenam, Iudæi & Gentiles, ſalutem coëant. Diſputatio inquam tota hæc erit, de Iudæis, & de Gentilibus. De Iudæis, qui, nemine diſcrepante, originem ſuam duxerunt ab Adamo: Et de Gentilibus, quos, ex mea hypotheſi, ante Adamum conditos ſtatui. De Iudæis Adamitis: Et de Gentilibus Præ-Adamitis.

SYSTEMATIS THEOLOGICI

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De electione Iudæorum. Electio Iudæorum incepit ab Adamo primo Iudæorum patre. Iudæi primogeniti, quia primo electi. Electi autem non ſuo merito, ſed mero Dei eligentis & volentis beneficio. Formati ex eadem terra communi qua ceteri homines creati ſunt. Deus matrimonio conjunctus Eccleſiæ Iſraelitidi. Iudæorum pater. Iudæi Dii habiti, qua filii Dei. Deus Iudæorum mater. Amicus Iudæorum. Iudæi amici Dei.

GEntiles non oriundos eſſe ex ſtirpe & proſapia Iudæorum; imo genere diverſos, dignoſcere erit, ex illis quæ de Electione Iudæorum & Gentium dicemus. De utraque vero ſeorſim. Principium erit ab Electione Iudæorum.

Electio Iudæorum ſuper omnia rerum creata, extollitur Deuter. cap. 10. ubi Moſes Iudaico populo hæc commemorat. *En Domini tui cælum eſt, & cælum cæli; terra & omnia quæ in ea ſunt. Et tamen patribus tuis conglutinatus eſt Dominus. Elegitque ſemen eorum poſt eos.* Convenit de hac re Deuteronomio cum epiſtola ad Hebræos; ubi hæc legas ſcripta, capite 2. *Chriſtum nuſquam apprehendiſſe Angelos: ſed ſemen Abrahæ apprehendiſſe.* Electionis enimverò myſticæ fundamenta locavi in Chriſto, quatenus ex ſemine Abrahæ & Iudæus factus eſt. Typus autem Chriſti ponitur Adamus, ſeminis Abrahæ & Iudaici princeps. Typus, inquam, prototypum ſuum antecedens, ordine & tempore. Qua ratione myſterium Adami peccantis, præjudicium fuit de myſterio illo, quo Chriſtus pro peccato Adami mortuus eſt; & quo Electio myſtica peragitur. Repetenda ergo erit Electionis origo myſticæ, ſecundum ordinem, & diſpenſationem temporum, ab Adamo primo Iudæorum parente. Et quo argumento ſalus à Iudæis eſt; ſalutis illius origo ab Adamo Iudæorum patre erit. Ab Adamo inquam eodem ipſo, à quo & perditio fuit. Quam nimirum ſalutem omnibus hominibus propoſitam in Adamo, nunquam accepiſſent homines, niſi Adamus illam perdidiſſet. Recreatio certe, quæ ſecunda creatio, ſalus hominum, & eorundem Electio eſt; originem ſumpſit à lege data Adamo; & à morte illa quæ ex transgreſſione legis illius creata eſt. Morte inquam Chriſti, quæ primæ creationis extinctio eſt; quæque ab Adamo ipſo invaluit. Sed de his alias penſiculatius.

At quo myſterio, Electionis origo fluxit ab Adamo

Adamo in omnes homines: propagata eadem eſt ab eodem, tanquam à ſtirpe ſua, in filios & nepotes ſuos, Iudæorum ramos omnes. Propterea enim Iudæorum ſemen elegit Deus, quia prius eorum patribus conglutinatus eſt; ſupra laudato Deut. cap. 10. Sive quod idem eſt, quia prius Iudæorum patres elegit Deus. Glutinum quippe illud quo Deus Iudæorum patribus adhæſit, eorundem Electio fuit. Scriptum quidem eſt Exodi 3. *Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem.* Adverte tamen ad illa quæ dicebat Laban Iacobo, Geneſeos 31. *Deus Abraham, & Deus Nachor judicet inter nos, & Deus patris eorum.* Vbi nota, Deum, non tantum Abrahami Deum fuiſſe; ſed & Nachor fratris Abraham; imo & Thare patris Abraham & Nachor: Deumque itidem reputandum patrum omnium Thare, uſque ad Adamum. Electio igitur Iudæorum, ab Adamo, tanquam à primo patre ſuo, & primo Iudæorum principe, revocanda erit. Et quamvis proprie Iudæi dicantur prognati ex Iuda, natu quarto ex duodecim filiis Iacob: Iudæos tamen, late ſumpto nomine, dicemus & illos, quicunque ab Adamo uſque ad Iudam derivati ſunt. Elegit ergo Deus Iudæos, ſemen Abrahami & Adami: quia Abrahamo & Adamo, patribus eorum, conglutinatus eſt. Nimirum; quia Iudæos formavit in Adamo, & Iudæis benedixit in Abrahamo.

Electionis hujus myſticæ, & Iudaicæ, pacta deprehenduntur, ab Adamo uſque ad Moſem ante & poſt diluvium, patribus Iudæorum multoties & multifariam repetita. Sed peculiari magis fœdere Iudæis ipſis ſancita in

Moſe. Tale illud eſt Deuteronomii 7. Vbi Moſes populum Iudaicum alloquens; *Te*, inquit, *elegit Dominus Deus tuus,ut ſis ei Populus peculiaris,de cunctis populis qui ſunt ſuper terram*. Populum vero illum, Primogenitum ſuum vocavit Deus ipſe, Exodi 4. *Primogenitus meus Iſrael.* Nec non, *Primitias frugum Domini.* Ieremias capite 2. Vtrumque ratione illa, qua primogenita omnia, & primitiæ omnes, Electionis jure ad Deum pertinent. Tum quia Iudæi, primi omnium hominum,Electionis gratia & myſterio donati ſunt. Quo ſenſu Iſaias accipiendus eſt capite 49. *Dominus ab utero vocavit me.* Nec non Propheta rex Pſalmo 22. *Tu es qui extraxiſti me de ventre. Spes mea ab uberibus matris meæ. In te projectus ſum ab utero. De ventre matris meæ Deus meus es tu.* Vocavit ſcilicet Deus & elegit Iſraelem ſuum ab utero Electionis myſticæ. Id eſt, Iudæos habuit Electione prima, tanquam naturales Electionis ſuæ myſticæ filios: neque illos loco Gentilium tenendos cenſuit;qui non ab utero vocati,neque Electi,neque tanquam naturales filii habiti: ſed qui Electione ſecunda,in Electionem myſticam adoptati,adoptionis tantum filii reputati ſunt.Hinc nimirum eſt quod Apoſtolus Romanorum 2. *Salutem, honorem, & gloriam* (quæ Electio eſt) *Iudæo primum* tribuit, *deinde Græco*: id eſt Gentili; Græcus enim eo loci Gentilis politior eſt.

Donatos fuiſſe Iudæos Electione illa prima, non ſuo merito, ſed pura Dei gratia & miſericordia, patet hinc; quod Electio hæc myſtica, ab Electione illa æterna nata eſt, qua Iudæi ab æterno electi ſunt: hoc eſt, cum nondum nati eſſent, cum neque aliquid boni aut mali egiſſent. *Non ex operibus eorum*, ut loquitur D. Paulus,

lus,ſed mero Dei vocantis & eligentis beneficio. Electionem illam æternam intellexit Iſaias cap. 63. *Tu*, inquit, *Domine, pater noſter es, & Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos.* Abraham vero & Iſrael ſumuntur indiſtincte hoc loco, pro patribus Judæorum. Significavit autem Propheta, Deum patrem fuiſſe Iudæorum nondum natis patribus Iudæorum ipſis, quo tempore neſciebat Iudæos Abrahamus, & Iſrael ignorabat illos. *Elegit te Dominus, quia dilexit te.* Deut. 7. *Non propter Iuſtitiam Iudæorum* elegit illos. De quo vide cap. 9. Deut. ejuſdem. *Salvum me fecit, quia voluit me.* Pſal. 18. *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos,* canebat David Iudæorum rex, Pſalmo 100.

Si ad materiam ſpectes, qua Iudæi facti ſunt, nihil erit quare illos propterea Electionis primatu dignos cenſeas. Conſtat enim, carne eadem, & ſanguine eodem dilutos, quo Gentiles coaluerunt: nec non eodem luto ſubactos, quo ceteri homines compacti ſunt. *Sicut lutum in manu Figuli, ſic vos domus Iſrael in manu mea:* dicebat deus, Ieremiæ 18. Alludebat vero Propheta ad lutum ipſum quo Adamus primus pater Iudæorum formatus erat. Lutum, inquam, *commune & immundum.* quod notandum eſt. Docemur hoc capite 3. Geneſ. Quo deus dicitur *ejeciſſe Adamum de Paradiſo voluptatis,* quæ Terra erat electiſſima: *Vt operaretur Terram de qua formatus erat.* Terram ſcilicet non electam, terram communem & immundam, de qua Adamus formatus eſt, & de qua ceteri homines creati ſunt. Commune enim, non electum, & immundum, idem ſunt Actorum 10: nec non locis aliis quam pluribus utriuſque Teſtamenti. Ratione porro illa qua Adamus luto communi & immun-

do formatus eſt; dicitur Deus inveniſſe Iſraelem, *in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis*; Deuteronomii 32.

Iudæos item natos eſſe naturaliter immundos, ſicut ceteri homines naturaliter immundi nati ſunt & naſcuntur: teſtis eſt Ezechiel capite 16, ubi deus ſponſam ſuam Iſraelitidem, id eſt Iudæos, & Iſraelem ipſum, his verbis aggreditur. *Radix tua & generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Et quando nata es, in die ortus tui non eſt præciſus umbilicus, & aqua non es lota in ſalutem, nec ſale ſalita, nec involuta pannis. Non pepercit ſuper te oculus ut faceret tibi unum de his miſertus tui. Sed projecta es ſuper faciem terræ, in abjectione animæ tuæ, in die qua nata es. Tranſiens autem per te, vidi te conculcari in ſanguine tuo.* Et paulo poſt. *Expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam. Et juravi tibi, & ingreſſus ſum pactum tecum, ait Dominus, & facta es mihi, & lavi te aqua, & emundavi ſanguinem tuum ex te, & unxi te oleo.* Quo textu celeberrimo patet, Iudæos ex eadem radice productos, atque ex eadem terra communi compoſitos, qua gentiles omnes producti & compoſiti ſunt. Amorrhæi namque & Cethæi, pro quibuſvis gentilibus hoc loco uſurpantur: nec non terra Chanaan, pro terra nondum electa, pro terra communi & immunda ſumitur. Intellexit inquam Deus, Iudæos, patre & matre terra non electa genitis, genitos & ipſos non electos: natos immundos, & ſanguine creationis primæ turpatos: nudos & expoſitos. Benignitate autem dei tranſeuntis qui illorum miſertus eſt, lavatos, amictos, & in fœdus electionis myſticæ aſſumptos.

Nul-

Nullo potiore ſignificatu potuit exprimi dilectio Dei erga Iudæos: vel potius amor ille ſanctus quo deus electione ſua myſtica Iudæis adhæſit: quam matrimonio illo myſtico, quo Deus expandiſſe dicitur amictum ſuum ſuper ſponſam ſuam Iſraelitidem. Neque enim dari potuit amoris copula ſanctior & arctior illa, qua duo Amantes matrimonii glutino, animarum quoque mixturam faciunt, ut duo unum fiant. Hinc ſuaves illæ collocutiones Amantium veluti comparum, quibus amatorium ſuum libellum aſperſit Salomon: ubi Deus ſponſus, ſponſam ſuam Iudaicam amatorie compellat: atque ubi viciſſim ſponſa Iudaica, Deum ſponſum ſuum veneratione & amore incenſa obteſtatur. Hinc & illa ornamenta & dona myſtica, quibus Deus ſponſam ſuam Iudaicam celebravit, ut illam è luto formationis ſuæ ad ſplendorem divinæ gloriæ elevaret. Ezechielis cap. 16. *Veſtive te*, ait Dominus, *diſcoloribus, & calceavi te ianthino, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, & ornavi te ornamento; Et dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum; Et dedi inaurum ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & Coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro & argento: Et veſtita es byſſo, & polymito, & multicoloribus. Similam, & mel, & oleum comediſti, & decora facta es vehementer nimis; & profeciſti in regnum.*

Pietatem rurſus patriam erga Iudæos teſtificatus eſt Deus, quando illos ſibi in filios elegit, & illorum pater factus eſt. Imo electionem ſuam ambitione donavit, quando illos ſibi aſſumpſit in filios honorabiles. *Filius honorabilis mihi Ephraim*, Ierem. 31. Quos & nomine ſuo vocavit Deos. *Vocavi te, ô Iſrael, nomine meo*, Iſai. 43. Solenni ſcilicet more illo, quo filii nomine patrum ſuorum

do formatus eſt; dicitur Deus inveniſſe Iſraelem, *in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis*; Deuteronomii 32.

Iudæos item natos eſſe naturaliter immundos, ſicut ceteri homines naturaliter immundi nati ſunt & naſcuntur: teſtis eſt Ezechiel capite 16, ubi deus ſponſam ſuam Iſraelitidem, id eſt Iudæos, & Iſraelem ipſum, his verbis aggreditur. *Radix tua & generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Et quando nata es, in die ortus tui non eſt præciſus umbilicus, & aqua non es lota in ſalutem, nec ſale ſalita, nec involuta pannis. Non pepercit ſuper te oculus ut faceret tibi unum de his miſertus tui. Sed projecta es ſuper faciem terræ, in abjectione animæ tuæ, in die qua nata es. Tranſiens autem per te, vidi te conculcari in ſanguine tuo.* Et paulo poſt. *Expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam. Et juravi tibi, & ingreſſus ſum pactum tecum, ait Dominus, & facta es mihi, & lavi te aqua, & emundavi ſanguinem tuum ex te, & unxi te oleo.* Quo textu celeberrimo patet, Iudæos ex eadem radice productos, atque ex eadem terra communi compoſitos, qua gentiles omnes producti & compoſiti ſunt. Amorrhæi namque & Cethæi, pro quibuſvis gentilibus hoc loco uſurpantur: nec non terra Chanaan, pro terra nondum electa, pro terra communi & immunda ſumitur. Intellexit inquam Deus, Iudæos, patre & matre terra non electa genitis, genitos & ipſos non electos: natos immundos, & ſanguine creationis primæ turpatos: nudos & expoſitos. Benignitate autem dei tranſeuntis qui illorum miſertus eſt, lavatos, amictos, & in fœdus electionis myſticæ aſſumptos.

Nul-

Nullo potiore ſignificatu potuit exprimi dilectio Dei erga Iudæos: vel potius amor ille ſanctus quo deus electione ſua myſtica Iudæis adhæſit: quam matrimonio illo myſtico, quo Deus expandiſſe dicitur amictum ſuum ſuper ſponſam ſuam Iſraelitidem. Neque enim dari potuit amoris copula ſanctior & arctior illa, qua duo Amantes matrimonii glutino, animarum quoque mixturam faciunt, ut duo unum fiant. Hinc ſuaves illæ collocutiones Amantium veluti comparum, quibus amatorium ſuum libellum aſperſit Salomon: ubi Deus ſponſus, ſponſam ſuam Iudaicam amatorie compellat: atque ubi viciſſim ſponſa Iudaica, Deum ſponſum ſuum veneratione & amore incenſa obteſtatur. Hinc & illa ornamenta & dona myſtica, quibus Deus ſponſam ſuam Iudaicam celebravit, ut illam è luto formationis ſuæ ad ſplendorem divinæ gloriæ elevaret. Ezechielis cap. 16. *Veſtivi te*, ait Dominus, *diſcoloribus, & calceavi te ianthino, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, & ornavi te ornamento; Et dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum; Et dedi inaurum ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & Coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro & argento: Et veſtita es byſſo, & polymito, & multicoloribus. Similam, & mel, & oleum comediſti, & decora facta es vehementer nimis; & profeciſti in regnum.*

Pietatem rurſus patriam erga Iudæos teſtificatus eſt Deus, quando illos ſibi in filios elegit, & illorum pater factus eſt. Imo electionem ſuam ambitione donavit, quando illos ſibi aſſumpſit in filios honorabiles. *Filius honorabilis mihi Ephraim*, Ierem. 31. Quos & nomine ſuo vocavit Deos. *Vocavi te, ô Iſrael, nomine meo*, Iſai. 43. Solenni ſcilicet more illo, quo filii nomine patrum ſuorum

rum appellantur. De quo & Pſalmus exſtat 82. *Ego dixi, Dii eſtis, & filii Excelſi omnes*. Quæ de Iudæis Chriſtus ipſe interpretatus eſt, divi Ioannis Euangelio, cap. 10. Lapidabant eo loci Chriſtum Iudæi quod ſe deum feciſſet. Iudæos increpans Chriſtus hæc illis objiciebat. *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, Ego dixi, Dii eſtis. Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi ſcriptura: Quem pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis quia blaſphemat, quia dixi, Filius Dei ſum?* Quæ ſic facilius & rotundius tornare liceat. Si vos, ô Iudæi, deos dixit ſcriptura, ad quos verbum dei pervenit: Quidni dicar ego filius dei, qui ipſe verbum dei ſum? Adnecte his quæ ſcripta ſunt in capite Pſalmi ejuſdem. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum. In medio autem Deos dijudicat*. Quæ de Iudæis intelligenda ſunt. Synagoga enim illa in cujus medio ſtetiſſe dicitur hic deus, Templum Dei fuit: *locus ille ſolii Dei, & locus veſtigiorum pedum ejus, ubi habitavit in medio filiorum Iſrael*. Ezechielis 43. In quo templo ſynagoga & eccleſia Iudæorum celebrabatur. Dii igitur Iudæi erant; & ſynagoga deorum, ſynagoga Iudæorum erat. Deus item Iudæos judicabat, qui deos judicaviſſe in ſynagoga illa dicitur hoc loco. Minitabatur porro Deus pſalmo hoc, diis illis & Iudæis, morituros illos ſicut homines: id eſt, ſicut gentiles. *Vos autem ſicut homines moriemini*. Homines eo loci gentiles ſunt, ut infra docebitur. Rationem autem reddidit hanc David idem in principio hujus Pſalmi, quare Iudæis mori incumberet, ſicut gentilibus. Quia, inquit, Iudæi *iniquitatem judicarent, & facies peccatorum ſumerent*. Hoc eſt, quia Iudæi legis Dei obliti, iniquitates gentilium imitarentur: quia

quia ſe in facies gentilium verterent, & ſe à Iudæis ſanctis in gentiles peccatores transformarent. Peccatores enim gentiles ſunt, ut infra demonſtrabitur. Dii vero dicti ſunt Iudæi, pſalmo hoc, ratione illa qua filii Dei ſunt: & qua filii non tantum nomina, ſed perſonas patrum ſuorum gerere dicuntur. *Ego dixi, Dii eſtis, & filii Excelſi omnes.*

Filii autem Deo dilecti & cariſſimi fuerunt Iudæi. Quos dicitur Deus *portaviſſe ſicut homo portare ſolet puerum ſuum.* Deuteron. 1. Nec non *erudiiſſe ſicut homo filium ſuum erudit*, Deuter. 8. Quos *circumduxiſſe, & cuſtodiiſſe quaſi pupillam oculi ſui.* Deut. 32. Quod latine fuit, *tuliſſe & geſtaviſſe in oculis*. Neque illos ſolum dilexit Deus, ſicut pater diligit filios ſuos: ſed & viſcera ipſa caritatis ſuæ Iudæis aperuit, more matrum quæ dulces natos ſuos ad pectus premunt. Quos & *portaviſſe* dicitur *in utero ſuo, & geſtaviſſe in vulva ſua. At ſi natorum ſuorum mater eſſet immemor, Iudæorum tamen non obliviſceretur Deus.* Iſai. capite 49.

Quid præterea dicam de amicitia illa qua jungi Deus Iudæis voluit? *Conglutinatus eſt Deus Iudæis, & amavit illos.* Deuter. 10. *Semen Abrahæ amici mei.* Iſaiæ 4. Iſraelem quinetiam, delicias ſuas, vocavit Dominus, *Puerum ſuum vernam, puerum delicatulum.* Ierem. 3. Quod ut ſimplicius & verius ſignificem, adhæſit Deus Iſraeli amicitiæ nexu illo, quo *anima Ionathæ conglutinata eſt animæ David*, Samuelis 1. cap. 18: nec non quo Dominus ipſe Ieſus Chriſtus, Ioanni dilecto diſcipulo ſuo bene voluit. Appellatus propterea Iſrael, *amantiſſimus Domini*, Deuter. 32.

Dicitur itidem Deus Iudæorum Paſtor: & Iudæi dicuntur Oves paſcuæ ejus. *Nos populus*

paſcuæ Domini, & Oves manus ejus. Pſalmo 95. Quod certe eximium fuit Electionis ſymbolum. Novit enim oves ſuas bonus paſtor, & numerum earum recenſet. Novit etiam Electos, & numerum eorum recenſet deus. *Duxit item Deus & conſolatus eſt Iudæos virga & baculo ſuo; quos in loco paſcuæ collocavit, & ſuper aquas refectionis educavit*. Pſalmo 23. Nullum denique, vel amoris, vel pietatis patriæ, vel caritatis maternæ, vel amicitiæ, vel paſtoriciæ ſollicitudinis exemplum eſt; quod Deus non moverit in amore, in pietate, in caritate, in amicitia, & ſollicitudine; qua Iudæos elegit, dilexit, pavit, curavit & proſecutus eſt.

CAPUT II.

Deus Iudæorum rex. Iudæi populus Dei. Deus Iudæorum dominus. Iudæi ſervi Dei. Iudæi dicti ſancti. Dicti juſti. Iudæi electi in populum ſempiternum. Separati de univerſis populis terræ, in ſortem & hæreditatem Domini.

AFfectus ille quo Rex bonus in populo ſuo commovetur, ceteros hominum omnium affectus complectitur. Rex etenim bonus, pater, & paſtor, & amicus populi ſui eſt. Imo caput populi ſui, ratione eadem qua Vir caput mulieris eſt. Atque illo reſpectu Ieruſalem, per quam populus Iudaicus ſignificatur, quæque Civitas magni Regis dicta eſt; Regina & Princeps, & ſponſa incedit Regis illius, apud auctores ſacros. Rex itaque populi Iudaici Deus eſt; & populus Iudaicus, populus Dei eſt ſui Regis. Neque vero Rex tantum, ſed Deus eſt Iudæorum Deus: quatenus Iudæi Electi, uncti ſunt & ipſi in Reges: & quatenus

tenus Deus eſt ſupra Reges, ſicut Reges ſunt ſupra ſuos greges.

Dominus autem factus eſt Iudæorum Deus, non ſolum Electione, & animo; ſed fœdere & pacto, multoties ſancito & repetito: de quibus alias, & fuſius dicemus. Tale illud eſt Deuteromii 26. *Dominum elegiſti hodie, ut ſit tibi Deus; Et dominus elegit te hodie ut ſis ei populus peculiaris.* Tum capite 27. *Factus es hodie populus domini Dei tui.* Deus ergo, quà ſupra Reges eſt, & quà Deus non ſolum bonus, ſed optimus, commotus eſt in populo Iudaico, affectibus omnibus, amoris, pietatis, & ſollicitudinis, ſupra affectus omnes quibus boni Reges commoventur in populis ſuis.

Dilectio illa, qua Dominus Iudæos ſibi elegit in populum, cum imperio, & dominio fuit, quatenus Rex eorum & Deus idem factus eſt. Quatenus inquam Regum imperium & dominium eſt in ſuos populos: Reges vero in ipſos, imperium & dominium Dei eſt. Quo nomine & jure auditur Deus, *Rex regum, & dominus dominantium.* Imperium ſed enim & dominium Dei in Iudæos, majeſtatis & poteſtatis fuit, ad illorum ſecuritatem & ſalutem; non tyrannidis, ad illorum contritionem & interitum. *Noli timere,* dicebat Deus Abrahamo, Geneſeos 15. *Ego ſum protector tuus, & merces tua magna nimis.* Adde & Deuteronomii illud capite 33. *Beatus es tu Iſrael. Quis ſimilis tui popule, qui ſalvaris in Domino, qui ſcutum auxilii tui, & gladius gloriæ tuæ?*

Summum ergo imperium & dominium Dei eſt in Iudæos populum ſuum. Quare & nomine uno, *Dominus Deus* Iudæorum, nuncupatur: & viciſſim Iudæi, populus Dei, populus peculiaris, & peculium ipſum domini appellantur.

Populus, reſpectu Dei, jure imperii & Regiæ poteſtatis. Peculium, reſpectu domini, & jure dominii. Qua itidem ſignificatione Iudæi, ſors & hæreditas Domini indigitantur. *Hæreditas mea Iſrael.* Iſai 19. Ad cujus partem ſervi veniunt: & qua ratione Iudæi, ſervi Dei ſunt. *Semen Iſrael ſervi mei.* Paralipomenon 1. cap. 16. Et, *Dixi tibi Iſrael, Servus meus es tu.* Iſai. 41. Tum pſalmo 123. *Ecce ſicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum; ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: Ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum.* Vbi nota, Deum eſſe *dominum & dominam* Iudæorum, ſicut illorum ſupra *pater & mater* fuit. Adeo vero tritum eſt, Iudæos dici populum Dei, peculium, ſortem, & hæreditatem domini: tum poſſeſſionem, ſervos, vineam: nec non vaſa & ſupellectilem Domini, & quæcumque in hæreditatem & dominium cadunt: Hæc omnia, inquam, libris omnibus ſacris ita crebro occurrunt, ut operam ludere eſſet ſi in illis recenſendis diutius immorarer.

Iudæis obnoxius fuit Deus, & ut loquitur Deuteronomium cap. 7. *Iunctus eſt illis Dominus;* elegit & dilexit illos: ut viciſſim eligerent Deum Iudæi, ut Deo obnoxii eſſent, ut Deo jungerentur, & Deum penitus diligerent. *Diliges dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Deuteron. 6. Imo quæ relatio, quæ compaſſio, quod vinculum neceſſitudinis fuit arctiſſimum, inter Deum & Iudæos: Exaltavit Deus Iudæos in nomen, in laudem, & gloriam; ut à nominatis, à laudatis, & gloriandis celebraretur. Rectos decet collaudatio. Pſalmo 33. *Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, ſic agglutinavi mihi omnem domum Iſrael,*

rael, ut eſſet mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam. Ierem. 13.

Sed in primis elegit Deus & vocavit Iudæos ad ſanctitatem, ut à ſanctis ſanctificaretur. *Eſtote ſancti ut ego ſum ſanctus.* Deuteron. 12. *Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus.* Levitici 20. item Exodi 19. *Vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta.* Quin & Iudæos paſſim legas unctos & electos, in Reges, in Sacerdotes, & Prophetas: quæ ſunt exquiſitiſſima, & electiſſima ſanctitatis nomina.

Ratione illa qua Iudæi ad ſanctitatem electi ſunt, dicuntur vulgo *gens ſancta*, & *populus ſanctus*, in bibliis ſacris. Imo & ſimpliciter *ſancti.* Quo ſenſu D. Paulus intelligendus eſt Epheſiorum 3, ubi de ſe ipſo loquens hæc ait, *Mihi autem Sanctorum minimo.* Id eſt, mihi Iudæorum minimo. Neque enim is erat Paulus, humilitatis Chriſtianæ typus eximius, qui ratione habita ad ſanctitatem ſuam, ſanctum ſe propterea gloriaretur. Intellectu eodem legendum illud eſt Actorum 16. *Vt gentes ſortem accipiant inter Sanctos.* Id eſt, ut gentes participes fiant benedictionis & electionis Iudæorum. Sancti enim eo loci Iudæi ſunt. Explicavit ſortem illam, & Sanctos illos D. Petrus, epiſtola ſua 2. cap. 1. in principio. *Petrus*, inquit, *Apoſtolus his qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem in Chriſto.* Petrus autem ſcribebat ad gentiles univerſos qui æqualem cum Iudæis ſortiti erant fidem, benedictionem, & electionem in Chriſto. Quapropter & Epiſtolæ D. Petri catholicæ dictæ ſunt. Adjunge his quæ D. Paulus ad gentiles Coloſſenſes ſcripſit, cap. 1. *Gratias agentes Deo, qui dignos nos facit in partem ſortis Sanctorum, in lumine.* Annumeravit ſe in gentilibus gentilium Apo-

ſtolus, quando ſcripſit, *qui dignos nos fecit. In lumine*, D. Paulo, idem fuit quod *in Chriſto* D. Petro. Elucidantur porro hæc per D. Ioannem Iudæum & ipſum, Epiſtola ſua 1. catholica, ſive ad gentiles univerſos ſcripta, capite 1. *Vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum beatitudinis. Nobiſcum*, id eſt, cum Iudæis. Sancti ergo, Iudæi ſunt. Et gens non ſancta, gentiles ſunt. Pſalmo 33. *Iudica me Deus, & judica cauſam meam, de gente non ſancta.* Id eſt, non Iudaica, & gentili.

Propter ſanctitatem illam qua Iudæi Sancti dicti ſunt, erudiit populum ſuum Deus; nec non propter illam, *Annuntiavit verbum ſuum Iacob; Iuſtitias & judicia ſua Iſrael.* Pſalmo 147. Atque illo reſpectu quo Iudæi ad juſtitiam Dei vocati ſunt, dicti fuere *Generatio juſta*, pſalmo 14, *Dominus in generatione juſta eſt.* Id eſt, dominus in gente, & generatione Iudaica eſt. Dicti etiam Iudæi, *Iuſti* ſimpliciter. Qua ſignificatione accipe verba illa uxoris Pontii Pilati, monentis eum ut inhiberet manus ſuas à Chriſto. *Nihil tibi & Iuſto illi.* Id eſt, Iudæo illi. Eo refer & illa Lucæ 20. *Et obſervantes* (Iudæi) *miſerunt inſidiatores qui ſe Iuſtos ſimularent, ut caperent eum in ſermone*, &c. Qui ſe *Iuſtos* ſimularent. Id eſt, qui ſe *Iudæos* ſimularent. Vtpote quibus Iudæis (ſecundum mentem ſacerdotum & ſcribarum) Chriſtus Iudæus facilius aperiret ſuam ſententiam, de non ſolvendo tributo Cæſari. Quin & hiſtoriæ Iudæorum, *libri Iuſtorum* dictæ ſunt. Ioſuæ 10. ubi de miraculo Solis & Lunæ, qui ſteterant in cœlo. *Nonne ſcriptum eſt in libro Iuſtorum?* id eſt, in libro qui de Iudæorum factis inſcriptus erat.

Illud itidem fuit quod Iudæos Deus intimos habuit: quod legem illis ſuam, & oracula ſua credi-

credidit : quod ad arcana Dei admiſſi : *quod populus ſapiens & intelligens* dicti ſunt, Deuteronomii 4. *neque eſſet gens alia ſic inclyta, ut haberet ceremonias, juſtaque judicia, & univerſam legem*, cap. eod. *Quid eſt omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur, ſicut nos audivimus, & poſſit vivere?* exclamabat Moſes Deuteronomii 5. Vbi nota prærogativam Iudæorum electorum, & ſecundæ creationis hominum; quæ non conceſſa eſt carni, id eſt, primæ creationi : quia enim tabeſcit caro, & prima creatio, ad auditum & conſpectum Dei. Audi Moſem eundem cap. eod. *Ecce oſtendit nobis Dominus Deus noſter, majeſtatem & magnitudinem ſuam. Vocem ejus audivimus de medio ignis. Et probavimus hodie, quod loquente Deo cum homine, vivet homo.* Expleri nequibat Propheta ſanctus, meditando rudimenta & primitias recreationis Iudaicæ; quæ illorum futura eſſet plena Electio : cujus virtute verba Dei ignita hauriebant oculis & auribus : quaque ſplendebant neque ardebant cœleſti fulgure. *Interroga de diebus antiquis qui fuerunt ante te; ex die quo creavit Deus hominem ſuper terram, à ſummo cælo uſque ad imum ejus : ſi facta eſt aliquando hujuſmodi res, aut unquam cognitum eſt, ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, ſicut tu audiviſti & vixiſti.* Deuteronomii 4.

Hinc illud eſt, quod eximii & primi apud Deum habiti, quod dicti ſunt Iudæi *Populus Deo appropinquans*, pſalmo 14 : quod *gens magna* inſigniti : *neque eſſet alia natio tam grandis, quæ haberet Deos ſibi appropinquantes*, cap. eod. 4. Deuteronomii. Hacpropter legas, *portaviſſe illos Deum ſuper alas Aquilarum*, Exodi 9 : nec non crebro, *liberaviſſe & aſſumſiſſe illos, in manu*

forti

forti & brachio extento. Quæ eſt gens ut populus tuus Iſrael, propter quem feciſti magnalia, & horribilia ſuper terram, ut redimeres eum ? Samuelis 2. cap. 7. Illud denique fuit, quod *conſtituerat Deus Iudæos in caput, & non in caudam populorum.* Deuter. 28.

Neque vero ad tempus, ut ſunt imperiorum & populorum fata, apud omnes gentes : ſed in æternum elegit Deus Iudæos in populum. *Firmaviſti tibi populum tuum Iſrael, populum ſempiternum :* prophetabat David Samuelis 2, cap. 7. Tum quæ plurima ejuſdem argumenti leguntur apud Prophetas : quæque alias & ſuo loco tractanda mihi erunt.

Quod denique ſpectatiſſimum fuit Electionis ſpecimen : noluit Deus Iudæos confuſione & mixtura gentium contaminari : *Sed illos ſeparavit in hæreditatem de univerſis populis terræ:* Regum 1. capite 8. *Separavi vos à cæteris populis, ut eſſetis mei.* Levitici 20. Hinc nimirum eſt quod Deus Iudæos, tanquam poſſeſſionem, agrum, & vineam ſuam; ſepiviſſe, circumvallaviſſe & pariete materiæ cinxiſſe prædicatur. Hinc eſt quod Eccleſia & ſponſa Iudaica, *Hortus concluſus*, & *Fons ſignatus* dicta eſt in Cantico : ne ſcilicet in trivio poſita, calcaretur & turbaretur à prætereuntibus : neve Auſtri floribus, neve Apri liquidiſſimis aquis immitterentur. Nam quia gentes conſortes non erant Electionis illius myſticæ, qua Iudæos Deus elegerat : noluit item Deus Iudæos ſocietatem inire cum gentibus, corpore nec animo, matrimonio nec religione; jure civitatis, nec cultu divinitatis. *Non inibis cum gentibus fœdus, nec ſociabis cum eis conjugia.* Deuter. 7. *Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam ejus accipies filio tuo.* ibidem. Nempe illud :

lud: ne gentibus immiſcerentur Iudæi, idolorum cultum docentibus.

CAPVT III.

Iudæis electis Terra data eſt electa. Terra ſancta, quia terra Sanctorum. Et terra promiſſionis, quia promiſſa juramento patribus Iudæorum. Deſcriptio Terræ ſanctæ. Electa terra illa, non ſua natura, ſed Dei benedicentis & eligentis placito. Iudæorum terra. Et quam Iudæi ſoli habitarent.

IVdæis electis terram dedit Deus *electam*. quæ & *ſancta* dicta eſt, quia ſanctorum terra fuit. Terram dari electam & benedictam; terram itidem dari reprobam & maledictam; teſtis eſt Epiſtola ad Hebræos, capite 6. *Terra*, inquit, *ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem ſpinas, & tribulos, reproba eſt, & maledictioni proxima; cujus conſummatio in combuſtione*. Quod Euangelium D. Matthæi expreſſit his verbis, capite 13. *Deus non amat terram illam quæ eſt in via*, (id eſt, communem, conculcatam, & immundam) *neque petroſam, neque ſpinis obſitam, ſed amat bonam terram, in qua ſeminet filius hominis bonum ſemen*. Neque vero ſum neſcius, allegorice dicta hæc fuiſſe de cordibus Electorum. Sed neque illud neſciendum eſt, Deum expreſſiſſe hoc loci ad literam, terram ſanctam, in qua Iudæi ſanctificati (qui hic intelliguntur per bonum ſemen) ſeminabuntur per Ieſum Chriſtum. Quam ſeminationem pluribus ſuo loco explicare dabitur.

Terram Chanaan quam Iudæi habitaverunt, ter-

terram fuiſſe electam illam, benedictam, & dilectam Domino; demonſtratur capite 8 Deuteronomii; ubi Moſes vocavit illam *Terram rivorum, aquarum, & fontium: in cujus campis erumperent fluviorum abyſſi. Terram frumenti, ordei, & vinearum: in qua fierent malogranata, & oliveta naſcerentur. Terram olei, ac mellis: ubi abſque penuria comederent panem ſuum Iudæi, & rerum abundantia perfruerentur.* Terram quam Ezechiel capite 20 vocavit *Egregiam inter omnes terras, & præcipuam terrarum omnium.* Quamque idcirco terram excelſam prædicavit Deuteronomium capite 32. *Conſtituit Iſraelem Deus ſuper terram excelſam, ut comederet fructus agrorum; ut ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo; butyrum de armento, & lac de ovibus, cum adipe agnorum & arietum filiorum Baſan; cum medulla tritici, & ſanguinem uvæ biberet meraciſſimum.* Vocata eſt Chanaan, *Terra excelſa*, non propter ſitum ſuum: Convallis enim eſt, juxta illud Numerorum 14, *Amalecites & Chananæus habitant in vallibus.* Quod ſuperiori & 13 capite dixerat: *juxta mare & circa fluenta Iordanis.* Quare & *foveam* appellavit terram illam Eſdras libro 4. capite 5. *Ex omni*, inquit, *Terra orbis, elegiſti foveam unam.* Id eſt, Chanaan, quæ vallis eſt. Excelſa ergo vocata fuit propter fertilitatem ſuam, & excellentiam bonitatis, qua ſupra alias terras elata erat.

Dicta etiam fuit terra Chanaan, *Terra promiſſionis*: quia peculiari pacto Deus illam patribus Iudæorum promiſerat. Scriptum eſt Geneſ. 12, Deum apparuiſſe Abrahamo cum veniſſet in terram Chanaan, ad quam illum manu apprehenſum duxerat, & dixiſſe illi, *Semini tuo dabo*

terram

terram hanc. Tum capite 15. *In illo die pepigit ſedus cum Abrahamo Dominus, dicens, Semini tuo dabo terram hanc.* Repetitum fuit promiſſum hoc Iſaaco, filio Abrahami, capite 26 Geneſeos, his verbis. *Quieſce*, aiebat *Dominus Iſaaco, in terra quam dixero tibi.* (Terra illa erat Chanaan.) *Tibi enim & ſemini tuo dabo univerſas regiones has, complens juramentum quod ſpopondi patri tuo.* Tertio & illud ſancitum eſt in Iacob; Iſaaci filio, cum in eadem terra dormiens, & videns ſcalam in ſomnis, *Terram in qua dormis*, dixit illi Deus, *tibi dabo & ſemini tuo.* Hinc pſalmus ille 104. *Recordamini in ſempiternum pacti ejus ſermonis quem præcepit Deus in mille generationes, quem pepigit cum Abrahamo, & juramenti ejus cum Iſaac, & conſtituit illud Iacob in perpetuum, & Iſraël in pactum ſempiternum, dicens, Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis veſtræ.* Iuramentum illud manifeſtius exhibuit Deus ipſe Exodi 4. *Pepigi fœdus cum Iudæis, ut darem illis terram ſuper quam levavi manum meam, ut darem illam Abraham, Iſaac, & Iacob.* Dicta vero eſt Chanaan pſalmo 104. *Funiculus hæreditatis Iudæorum*, ſignificatu eodem, quo populus Iudaicus Deo benedicebat pſalmo 16, *Quia funes cecidiſſent illi in præclaris.*

Terram illam promiſſionis, juramenti, vel ſacramenti; quæ vulgo & improprie dicta eſt Chanaan, quia Chanaan regio tantum vel provincia illius fuit: Terram inquam illam deſcripſerat Deus Abrahamo capite 15 Geneſeos, his verbis. *Dabo tibi terram hanc, à fluvio Ægypti uſque ad fluvium magnum Euphratem.* Et de illa dicebat Deus Iacobo in viſione ſcalæ, *Dilataberis in ea ad Orientem & Occidentem, ad ſeptemtrionem & Meridiem.* Plagæ autem illæ deſi-

deſignatæ ſunt in longitudinem & latitudinem, Exodi 23, his limitibus. *Ponam terminos tuos à mari rubro, uſque ad mare Palæſtinorum: & à deſerto uſque ad fluvium.* Quo refer & illud Pſalmi 89. *Ponam in mari manum ejus: & in fluminibus dexteram ejus. In mari.* Intellige utroque, mari rubro, & mari Palæſtinorum, juxta Exodum dudum laudatam; *Ponam terminos tuos à mari rubro uſque ad mare Palæſtinorum.* Intellige etiam per mare hoc rubrum, non ſinum Arabicum, qui & vulgo mare rubrum dicitur: ſed totum illum Oceani tractum qui circumlegitur à ſinu Arabico ad ſinum Perſicum. Quod mare eſt, ſive rubrum, ſive Erythræum, & proprie magis Idumæum, ab Eſau ſive Edom: cujus poſteri Idumæi, maris illius oras incoluerunt. Edom Ebraice, qui & Græce Erythræus, Latine ruber eſt: à quo mare hoc rubrum nomen accepit, non à colore, ſed à Principe tralatitium. Additur Pſalmo 89. *In fluminibus ponam dexteram ejus.* Flumina illa intellige, Nilum & Euphratem, ſecundum Geneſim ſupra laudatam, cap. 15. *Dabo tibi terram hanc, à fluvio Ægypti, uſque ad fluvium magnum Euphratem.* Nilus per excellentiam fluvius Ægypti eſt. Quamvis enim in conterminis terræ ſanctæ & Ægypti, detur torrens qui *fluvius Ægypti*, & *rivus Nili* nomine dicitur: Intellige tamen hic Nilum ipſum, ut fiant limites terræ ſanctæ magni & auguſti; à fluvio maximo ad fluvium magnum, à Nilo ad Euphratem. Nilum vero accipe hic, non qua Africam ſecat, ſed oram maris Alexandrini in quod Nilus influxit. Ora vero hæc maris Alexandrini dicitur Nilus; quia mare hoc ipſum mutari dicitur in Nilum, & accipere colorem & ſaporem ipſius Nili, qua fluvius hic

hic per ſeptem ſua oſtia in mare illud irruit. Hinc Lucanus ſub finem libri 1. .

Qua mare Lagæi mutatur gurgite Nili.

Deſertum vero ducitur ab ora maris Alexandrini, per oram perpetuam ſinus Arabici, qui & late ſumpto apud Hebræos fluvii nomine, *fluvius Ægypti* dici potuit, qua ſe in mare rubrum exonerat. Atque illud fuit quod voluit Exodus 23. *Ponam terminos tuos à deſerto uſque ad fluvium.* Id eſt, ab ora maris Alexandrini (qui Nilus eſt) & ora ſinus Arabici, uſque ad Euphratem, qui hic ſimpliciter dicitur fluvius. Fines ergo hi ſunt poſiti à Deo terræ ſanctæ. Mare rubrum, qui Oceanus eſt; & mare Palæſtinorum Mediterraneum, è regione una: Nilus & Euphrates ab altera. Ceterum, hic vere fuit hortus Iudæorum concluſus: neque enim concluſior dari potuit illo, quem duo Maria, & fluvii duo magni circumambiunt. Subjiciam tabulam terræ ſanctæ chorographicam, ut res ipſa non animo tantum, ſed oculis oboriatur.

In primis vero animadvertere eſt, quod ſicut Iudæi communi luto compoſiti, electi fuere non ſuo merito, ſed Dei gratia: Ita & Iudæorum terra, bona & electa facta eſt, non ſua natura, ſed Dei benedicentis & eligentis placito. Docuit nos illud Moſes ipſe capite 11. Deuteronomii. *Terra*, inquit, *illa non eſt ſicut terra Ægypti, ubi jacto ſemine, in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: ſed montoſa eſt & campeſtris, de cælo expectans pluviam, quam Deus tuus ſemper inviſit, & oculi illius in ea ſunt, à principio anni uſque ad finem ejus.* Fertilis ergo terra illa fuit, non ſuo ingenio & ſua natura; ſicut terra Ægypti, quæ natura & ſitu fertiliſſima terrarum apud gentes habita eſt: ſed quia Deus ei benedixit, quia

tri-

tribuit illi pluviam in tempore ſuo, & *aperuit ei theſaurum ſuum bonum*, ut loquitur Deuteronomium cap. 29, vel cap. 33, *quia Cœlum caligavit rore ſuper illam:* atque ut verbo abſolvam, quia plurimus in illam Deus deſcendit.

Terram electam illam *providerat Deus Iudæis* electis, Ezechielis 20. Vt illam *habitaret Iſrael confidenter & ſolus*, Deuteronomii 33. *Solus*, id eſt, mixtura gentium incontaminatus. Quæ refer ad jus illud Electionis præcipuum, de quo ſuperiori capite egimus: quo nempe ſeparavit ſibi Deus Iudæos, in populum & gentem peculiarem, de populis & terrarum omnium gentibus: quoſque electos tanquam in partem ſuam & funiculum hæreditatis ſuæ, in Terra itidem electa conſtituit Deus, ut illam ſoli, & ſeparati ab aliis populis habitarent.

CAPVT IV.

Ieruſalem civitas ſancta terræ ſanctæ. Templum in Ieruſalem poſitum. Et in monte Sion bicipiti. Colles æterni. Civitas David. Civitas magni Regis. De Regibus Iudæorum. Explicatur Samuel de jure Regis.

IEruſalem, quæ præcipua fuit civitatum terræ ſanctæ, cum magnitudine, tum electione; caput ſuum inter illas extulit, & *Princeps provinciarum* dicta eſt, Ieremiæ Threnorum 1. Vtpote quam ad hoc Deus peculiariter elegerat ex omnibus provinciis & civitatibus Iſrael. Dicta erat *Iebus*, id eſt, *conculcatio*, cum inter civitates gentium numerabatur: Electa vero & Iudæorum civitas facta, *Ieruſalem*, id eſt *viſio pacis*, à Deo appellata eſt. *Deus enim illam nominavit*, Baruc. 5. *Fundamenta ejus in montibus*

tibus ſanctis, & de illa glorioſa dicta ſunt. pſalmo 87. Vrbs propterea fidelis vocata eſt, urbs ſancta, & electa: nec non titulis eximiis inſignita, quibus ſuper illa impleri ſacros Codices vulgare & notum eſt.

Templum vero in illa poſitum ſanctitatis electiſſimæ elogio decoratum eſt. *Elegi & ſanctificavi locum iſtum. Vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum; & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Paralipomenon 2. capite 7. Templum illud fundatum erat in monte Sion. *Montem vero Sion fundavit Deus in æternum.* Pſalmo 48. *Hinc Colles illi æterni*, Deuteronomii 33, nec non Geneſeos 49. Qui veriſimili conjectura duo ſunt in monte Sion bicipiti. Super quos Templum Dei extructum, & juxta Templum Dei, Civitas David, ſive Regis, ædificata eſſet. Quapropter & Ieruſalem *fundata dicitur in Montibus ſanctis*, pſal. 87, dudum laudato.

Vocatum eſt Templum Domini, *Requies Domini*, & *ſcabellum pedum ſuorum. Locus ſolii Dei, & locus veſtigiorum pedum ejus, ubi habitet in medio filiorum Iſrael.* Ezechielis 43. Quocirca & mons Sion, *Civitas Dei* dictus eſt, quia Deus illum habitaret. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in Civitate ſua, in Monte ſancto ſuo. Hic Deus eſt, Deus noſter, in ſeculum ſeculi.* Pſal. 48. Imo, *Magnificus ſolummodo Deus in Sion*, exclamavit Iſaias in exceſſu mentis ſuæ, capite 3. *Solummodo.* Id eſt præcipue, per excellentiam, & ſuper alios locos magnificus. Quo ſenſu & mons ille, *mons pinguis & coagulatus* dictus eſt, pſalmo 68. Cetera quippe terræ Chanaan & Ieruſalem, fluerent lacte Electionis & ſanctitatis Domini. Mons vero Sion, cremor lacteus lac

ipſum

ipſum foret coactum & coagulatum; caſeus pinguis, è lacte electionis & ſanctitatis Domini expreſſus. Sed & *Civitas ſolennitatis Iudæorum*, dictus eſt mons ille Iſai. 33. quia in illum confluebant Iudæi omnes, ut vota ſua ibi & ſolenniter Deo redderent; necnon ut ſolennes ibi lætitias & epulas celebrarent. Iuxta Dei ipſius edictum Deuteronomii 12. *In Sion lætabimini coram Deo veſtro, vos & domus veſtræ, in quibus benedixerit vobis Dominus. Ibi epulabimini coram domino Deo veſtro, vos, filii, filiæ, & Levitæ. Ibi erit requies Domini, & requies veſtra.*

Iunguntur vero plerumque templum, & Ieruſalem, ut Regum 2, cap. 21. *In templo hoc & Ieruſalem ponam nomen meum in ſempiternum.* Tum Ioël 2. *In monte Sion & in Ieruſalem erit ſalvatio. Qui invocaverit ibi Dominum, ſalvus erit.* Audienda vero deprecatio Salomonis, qua Deum obteſtabatur ſuper Ieruſalem & templo. Reg. 1. cap. 8. *Quocumque*, aiebat, *miſeris populum tuum, orabunt te contra viam Civitatis quam elegiſti, & contra domum quam ædificavi nomini tuo, & exaudies in cœlo orationem eorum.* Plura dicam de Terra electa & ſancta, de Ieruſalem, & de Templo Dei, ubi tractabo de reditu Iudæorum; quæ plena illorum erit Electio.

Iugo montis Sion altero inſidebat Arx Regia, quæ *Civitas David* dicta erat: quamque Dominus ipſe *Civitatem magni Regis* vocavit. De illo autem David, & de illo magno Rege grandis olim nobis ſermo erit. Nonnulla interim ſunt dicenda de Regibus Iudæorum, qui ſuper ſolio excelſo civitatis David ſederunt: quorum origo hæc fuit. Diximus ſupra; Dominum, Deum fuiſſe & Regem Iudæorum. Deum, qui illos cœleſtibus juvaret auxiliis. Regem, qui pro illis ſtaret
in

in acie, ſcutum protenderet, gladium ſtringeret, & Judaici nominis hoſtes profligaret. Quia vero invaleſcente Judæorum pervicacia, non raro eveniebat ut averteretur ab illis Deus; & peregre proficiſcens, ut loquitur Euangelium, abſentivus diutius foret: tum vero Judæi ſine Rege & defenſore, hoſtium ſuorum patebant incurſionibus, qui illos diriperent, & crudelem in modum ad internecionem delerent. Metuentes illi ne quid tale experirentur mortuo Samuele Iudice ſuo, qui jam ſenuerat; & filiis ejus *quos & Iudices Iſrael poſuerat*, non ambulantibus in viis ejus: petierunt ſibi Regem, *qui judicaret eos more cæterarum gentium; qui egrederetur ante illos, & bella ſua pugnaret pro illis.* Quod nimirum male Samuelem habuit. Neque vero petitionem Iudæorum neglexit Dominus. *Audi vocem eorum in omnibus quæ loquuntur tibi. Non enim te, ſed me abjecerunt.* Samuelis 1, cap. 8. Quæ ſic reſolve. Factus eram pacto, ait Dominus, Iudæorum Deus, idem & rex. Iudicem vero te, ô Samuel, & filios tuos, poteſtate illa Regia quæ mihi in Judæos eſt, ſuper eos conſtitueram. Quia ergo judicem te, & filios tuos renuerunt: non te judicem à me ſuper eos conſtitutum, ſed me qui te conſtitueram, abjecerunt. *Et ſicut me dereliquerunt, ſic faciunt etiam tibi.* Atque adeo quod in te peccant, prius & gravius in me peccaverunt. Hinc enim plane mentem ſuam aperuerunt, quam parum mihi credant, & quam non ſatis confidenter in me Rege ſuo ſpes ſuas ſitas habeant. At quoniam ita fert increduli & obdurati ſui cordis inſipientia: *Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos Regem.* Illud certe interea receperat Deus in deſerto, poſiturum ſuper Judæos Regem, quando ter-

ram ingreſſi eſſent quam daret eis, illamque poſſiderent. Edixeratque ut conſtituerent ſibi Regem, *quem Deus ipſe elegiſſet de numero fratrum ſuorum*; Deuteronomii 17. Imo & Reges promiſerat Deus Iudæis, quo tempore Abrahamo, & Iudæis in Abrahamo, benedicebat. *Egredientur ex te Reges.* Nec non Iacobo prophetante atque omnibus Iudæis in filiis ſuis benedicente, *Non recedet ſceptrum à Iuda.* Dedit ergo Iudæis Regem deus. Super enim dominationes omnes Regiam amat. Nulla quippe eſt quæ tantum inſtar Dei habeat, quam poteſtas Regia. *Verumtamen*, edicebat deus Samueli: *Conteſtare eos, & prædicito eis jus Regis.* Ius vero Regis illud; quod jus mere regium erat; quodque apud Reges Aſiaticos maxime obtinebat; penes quos ſummum & merum imperium fuit: Ius inquam Regis illud Samuelici, eo pertinebat. Vt Iudæis rex ſuus dominus eſſet: & viciſſim Iudæi ſubditi & ſervi eſſent regi & domino ſuo. Cui obedirent etiam dyſcolo, Cui ſubjecti eſſent, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Et contra quem ſi rebellarent, non contra Regem ſuum, ſed contra Deum ipſum rebellarent. Neque illis permiſſa licentia rebellandi contra Regem dyſcolum; ſed clamandi ad Deum à facie Regis ſui. Neve Regis ſui tactio illis eſſet. Imo illi parcerent tanquam rei Deo ſacræ. Regem eſſe ſupra homines, ut ſupra Regem Deus eſt. Regemque regnare ſuper populum ſuum, ratione illa qua ſupra populum ſuum eſt. Atque adeo ultorem Deum ſolum, Regis tyranni exiſtere. Et Regem Aquilam eſſe, cui legum humanarum retia non tenderentur. Vnctione demum divina Regem perfundi, ut ſupra homines, & medius inter Deum & homines

con-

conſiſteret. Vnctionis porro hujus electiſſimæ tanta religio per animos Iudæorum pervaſerat, ut Reges ſuos tanquam Deos haberent, & adorarent. Religione illa David perterritus, inhibuit manus ſuas à Saule Rege ſuo, tyranno licet & reprobo, & ſibi hoſti infenſiſſimo. Neque enim Deus ſinat, aiebat ille, *ut manum meam mittam in Dominum meum, quia Chriſtus* (ſive unctus) *Dei eſt*. Excanduit vero David idem in filium Amalecitæ advenæ, qui ſe jactaverat de occiſo à ſe Saule Iudæorum Rege. *Quare*, inquit, *non timuiſti mittere manum tuam, ut occideres Chriſtum Domini?* Quem poſtquam juſſiſſet ante oculos ſuos confodi, hæc ſuperingeſſit. *Sanguis tuus ſuper caput tuum. Os enim tuum locutum eſt adverſum te, dicens, Ego interfeci Chriſtum Domini.* Inde illud celebre interdictum. *Chriſtos meos ne tangite.* Id eſt, unctos & Reges meos ne tangite. *Suos* autem vocavit Reges Deus: quia ditionis divinæ, non humanæ ſunt. Hinc ſolium regum Iſraël, *ſolium Domini* dictum eſt, Paralipomenon 1. capite 29. *ſtetitque Salomon ſuper ſolium Domini in Regem, pro patre ſuo David.* Sub Regibus fuerunt Iudæi Electi, bonis vel malis; prout tulerunt commoda vel difficilia Electionis ſuæ tempora: nec enim Electionis Iudaicæ tenor ſine nube fuit. Sed de illis pluribus alias in tempore.

CAPVT V.

Electi gentiles in Iudæis, electione myſtica. Filii Dei habiti, quia adoptati in Iudæis. Et inſiti in Iudæis.

POſtquam egimus de Electione Iudæorum, conſentaneum eſt ut ordine dicamus de

ram ingreſſi eſſent quam daret eis, illamque poſſiderent. Edixeratque ut conſtituerent ſibi Regem, *quem Deus ipſe elegiſſet de numero fratrum ſuorum*; Deuteronomii 17. Imo & Reges promiſerat Deus Iudæis, quo tempore Abrahamo, & Iudæis in Abrahamo, benedicebat. *Egredientur ex te Reges*. Nec non Iacobo prophetante atque omnibus Iudæis in filiis ſuis benedicente, *Non recedet ſceptrum à Iuda*. Dedit ergo Iudæis Regem deus. Super enim dominationes omnes Regiam amat. Nulla quippe eſt quæ tantum inſtar Dei habeat, quam poteſtas Regia. *Verumtamen*, edicebat deus Samueli: *Conteſtare eos, & prædicito eis jus Regis*. Ius vero Regis illud; quod jus mere regium erat; quodque apud Reges Aſiaticos maxime obtinebat, penes quos ſummum & merum imperium fuit: Ius inquam Regis illud Samuelici, eo pertinebat. Vt Iudæis rex ſuus dominus eſſet: & viciſſim Iudæi ſubditi & ſervi eſſent regi & domino ſuo. Cui obedirent etiam dyſcolo, Cui ſubjecti eſſent, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Et contra quem ſi rebellarent, non contra Regem ſuum, ſed contra Deum ipſum rebellarent. Neque illis permiſſa licentia rebellandi contra Regem dyſcolum; ſed clamandi ad Deum à facie Regis ſui. Neve Regis ſui tactio illis eſſet. Imo illi parcerent tanquam rei Deo ſacræ. Regem eſſe ſupra homines, ut ſupra Regem Deus eſt. Regemque regnare ſuper populum ſuum, ratione illa qua ſupra populum ſuum eſt. Atque adeo ultorem Deum ſolum, Regis tyranni exiſtere. Et Regem Aquilam eſſe; cui legum humanarum retia non tenderentur. Vnctione demum divina Regem perfundi, ut ſupra homines, & medius inter Deum & homines con-

conſiſteret. Vnctionis porro hujus electiſſimæ tanta religio per animos Iudæorum pervaſerat, ut Reges ſuos tanquam Deos haberent, & adorarent. Religione illa David perterritus, inhibuit manus ſuas à Saule Rege ſuo, tyranno licet & reprobo, & ſibi hoſti infenſiſſimo. Neque enim Deus ſinat, aiebat ille, *ut manum meam mittam in Dominum meum, quia Chriſtus* (ſive unctus) *Dei eſt*. Excanduit vero David idem in filium Amalecitæ advenæ, qui ſe jactaverat de occiſo à ſe Saule Iudæorum Rege. *Quare*, inquit, *non timuiſti mittere manum tuam, ut occideres Chriſtum Domini?* Quem poſtquam juſſiſſet ante oculos ſuos confodi, hæc ſuperingeſſit. *Sanguis tuus ſuper caput tuum. Os enim tuum locutum eſt adverſum te, dicens, Ego interfeci Chriſtum Domini.* Inde illud celebre interdictum. *Chriſtos meos ne tangite.* Id eſt, unctos & Reges meos ne tangite. *Suos* autem vocavit Reges Deus: quia ditionis divinæ, non humanæ ſunt. Hinc ſolium regum Iſraël, *ſolium Domini* dictum eſt, Paralipomenon 1. capite 29. *ſtetitque Salomon ſuper ſolium Domini in Regem, pro patre ſuo David.* Sub Regibus fuerunt Iudæi Electi, bonis vel malis; prout tulerunt commoda vel difficilia Electionis ſuæ tempora: nec enim Electionis Iudaicæ tenor ſine nube fuit. Sed de illis pluribus alias in tempore.

CAPVT V.

Electi gentiles in Iudæis, electione myſtica. Filii Dei habiti, quia adoptati in Iudæis. Et inſiti in Iudæis.

POſtquam egimus de Electione Iudæorum, conſentaneum eſt ut ordine dicamus de

Electione gentium, quæ à Judæis eſt. Edicente illud conceptiſſimis verbis domino ipſo Ieſu Chriſto Samaritanæ mulieri, Euangelii D. Ioannis capite 4. *Salus ex Iudæis eſt.* Salus autem Electio eſt. Electio ergo ex Iudæis eſt. Quod vero edixit Deus filius gentili mulieri; illud ipſum retro longiſſime Deus pater patribus Iudæorum promiſerat. Abrahamo primum, capite 12 Geneſeos. *Benedicentur in te univerſæ cognationes terræ.* Tum capite ſequenti 18. *Benedicendas eſſe in Abrahamo nationes omnes terræ,* Angelus quiDominus ipſe erat,teſtatus eſt. Illud idem promiſſum dedit Deus Iſaaco, his verbis: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Gen. ejuſdem 26. Tum Jacobo, c.28. *Benedicentur in te, & ſemine tuo,cunctæ tribus terræ.* Conſtat ergo, in patribus Judæorum, nec non in ſemine eorum, & Judæis ipſis; benedicendas omnes *Cognationes*, omnes *Nationes*, omnes *Gentes*, & cunctas *Tribus* terræ. Cognationes vero, nationes, gentes & tribus illas; Gentes ſimpliciter, vel gentiles dicemus illos,qui ſunt extra cognationem, extra nationem, extra gentem Iudaicam, ſive extra tribus Iudaicas.

Benedictio illa qua benedicti ſunt gentiles in Iudæis, Electio Dei eſt in myſterio; quæ Iudæis primo competiit, quæque derivatione & participatione, à Iudæis in gentes effuſa eſt. Itaque ſi primi ſint Judæi apud Deum, Electione myſtica; hæreant gentes ſecundæ apud illum, Electione eadem. At nullo conjunctiore titulo adhæſerunt Deo Judæi quam illo, quo filii Electionis myſticæ, geniti ſunt. Genitura illa Judæorum myſtica, natura quædam fuit myſtica, qua Judæi naturales tanquam filii habiti ſunt. Quocirca & dicitur Deus *portaviſſe illos in utero ſuo,* &

& geſtaviſſe in vulva ſua: Iſai. 46. Adquam partem, vel ad quem gradum naturæ, quia gentiles neque vocati, neque electi ſunt; Adoptio illis conceſſa fuit, *quæ imitatio naturæ eſt*: per quam adoptati in Judæorum familiam, Judæorum filii habiti ſunt; non ſecundum carnem & naturam, ſed ſecundum adoptionem illam quæ Electione myſtica perficitur. Electione inquam eadem, qua Judæi, filii Dei ſunt gradu naturæ primo: quaque gentiles adoptati in Judæis, filii etiam Dei dicuntur: ſed quia ſecundo adoptionis gradu veniunt, qua adoptivi tantum dicuntur & reputantur filii. Quo ſenſu intelligendus eſt D. Paulus Epheſiorum 1. ubi ait, *Deum prædeſtinaviſſe*, ſive elegiſſe, *Gentiles in adoptionem filiorum Dei*, id eſt, Iudæorum.

Adoptati ſunt gentiles adoptione illa myſtica in Judæorum familiam; quo tempore filii Abrahami facti ſunt. Et filii Abrahami facti ſunt quo tempore mutatum fuit nomen Abrahamo; & Abraham ex Abramo appellatus eſt: atque adeo quo tempore Abrahamus pater gentilium conſtitutus eſt. *Appellaberis Abraham*, dixit Deus Abramo Geneſeos 17. *quia patrem multarum gentium conſtitui te.* Pater autem gentilium factus eſt Abrahamus, adoptionis jure eodem, quo gentiles filii Abrahami, & filii Iudæorum in Abrahamo, facti ſunt. Adoptionem illam intellexit Ioannes Baptiſta, loco illo quo Iudæos increpans, Deum aſſeruit *potuiſſe ex lapidibus ipſis ſuſcitare filios Abrahamo.* Nam qui potis eſt vivificare lapides: qui potis eſt *vocare non entia tanquam entia*, ut ad hanc rem locutus eſt D. Paulus, Romanorum 4. id eſt, qui potis eſt vocare homines ex lapidibus, & lapides ipſos vertere in homines: lapides autem

qui toto viventium genere differunt ab hominibus: Deus, inquam, qui illa potis eſt, quæ præter & ſupra naturam ſunt; potis idem fuit adoptare filios Abrahamo, quod naturam fuit imitari.

Adoptio, aiebat ille, ſancta res eſt, quæ beneficium naturæ imitatur. Sed quanto veritas ſanctior eſt imitatione, tanto natura ſanctior eſt adoptione. Natura & adoptio faciunt filios: natura veros, adoptio fictitios. Adoptio homines transfert ex una familia in aliam, & ex uno nomine in aliud. Gentem mutat, quod fictionis & imitationis eſt: Genus vero non mutat, quod naturæ & veritatis eſt. At neque generis conditionem mutat adoptio. Verbi gratia, filios facit; ſed non facit ex libertis ingenuos, vel ex ſervis liberos. Hæc ita geruntur in adoptione civili. Res aliter ſe habet in adoptione myſtica: cujus virtute, natura gentilium vertitur in naturam ipſam Iudæorum. Imitatio naturæ quæ in adoptione civili eſt, natura ipſa eſt in adoptione myſtica. Et veritas, cujus imaginem fictio juris præfert, myſterio adoptionis, re ipſa generatur. Genus ergo ut gentem mutant gentiles, adoptione & tranſlatione ſua in Iudæorum gentem & familiam. Et qua genus ſuum mutant, generis itidem ſui conditionem mutant. Fiunt enim gentiles, adoptione illa, non tantum filii; ſed è ſervis, liberi & ingenui evadunt. Efficacia quippe tota adoptionis hujus, in libertate poſita eſt: & proclamant ad libertatem ſuam, quicumque ad libertatem filiorum Dei, id eſt Iudæorum, adoptionis jure illo accedunt.

Myſterium illud, virtus & potentia ſpiritus Chriſti eſt, quo gentiles mutantur in Iudæos ſpiritales,

ritales, & in veros filios Abrahami: non ſecundum naturam carnis, ſed ſecundum naturam promiſſionis & ſpiritus: quæ vera gentilium adoptio & Electio eſt. Imo promiſſio, Electio illa eſt, per quam ſolam Iudæi ipſi ſunt id quod ſunt: per quam ſolam Iudæi ipſi, filii Abrahami, veri Iſraëlitæ, & veri Iudæi ſunt: non ſecundum carnem, ſed ſecundum promiſſionem & ſpiritum. *Non enim omnes qui ex Iſrael ſunt, ii ſunt Iſraelitæ; neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii. Sed in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Id eſt, non qui filii carnis, hi filii Dei*, ſive *Iudæi*; *ſed qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine.* Romanorum 9. Promiſſio inquam illa eſt, quæ veros Iſraelitas, & veros filios Dei, id eſt Iudæos, facit. Quin & ſine illa Iudæi ipſi familia ſua, quæ familia Dei eſt, & patre ſuo Abrahamo cadant: deſinant eſſe id quod ſunt: à Iudæis in gentes abeant; & contraria generis ſui mutatione, à filiis Dei in filios hominum degenerent.

Converſionem generis gentilitii in genus Iudaicum, ſignificantius expreſſit Scriptura ſacra, ubi voluit gentiles non ſolum in Iudæis adoptatos, ſed etiam in Iudæis inſitos. Vt quemadmodum arbor inſita, coaleſcit cum arbore cui inſeritur: ſive per fiſſuram, ſive per emplaſtrum inſitio fiat: quemadmodum, inquam, inſitione arbor mutatur in arborem, & ex duabus una conſurgit: Gentiles item inſitione ſua cum Iudæis coaleſcant; nec non inſitionis illius virtute, in Iudæos ipſos mutentur; & ex duobus populis, in unum populum Dei inoleſcant.

Diſſimilis præterea inſitionum ratio eſt, arboris in arbore inſitæ; & gentilium in Iudæis inſitorum. Non enim arbor infertilis in arbore fer-

tili, vel agreſtis miti & ingenuæ inſeritur. Gentiles autem frutices, & ſanctitatis inferriles, in Iudæis ſanctis, & ſanctimoniæ operum feracibus inſiti ſunt: nec non agreſtes mitibus & ingenuis immittuntur. Quod Apoſtolus nos docuit Romanorum capite 11. Vbi comparavit gentilem oleaſtro: Iudæum vero cui gentilis immittitur, oleæ bonæ & ingenuæ. Oleaſtrum itidem illum fecit D. Paulus loco eodem, ſocium ſucci & pinguedinis, quæ in radice eſt oleæ mitis & ingenuæ. Itaque ſanctificatus gentilis, ſive oleaſter in oleam verſus, miretur novos operum ſuorum fructus; dulces & non ſuos ſuccos.

CAPVT VI.

Gentiles genere & origine diverſi à Iudæis, qua adoptati & inſiti in illis. Gentiles athei, quia ſine Deo. Homines ſimpliciter appellantur. Et filii hominum. Inſipientes, ſtulti, iniqui, &c.

GEntiles origine & genere diverſos à Iudæis inducere erit, tum ex illorum adoptione, tum ex eorundem in Iudæis inſitione. Adoptio enim extranearum familiarum eſt. Arborum autem diverſi generis, hæc in illa inſeritur. Neque vero me latet, adgnatos, & proxime conſanguineos, adoptari potuiſſe in filios. Sed notandum eſt, D. Paulum Epheſiorum 2. Gentiles, in Iudæorum gentem & familiam adſcitos, conſtituiſſe *peregrinos*, *extraneos*, *alienos*, *& longe ſemotos*, à Iudæorum familia: Quam eo loci *πολιτείαν* vocavit Apoſtolus; nec non reſpectu eodem gentiles ibidem dixit, *Cives & συμπολίτας Sanctorum*, id eſt, Iudæorum: Sed quæ *πολιτεία*, familia intelligen-

ligenda eſt; qua ratione Iudæi & gentiles, domeſtici & filii Dei ſunt.

Notum itidem habeo: arbores ejuſdem generis, mites in mitibus, & ingenuas in ingenuis potuiſſe inſeri. Verum illud advertendum eſt, duplicem dari inſitionem D. Paulo Romanorum 11. Secundum naturam, & contra naturam. Exemplum dedit Apoſtolus eo loci inſitionis ſecundum naturam; cum dedit illam, qua Iudæi inſerentur olim in ſua Olea. Et *ſecundum naturam* vocavit illam; quia Iudæi ſecundum naturam ſui generis, Olea ingenua in Olea ingenua inſerentur. Exemplum rurſus inſitionis contra naturam edidit idem illud, quo gentiles in Iudæis inſiti ſunt. *Et contra naturam*, inſitionem vocavit illam, quia gentiles, diverſi origine à Iudæis, contra naturam ſui generis, Oleaſter in Olea ingenua inſiti ſunt. Natura ergo, quæ origo & genus eſt gentilium, diverſa nec eadem eſt cum natura, origine, & genere Iudæorum.

Atqui nulla diſtinctiore vel congrua magis differentia, potuere notari gentiles, origine & genere diverſi à Iudæis; quam ex hypotheſi illa, quæ ſtatuit originem gentilium, ſive primorum hominum, à principio illo quod determinari non potuit ab Adamo; illoſque cenſuit ab innumerabilibus ante Adamum conditos ſeculis: Quæque rurſus Iudæos, reſpectu gentilium neotericos, in Adamo patre eorum primo formatos poſuit: A quo uſque ad nos, ſecundum vulgare computum, quinque tantum annorum millia, ſexcenti & decem & ſeptem numerantur anni.

Imo, inquies; ſi adoptio quæ naturam imitatur, juniores tantum in ſeniorem admittit fa-

miliam, ut ſunt filii juniores patribus ſuis: Quod monſtrum adoptionis illud eſt, quo Iudæi juniores, gentiles antiquiſſimos adoptaverunt ſibi in filios? Et rurſus, ſi reſpectu eodem ætatis habito, arbor adoptare dicitur ſurculum, in qua ſurculus inſeritur: ſi planta, inquam, tenera & novella, valenti & annoſo ramo immittitur; quis novus inſerendi modus ille eſt, quo gentiles annoſiſſimi inſiti ſunt in Iudæis novellis, & ſi ad gentium originem ſpectes, hornotinis? Reſpondeo, gentiles creatione & natura ſua, Iudæis quidem ſeniores, ſed iiſdem Electione myſtica juniores conſtitutos. At enimvero, ratione illa tantum Electionis myſticæ, non creationis & naturæ, poſitos gentiles in Iudæis adoptatos, & in illis inſitos. Cujus rei luculentam figuram nobis exhibuit Geneſis in Eſau: qui natura, Iacobo major natu; Electione, minor fuit.

Gentiles; qui ex mea hypotheſi primæ creationis homines poſiti ſunt, vocavit Apoſtolus Epheſiorum 2. *Atheos*, & *ſine Deo*: ratione oppoſitionis illa, qua Deus ille verus, creator cœli & terræ, non erat gentilium deus, qualis Iudæorum erat; quaque gentiles, Deum illum non habuerunt Deum, qualem Iudæi habuerunt. Atque illud propterea, quia ſe Deus genti Iudaicæ, & ſoli, notum dederat; reliquis porro gentibus non item. Quocirca & dicti ſunt Iudæi, *populus Dei*. Hinc & illos amice compellabat Deus Ezechielis 34. *Vos greges mei, vos greges paſcuæ meæ, vos homines mei eſtis.*

Homines Dei, Iudæi ſunt. *Sciant vero gentes, quoniam Homines ſunt*: edicebat David pſalmo 19. Dicti ſunt gentiles, *Homines*, ſimpliciter; non

non *Homines Dei*: ratione illa qua homines primo & ſimpliciter creati, Deum (ut ante dixi) creatione ſua ſapere non potuerunt; Deus enim ſupra homines eſt. Atque adeo, quia Deum ſapere & attingere non potuerunt, ſine Deo utique fuerunt; neque homines Dei dici meruerunt. Quare & homines (ut plurimum) ſimpliciter dicti, gentiles ſunt, apud auctores ſacros. Tale illud eſt pſalmo 66, *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* Hoc eſt, miſiſti nos ſub jugum gentium. Quæ de Iudæis victis à gentibus intelligenda ſunt. Quo refer & illud Ierem. 49. *Dediſti Iſraelem in gentibus, contemptibilem inter homines.* ubi *Gentes* & *Homines*, iidem ſunt. Hortabatur Iudæos Iſaias capite 51. *Nolite timere opprobria hominum*: id eſt, gentilium. Tum capite 6. de Iudæis reſtituendis & fugandis gentibus loquens: *Longe*, ait ille, *Deus faciet homines, & multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ. Homines* eo loci, gentiles ſunt, quos Deus ex terra Iudæorum expelleret, ut in illam Iudæi reſtituerentur. At quia ratione gentiles, *Homines* ſimpliciter dicti ſunt, *Filii hominum* vocati etiam fuerunt. Cujus rei tot fere habemus teſtes, quot capita utriuſque fœderis: Quorum idcirco locos pene innumeros referre, hoc loco parum refert. Dicti vero ſunt gentiles, *Filii hominum*; ratione oppoſitionis eadem qua Iudæi, *Filii Dei* vocati ſunt.

Qui dicti ſunt gentiles athei, & ſine Deo; vocati ſunt impii, inſipientes, corrupti, & abominabiles in iniquitatibus. Pſalmo 9. *Increpaſti gentes, & peribit impius*: Id eſt, gentilis. Tum pſalmo 14, qui & 53 eſt. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Quæ de gentili atheo in-

telligenda ſunt. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus. non eſt qui faciat bonum. Deus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinaverunt. Simul inutiles facti ſunt. Non eſt qui faciat bonum. Non uſque ad unum.* Pictura hæc fuit graphica gentilium, qua ſunt & dicuntur ſimpliciter homines,& filii hominum: quaque natura ſua nihil ſunt ad Deum intelligendum & aſſequendum. Gentiles autem intellexit pſalmo illo Propheta Rex, ut patet per ſequentem verſum. *Nonne ſcient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ut cibum panis?* Quæ non niſi de gentilibus Iudæos deglutientibus potuere accipi. Scio, D. Paulum pſalmum hunc laudaviſſe Romanorum 3, ut oſtenderet, Iudæos & gentiles omnes, ſub peccato involutos. Sed notandum eſt, D. Apoſtolum capite illo accepiſſe Iudæos, non quatenus Electi erant, ſed quatenus ſimpliciter homines, iidem erant cum gentilibus, & materiæ ejuſdem vitio, peccato eodem, inquinabantur.

Vocavit pſalmus hic gentilem, *inſipientem*; quem pſalmus 92 vocavit *ſtultum*. *Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc.* Quare & minabatur Deus Iudæis, *provocaturum illos in gente ſtulta*, Deuteronomii 32. Quæ *gens ſtulta*, gentiles ſunt pro una gente ſumpti, & oppoſita genti Iudaicæ, quæ *gens ſapiens* dicta eſt. Vocantur etiam hoc loco gentiles, *iniqui, & abominabiles in iniquitatibus.* Quos Samuelis 2. capite 7. vocatos legas, *Filios iniquitatis. Non addent filii iniquitatis ut affligant Iudæos ſicut prius.* Scriptum eſt idem illud Paralipomenon 1. capite 17. his verbis. *Non atterent eos filii iniquitatis, ſicut à principio.*

pio. Quibus ſignificatur, Iudæos jugum gentium olim excuſſuros. Filii enim iniquitatis locis illis gentiles ſunt. Senſu eodem intellige Actorum illud capite 24: ubi Paulus hæc de ſe ad Iudæos. *Spem habens*, inquit, *in Deum; quam & ipſi expectant, reſurrectionem juſtorum & iniquorum.* Per Iuſtos, intellige Judæos, de quibus ſupra. Per iniquos, gentiles. Hoc enim volebat gentilium Apoſtolus: Gentes participes futuras benedictionum Judaicarum, ſecundum fidem Judæorum; participes etiam futuras reſurrectionis Judæorum, ſecundum ſpem Phariſæorum. Vtpote quam reſurrectionem Phariſæi expectabant: quamque D. Paulus communem futuram Judæorum & gentilium, ex doctrina Euangelii prædicabat. Iudæos autem Electione ſua ſtantes, contrario quo gentiles argumento, vocatos audias, non impios, ſed veri Dei cultores; non inſipientes & ſtultos, ſed ſapientes, ſanctos, non corruptos; Juſtos, non abominabiles in iniquitatibus, apud omnes auctores ſacros.

CAPVT VII.

Gentiles dicti Peccatores.

TRitum eſt gentiles vocari etiam *Peccatores*, libris utriuſque fœderis. Nimirum ratione oppoſitionis eadem qua Judæi ſancti, & juſti vocati ſunt. Voluerat hoc unum Deus, ut averterentur Judæi à conſortio & moribus gentilium. *Beatum* idcirco dicebat illum David, pſalmo 1. *qui non abierat in conſilium impiorum, & in via peccatorum non ſteterat; ſed cujus voluntas in lege Domini eſſet.* Hoc eſt, beatum canebat Judæum illum, qui

non abierat ad gentiles; qui ſteterat loco Electionis & ſanctitatis Iudaicæ; qui Iudæus erat, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum, & totus erat in meditatione divinæ legis. Iudæus enim hoc loci eſt, qui legi divinæ addicitur: Gentiles autem per impios & peccatores intelliguntur. Peccatores ubique fere apud eundem Prophetam Regem, gentiles ſunt. Pſalmo 37. *Obſervat peccator juſtum*. Nec non paulo poſt. *Conſiderat peccator juſtum, & quærit morti dare illum*. Id eſt, inſidiatur gentilis Iudæo. Peccator enim, gentilis; Iuſtus Iudæus eſt. Imo & pſalmum totum hunc de Iudæis & gentilibus accipe: Antitheſis enim perpetua eſt inter Iudæum & gentilem.

Inſignis locus eſt pſalmo. 85 de calice miſti, quem Deus Iudæos ulturus, dabit in fine ſeculi bibere gentibus; & de quo Apocalypſis capite 14, & 18. *Bibent*, ait Pſaltes, *fæcem ejus omnes peccatores terræ*. Quæ de gentilibus intelligenda eſſe demonſtrabo ſuo loco, & pluribus locis ſcripturæ ſacræ. Pſalmus itidem cantatur 109, de extrema rejectione & maledictione populi Iudaici: ubi hæc inter cetera legas. *Conſtitue ſuper eum peccatorem*. Hoc eſt, conſtitue gentilem ſuper Iudæum, & deſinant Iudæi in caudam, qui in caput poſiti erant.

Expreſſius notavit gentiles novum Teſtamentum, per peccatores. In primis D. Paulus Galatarum 2, ubi hæc ad D. Petrum. *Nos*, inquit, *natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores*. De ſe vero & D. Petro loquebatur, qui natura & origine erant Iudæi, non gentiles. Eo refer quæ dicebat Dominus Luc. 6. Iudæos alloquens. *Si bene facitis iis qui vobis bene faciunt, quæ vobis gratia erit? ſiquidem & peccatores hoc faciunt*. Peccatores

co-

eo loci gentiles ſunt. Gentilitium ſi quidem & humanum eſt, benefacere benefacientibus nobis. Imo & ceterarum animantium commune, par pari referre, quod naturale hoſtimentum eſt. *Cognoſcit bos poſſeſſorem uſum, & aſinus præſepe domini ſui.* Iſai. 1. Naturale ergo eſt gratiam referre, & beneficium pro beneficio. Supernaturale vero, beneficium pro maleficio rependere. Atqui ad ſupernaturale hoc vocabat Iudæos ſuos Dominus. Adde his ſequentia D. Lucæ ejuſdem, capite eodem. *Si mutuum dederitis his à quibus ſperatis recipere, quæ gratia vobis erit? Nam & peccatores peccatoribus fænerantur, ut recipiant æqualia. Veruntamem diligite inimicos &c.* Quod idem eſt atque ſi dixiſſet dominus, gentiles gentilibus amicis ſuis uſuræ & fœnori dant, at vos ô Iudæi mei homines, neque gentilibus inimicis veſtris date fœnori, ſed mutuo date illis, ſine uſura & ſpe lucri. Imo communia veſtra ſint omnia gentilium tanquam amicorum. Quod veſtri officii erit; Electis quippe & ſanctis Domino; quibus utique indecorum & turpe eſſet, gentilium neque Electorum, neque ſanctorum, facta æmulari.

Reputabant Iudæi Chriſtum, gentilem, non Iudæum, eo quod cœcum die Sabbathi ſanaviſſet. Ioannis Euang. capite 9. *Non eſt*, aiebant illi, *hic homo à Deo, qui Sabbathum non curat, ſed peccator*. Quod perinde erat dixiſſe; Non eſt hic homo Iudæus, ſed gentilis. Homo enim à Deo, ſive homo Dei, Iudæus eſt, de quo ſupra. Peccator vero, gentilis eſt. Notum itidem, Iudæos numerare ſolitos Chriſtum inter voraces & helluones gentiles, eo quod amicus eſſet *Publicanorum & Peccatorum*; nec non apud illos intraret, atque eorum epulis accumberet:

beret:

beret: tum quia publicanos & peccatores reciperet. Vtrumque autem nefas Iudæis, & intrare apud gentiles, & recipere illos. Publicani vero & peccatores junguntur pluribus locis Euangelii: quia Publicani, ſive redemptores vectigalium, quæ Iudæi pendebant Romanis, gentiles, vel è gentibus peccatores erant.

Expendendum præterea eſt reſponſum quod Dominus ipſe dabat Iudæis, diſcipulos ſuos interrogantibus, Quare cum publicanis & peccatoribus decumberet & comederet? *Non veni*, inquit, *vocare Iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Quod eſt: non veni vocare Iudæos, ſed gentiles. Prophetabat ſcilicet Chriſtus vocationem futuram peccatorum ſive gentilium, qui vocem ejus audituri eſſent: Rejectionem vero Iuſtorum, ſive Iudæorum, (de quibus ſupra,) qui in illum non crederent. Ejuſdem notæ eſt quod legitur Matth. 26. *Tradetur filius hominis in manus peccatorum.* Quod Euangeliſta idem capite 20 dixerat, *Tradetur in manus hominum.* Traditus enim eſt filius hominis in manus, ſive hominum, ſive peccatorum, ſive gentilium; qui iidem ſunt: ut à Romanis gentilibus, non à Iudæis, morte damnaretur, & cruci affigeretur.

Elicitur porro ex notatione hac *Peccatorum*, ſenſus eximius loci illius ad Galatas, capite 2. ubi hæc legas. *Quodſi quærentes juſtificari in Chriſto, inventi ſumus & ipſi peccatores; numquid Chriſtus peccati miniſter eſt?* &c. Quæ ſic reſolve & intellige. Quodſi nos Iudæi quærentes juſtificari in Chriſto, (agebatur enim hic de Iudæis, quibus non ita cordi erat more gentilium vivere) ſi nos Iudæi, inquit, quærentes juſtificari in Chriſto gentilium Deo,

in-

inventi ſumus & ipſi gentiles, & è Judæis ſanctis degeneramus in gentiles peccatores: Numquid Christus cauſa erit, quod contra Dei vetitum, è Judæis in gentes abierimus? quod legem Dei abdicantes, diverterimus ad conſilium impiorum, & in via peccatorum ambulaverimus? Abſit, ait Apoſtolus, ut quid tale ſtatuamus. Non enim peccati gentilitii miniſter eſt Chriſtus; ſed fidei, quam gentiles, qui in Chriſtum credunt, habent in Chriſto. Deſtruit Chriſtus peccatum gentilium: ſed idem fidei gentilitiæ miniſter eſt; & fidem illam ſuſcitat, quam revelavit gentilibus; jam tum nomine tenus peccatoribus; fide autem ſua electis, & ad ſanctitatem Judæorum vocatis. Quid tum ergo, ſi habeamur gentiles, dummodo inhæreat nobis fides gentilium, & juſtificemur in Chriſto gentilium Deo?

CAPUT VIII.

Gentiles dicti Infantes, parvi, & pauperes.

Conſiderate attendendum eſt quod legitur Proverbiorum 8. ubi Chriſtus ſapientia patris, gentiles, quos olim homo futurus vocaturus erat, his verbis aggreditur. *Vox mea ad filios hominum. Intelligite parvuli aſtutiam, & inſipientes animadvertite.* Sapientia vero clamabat hæc, ſtans in compitis & triviis; gentiles triviales, communes, atque adeo immundos alloquens: quique aperte hoc loco deſignantur per *filios hominum*, nec non per *inſipientes*. Quos & *parvulos* hic etiam dici liquet. Eoſdem nimirum parvulos intellexit vox eadem de cœlo audita, quæ Iudæos & gentiles in unam gentem & eccleſiam coactos, horta-

tione

tione hac incendit, Apocalypſcos capite 19. *Laudem dicite Deo noſtro omnes ſervi ejus, & qui timetis eum, parvuli & magni.* Hoc eſt, laudate Dominum Iudæi & gentiles, quales olim eritis concorpores & unanimes. Vel, ut vertit & retulit D. Paulus Romanorum 15, *Iubilate gentes cum populo ejus.* Sed de conſpiratione illa Iudæorum & gentium in laudando Domino, pluribus ſuo loco agemus.

Gentiles dici parvulos, manifeſtum eſt pſalmo 64. *Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum.* Hoc eſt, confixi ſunt gentiles ſuo ipſorum telo quod in Iudæos direxerant. Vel ſecundum pſalmum 35. *Captio quam gentiles Iudæis abſcenderant apprehendit illos, & laqueum cecidere in ipſum.* Exclamat ſapientia, Proverbiorum capite 1. *Vſque quo parvuli diligitis infantiam, & ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia cupient, & imprudentes odio habebunt ſcientiam?* Parvuli eo loci, ſtulti, & imprudentes, gentiles ſunt; qui more infantium balbutiunt, qui ſibi noxia cupiunt, & ſcientiam quæ Dei eſt averſantur. Parvulos Salomon eoſdem habuit nequam & improbos homines, capite 7, ejuſdem libri, ubi hæc ait. *De feneſtra domus meæ per cancellos proſpexi, & video parvulos: conſidero vecordem juvenem, qui tranſit per plateam, juxta angulum, gradiens in obſcuro, adveſperaſcente die. &c.* Parvulos accipe hic, non infantiæ conterminos; ſed vecordes, voluptatis robuſtæ, & improbos homines, qui meretricibus ſe applicant: quod ſequentia oſtendunt.

Puſilli autem & parvi dicti ſunt gentiles, reſpectu Iudæorum, qui vocati ſunt *gens magna, neque alia eſſet Natio tam grandis*, Deuteronomii 4. *Tum cæteris gentibus excelſior*, Deuteronomii

nomii 26. Magni vero, grandes, & excelſi dicti ſunt Iudæi, non ratione ſtaturæ ſuæ. *Locuſtæ enim videbantur* comparati Chananæis, quos exploratores luſtraverant: quique Numerorum 13, *filii Enac*, de genere erant Giganteo, *proceræ ſtaturæ homines*, & monſtra hominum, reſpectu ad Iudæos homunculos habito. Magni ergo Iudæi quatenus electi, & Deo dilecti erant; & quatenus ratione illa ceteris populis & nationibus præcellebant. Gentiles è contra, neque electi, neque Deo dilecti, oppoſito argumento; *humiles, parvi, & puſilli*. Illo confer quæ ſcripta ſunt Apocalypſeos capite 24. *Et vidi mortuos magnos, & puſillos.* Quæ non refer vel ad ætates, vel ad ſtaturas eorum qui reſurgent: ſed ad reſurrectionem futuram Iudæorum & gentilium, quam D. Paulus vocaverat Actorum 24. *reſurrectionem juſtorum & iniquorum*: de qua ſuperius. Rationem reddidit hanc Salomon, quare gentiles parvi & puſilli dicerentur, libro illo quem aiunt inſcripſiſſe Sapientiam, capite 12. *Quia*, inquit, *in erroris via errarent, Deos æſtimantes quæ in animalibus ſunt ſupervacua. Infantium inſenſatorum more viventes. Propter quod, tanquam pueris inſenſatis, judicium in deriſum Deus illis dediſſet.*

Senſu illo accipe quæ profitebatur Dominus in Euangelio D. Matth. cap. 11. *Confiteor tibi pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus: & revelaviſti ea parvulis.* Hoc eſt, quia Euangelium quod notum non feciſti Iudæis, revelaviſti illud gentilibus. Sapientes enim & prudentes Iudæi ſunt; juxta illud Exodi 4. *En populus ſapiens & intelligens.* Parvuli autem, gentiles intelliguntur. Venerat ſiquidem Chriſtus, non Iudæis quos rejiciebat, quia

in

in illum non credebant; ſed gentilibus, quos homo factus vocabat, & ſibi aſſumebat. Ad vocationem & aſſumptionem illam gentiles invitaverat Sapientia eadem, Proverbiorum 9, his verbis. *Si quis eſt parvulus, veniat ad me. Et inſipientibus locuta eſt: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis. Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentiæ.* Invitavit nimirum Chriſtus gentiles, quos eo loci per *inſipientes & parvulos* denotavit; ad participationem Euangelii, ad manducationem corporis ſui, & potum ſanguinis ſui; quibus infantia & inſipientia hominum ejuratur, vita æterna ingeneratur, & prudentia quæ Dei eſt acquiritur.

Indignabantur Principes Judæorum, quod pueri in templo Jeſum dicerent *filium David;* id eſt, Regem; & clamarent illi *Hoſanna*. Alludens vero Jeſus à pueris ad gentiles, qui parvuli & infantes dicebantur; hæc Judæis reſpondit. *Vtique nunquam legiſtis, quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* Nempe illud volebat Dominus. Vos, ô Judæi, me rejicitis & infamatis. At gentiles, ut ſcriptum eſt, me accipient, & laudem meam perficient. Per *infantes* enim & *lactentes*, gentiles intellexit, qui *pueri* & *parvuli* dicti ſunt.

Figurate etiam accipienda ſunt D. Luc. illa capite 18 Euangelii ſui. *Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos. Talium enim eſt regnum cælorum.* Quod eſt, ſinite gentiles venire ad me; illi enim vocem meam audient, & nomini meo credent. At *talium*, id eſt, eorum qui me audient, & mihi credent, *Regnum cælorum eſt.* Infantum certe & puerorum, quæ & primæ creationis ſimplicitas eſt, non illa eſt ſimpliciter per

quam

quam intratur in regnum cœlorum, vel per quam electio & ſalus eſt, ſed gratia Euangelii, & quæ gentilium fides eſt in Chriſto. Quod ut clarius concipias, animo hauri quæ ſequuntur. *Quicunque*, ait Chriſtus, *non acceperit regnum Dei ſicut puer, non intrabit in illud.* Quæ ſic verte & reſolve. Quicunque non acceperit doctrinam Euangelii ſicut puer: id eſt, ſicut gentilis; qui mihi credet, & gratiæ meæ humiliter confidet: non ſicut Judæus, qui Moſi credit, & operibus legis Moſaicæ glorioſe addictus eſt; ille non erit particeps ſalutis & gloriæ quæ eſt in regno Dei.

Altercabantur diſcipuli Jeſu, Judæi & ipſi, quis major eſſet in regno cœlorum. Matth. 18: *Et advocans Ieſus parvulum, ſtatuit eum in medio eorum, & dixit. Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli; non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic erit major in regno cœlorum.* Certum eſt, parabolam fuiſſe quicquid fere ageret aut loqueretur Chriſtus. Parabolice ergo & figurate ſignificavit hoc loco Judæis, inani gloria turgidis, quia magni & gens magna dicebantur: niſi detumeſceret illorum jecur, & gentilitiæ humilitatis more in parvulos & ipſi converterentur; nullum illis fore aditum ad regnum cœlorum. Parvulos autem manifeſte gentiles intellexit hoc loci Dominus, ubi dixit verbis mox ſequentibus. *Qui ſcandalizaverit unum de parvulis iſtis qui in me credunt*, &c. Quod neque de infantibus neque de pueris, ætate infantibus & pueris, accipi potuit: utpote quorum fides balbutiens eſſet: ſed de gentilibus adultis, qui in Chriſtum crederent, ut adulti & rationis maturæ homines

in illum credunt. Iudæi porro ſcandalizare ſoliti erant gentiles: quos nimirum viles, humiles, minimi pretii, & deſpicatos habebant,

Gentiles præterea typos fuiſſe humilitatis Chriſtianæ, quæ per infantes & pueros repræſentatur; Iudæos autem inanis gloriæ fabulas; palam eſt ex parabola & illa, qua Phariſæus glorioſus magnifice in Templum ſe inferebat, ſua in Deum jactans merita. Luc. 18. *Domine*, aiebat, *gratias ago tibi, quia non ſum ſicuti ceteri hominum, raptores, injuſti, adulteri; velut etiam hic Publicanus. Iejuno bis in Sabbatho: decimas do omnium quæ poſſideo. At Publicanus à longe ſtans, nolebat nec oculos ad cælum levare: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.* Phariſæus eo loci non dubio Iudæus erat. Quocirca aiebat: *Non ſum ſicut ceteri hominum*: id eſt gentilium. Publicanus autem gentilis erat. Aiebat enim, *propitius eſto mihi peccatori*: id eſt gentili. Tum qui exigebant Judæorum vectigalia publicani, gentiles erant, ut monuimus ſupra. Humilitas certe gentilitia, quæ vitium erat abjectionis & vilitatis ante Euangelium, evaſit in virtutem Chriſtianam, ſub Euangelio. Gloria ex adverſo illa, qua ſe in gentem magnam efferebant Judæi ante Euangelium; verſa eſt in fumum inanis ſuperbiæ ſub Euangelio. Atque hinc factum eſt, quod gentiles humiles, in Judæos vere magnos exaltati ſunt. Judæi è contra glorioſi, abierunt in gentiles humiles & abjectos. *Dico vobis*, aiebat Dominus: *deſcendit publicanus juſtificatus in domum ſuam.* Luc. eodem. Juſtificatus, id eſt, juſtus & Judæus, è gentili factus. Phariſæus è contra non exauditus, deſiit eſſe juſtus & Judæus; & in gentilem diſceſſit. Quo refer

D. Matth.

D. Matth. illud nuper laudatum, capite 18. *Quicunque humiliaverit ſe ſicut parvulus* (& gentilis) *hic erit major in regno cælorum.*

Notandum inſuper eſt curioſe D. Pauli & illud, Romanorum 2. *Tu*, ô Judææ! *confidis te ipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum qui ſunt in tenebris, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium.* Per cœcos, per eos qui ſunt in tenebris, per inſipientes, & per infantes, certum eſt intelligi hoc loco gentiles: quorum Judæi ſe duces, præeuntes, eruditores, & magiſtros præſumebant: Prærogativa illa, qua ſe *in lucem gentium datos* exiſtimabant. Iſai. 42. Totum ſcilicet Romanorum caput hoc, in Judæos (ut legere erit) qui gentiles parvi pendebant, & nihili faciebant, inſtitutum eſt. *Magiſter* ille *infantium* Divo Paulo, idem eſt qui *Doctor parvulorum*, Iſai. capite 33. *Vbi eſt*, inquit ille, *literatus, ubi legis verba ponderans, ubi doctor parvulorum?* Literatus, & legis verba ponderans, doctor Judæus eſt; qui & parvulorum, id eſt gentilium doctor dicitur hoc loco: quatenus advenas & proſelytos ſuos gentiles, legem ſuam docebant Judæi: quatenus, inquam, ſe in lucem gentium datos ventilabant, & lumen eorum qui erant in tenebris: id eſt gentilium; qui & ipſi tenebricoſi, & quibus Deus habitabat in nebula, neque ſeſe manifeſtum dabat.

Qui Græcis Νήπιος eſt, Latinis infans dicitur: qui fari neſcit: quique pro ſtulto & ignaro vulgo uſurpatur. Stultus enim & ignarus nihil habet quod dicat. Gentiles ſtultos & ignaros prædicabant Judæi, quia neſcirent legem ſuam; neque illud loqui putabant quod non loqueretur legem Dei. *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Mutum ſcilicet

cet Propheta Rex credidiſſet, ſi quicquam locutus eſſet præter laudem Dei, juſtitiam & legem ejus: quod præcipuum erat Judæorum electorum officium. Quorum idcirco labia *circumciſa* dicebantur. Gentiles autem labii erant *incircumciſi*. Proinde vere Νήπιοι & infantes habebantur.

Dicti ſunt gentiles parvi, ratione & illa qua pauperes habebantur; neque illis, ſicut Judæis, aperuiſſet Deus theſauros electionis ſuæ & gratiæ. Parvus & tenuis, pauper idem eſt. Servius ad illud Virgilii, *Setoſi caput hoc apri tibi Delia, parvus, Et ramoſa Micon vivacis cornua cervi* &c. Parvus Micon; id eſt pauper. Per pauperes deſignantur maxime gentiles apud auctores utriuſque fœderis. Pauper & mendicus non erat apud Judæos, vetante illud lege. Et qui intra portas Judæorum mendicabant, advenæ, id eſt gentiles erant. Neque vero tam anxie pauperes commendabat Chriſtus Apoſtolis ſuis, qua inopes erant: inopes enim & ipſi Apoſtoli quo pacto inopes adjuraſſent? ſed qua gentiles per pauperes intelligebat, quos adventu illo ſuo Chriſtus vocabat ad participationem electionis & gratiæ quæ à Judæis eſt: & quibus oſtium Euangelii ſui aperiebat.

CAPUT IX.

Gentiles dicti filii iræ. Inimici & hoſtes Dei. Beſtiæ, & beſtiæ habiti à Iudæis: imo beſtiæ immundæ. Oppoſitionis comparatio inter Iudæos & gentiles.

EPheſios Gentiles vocavit, *filios iræ*, D. Paulus, Epheſiorum 2. Et ſe gentilibus permiſcuit, gentilium Apoſtolus, quando dixit,

dixit, *& nos eramus natura filii iræ*. Gentiles natura ſunt filii iræ: ſive illos creationis primæ filios concipimus, quam Deus faſtidit: ſive eoſdem reputamus Iudæis oppoſitos, qui natura electionis myſticæ, *filii dilectionis* habentur.

Vocantur etiam gentiles, *inimici*, & *hoſtes Dei*: quatenus prima creatio quæ caro eſt, inimica Deo eſt: vel quatenus gentiles naturali animorum averſatione Iudæis infenſi ſunt. *Pereant omnes inimici tui*, canebat Debora, quæ gentiles, Dei & Iudæorum hoſtes, deleverat. Sed de gentilibus Deo inimicis, & Iudæorum hoſtibus, ubi locus erit, pluribus agam.

Ceterum quod ſummum fuit gentilium dedecus, comparati ſunt paſſim beſtiis apud auctores ſacros: & beſtiæ, infra homines, reputati ſunt; ratione illa oppoſitionis omnium maxima, qua Iudæi ſupra homines, dii nominati ſunt. Hæc de gentilibus qui Iſraelem impetiverant querebatur pſalmus 22. *Circumdederunt me vituli multi. Tauri pingues obſederunt me, aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut Leo rapiens & rugiens*. Tum pſalmo 57. *Eripe animam meam de medio catulorum Leonum. Filii hominum, dentes eorum arma & ſagittæ*. Imo & *Beſtias* nomine dixit gentiles pſalmus 74. *Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi*. Id eſt, ne tradas Iudæos qui te Deum ſuum confitentur, gentilibus Iudæorum hoſtibus, qui te neque norunt neque confitentur. Quo refer & Baruc Prophetæ illud, capite 3. *Ubi ſunt Principes gentium, & qui dominantur ſuper beſtias terræ?* Principes ibi dicuntur gentium, qui dominantur ſuper beſtias: id eſt, ſuper gentiles, greges, & populos ſuos.

Celebris de hac re locus eſt apud Iſaiam capite 43. *Honorabilis & glorioſus factus es in oculis meis*, dicebat Deus populo Iudaico : *Ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua*. Quod eſt ; Expiabo & redimam te morte hominum,& populorum,id eſt gentilium ; quos in vicem beſtiarum pro te immolabo. Nil vero majus concedi potuit Iudæis , honore illo & gloria illa ; quo honorabiles & glorioſi fierent ante oculos Dei. Annumerantur quinetiam gentiles inter beſtias & animantia terram calcantia, Iſaiæ ejuſdem capite 42. *Hæc ait Dominus creans cælos, dans flatum populo qui eſt ſuper terram, & ſpiritum calcantibus eam*. Populus eo loci calcans terram, indiſtincte ſumitur pro hominibus & beſtiis. Qua ratione gentiles , *populus non populus*, dicti ſunt,Deuteronomii 32. *Provocabo vos in gente quæ non eſt gens, & in populo qui non eſt populus*. Quibus verbis gentiles intellexit Deuteronomium , nec non homines creationis primæ illos, qui proprie magis greges, ferarum more, componunt : præciſe minus civitates , & ſocietates hominum legitimas conſtituunt.

Judæi non æſtimabant homines ex ratione, ſed ex intellectu. Intellectu inquam illo quo Dei veri notitia elicitur, & qui ſupra rationem eſt. Intellectu quinetiam eodem illo, qui manifeſtatione divinæ legis populo Iudaico datus erat; quique ſpiritus Chriſti immiſſione, Chriſtianis revelatus eſt. Hinc illud eſt celebre promiſſum Iſraeli factum pſalmo 32, *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via qua gradieris*. Tum ſeriatim ibidem, præceptum datum Iudæis iiſdem. *Nolite fieri ſicut mulus & equus, quibus non eſt intellectus*. Et certe, intellectus divinus ille

ille eſt, qui tota ſpecie differre facit homines à brutis. Neque enim ratio illud potuit. Quam ſi excellentiorem habent homines mulo & equo; communem tamen aliquatenus habent cum mulo & equo. Nempe illud tam alte ſederat Iudæorum mentibus, ut gentiles non putarent homines, quia illos putarent intellectus Dei omnino expertes.

Deputatos ſed enim cernere erit gentiles inter beſtias immundas, Matth. 15. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* aiebat Dominus mulieri Chananææ & gentili. Quo loci, *Filii,* Iudæi ſunt. Gentiles, *Canes* dicuntur. Eo reſpiciens Dominus idem, edicebat diſcipulis ſuis Iudæis, apud eundem Matth. capite 7. *Nolite dare ſanctum canibus; neque mittere margaritas veſtras ante porcos.* Id eſt, nolite quæ Sanctorum & Iudæorum ſunt, dare gentilibus; quos Euangeliſta vocat hic *Canes,* & *Porcos.* Debuerunt ſcilicet Apoſtoli Judæis ante omnes prædicare Euangelium; & priuſquam ad gentes converterentur. Exquiſitum denique eſt quod monebat Dominus Luc. 12. *Deus,* inquit, *curat paſſeres & corvos.* Quæ de Judæis & de gentilibus dicta ſunt, quos Deus haberet & curaret nullo diſcrimine. De Judæis, qui hic deſignantur per *Paſſeres mundos*: & de gentilibus, qui per *Corvos immundos* ſignificantur.

Immundi habebantur gentiles à Judæis, Actorum 10: ubi hæc D. Petrus. *Vos ſcitis quomodo abominandum ſit viro Iudæo, conjungi aut accedere ad alienigenam.* (qui gentilis eſt.) *Sed mihi oſtendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem.* Hoc nimirum edixerat Angelus Petro, ibidem. *Quod Deus purificavit,*

tu commune ne dixeris. Antequam ergo Deus purificaret gentiles; id eſt ante Chriſtum mortuum, communes & immundi erant gentiles: ſed à Chriſto mortuo, & ex quo purificavit Deus gentiles, neminem communem aut immundum dicere licuit hominem.

Verum ut quæcunque hic congeſſi de Judæis & de gentilibus, ſynopſi comprehendam: nec non ut exhibeantur gentiles genere & natura diverſi à Judæis: Inducamus in animum noſtrum gentiles undequaque, & ex adverſo, Judæis oppoſitos. Judæos Electione, & formatione ſua, Deorum loco poſitos: gentiles, creatione ſua homines ſimpliciter æſtimatos. Iudæos, filios Dei: gentiles, filios hominum. Iudæos, ſanctos: gentiles, iniquos & impios. Iudæos, juſtos: gentiles, peccatores. Iudæos, ſapientes & intelligentes: gentiles, ſtultos & inſipientes. Iudæos, magnos & excelſos: gentiles, parvulos & homunciones. Iudæos, divites: gentiles, pauperes. Iudæos, filios dilectionis: gentiles, filios iræ. Iudæos, amicos: gentiles, inimicos. Iudæos, mundos habitos: gentiles, immundos, & beſtias immundas infamatos.

At ſi quandoque legimus Iudæos & ipſos *Homines* ſimpliciter dici: nec non *filios hominum, iniquos, impios, peccatores, inſipientes, parvi & nihili homines, filios iræ, inimicos, immundos, beſtias*: & ceteris elogiorum carbonibus impleri, quibus gentiles inducuntur: accipienda illa ſunt de Iudæis qui transfugerant ad mores gentilium; Qui, ut loquitur pſalmus primus, *abierant in conſilio impiorum*; qui *in via peccatorum, non in lege Dei, ſteterant*. De Iudæis *qui ſe dicebant Iudæos, & non erant, ſed Synagoga Satanæ*. Quales vocantur cap. 2. Apocalypſeos.

CAPUT X.

Iudæi formati à Deo in Adamo. Gentiles creati à Deo. Et creati verbo Dei ſicuti ceteræ animantes; nec non eadem die qua ceteræ animantes. Iudæi peculiariter formati manibus Dei. Deus Iudæorum plaſtes dictus. Adam primus pater Iudæorum. Iudæi filii Adam vocantur.

IUdæi filii Dei ſunt, electione & formatione. Electione, quæ myſtica generatio fuit. Formatione, quæ ad naturam propius acceſſit. Formavit Deus Iudæos in Adamo, quemadmodum apprehendit illos in Abrahamo, & manu duxit in Chanaan. De quo Iſaias capite 41. *Et tu Iſrael ſerve meus, ſemen Abrahæ amici mei. In quo apprehendi te ab extremis terræ, & à longinquis ejus vocavi te.* Introduxit Deus Iudæos ad terram ſanctam in Abrahamo; myſterio promiſſionis illo, quo terram illam dedit Iudæorum primo Abrahamo, & promiſit cum juramento illam ſemini ejus. Quo reſpectu, Abrahamus primus Iudæorum pater, quoad promiſſiones, jure habetur. Formavit Deus Iudæos in Adamo, ratione illa qua Adamum primum Iudæorum patrem formavit: eumque, quoad formationem, auctorem & parentem primum Iudæorum eſſe voluit. Quare & *plaſtes Iudæorum* dictus eſt Deus, Iſai. 45. *Hæc dicit Dominus, ſanctus Iſrael, plaſtes ejus.* Plaſtes fuit Deus, Iſrael; quatenus plaſtes fuit patris primi Iſrael: Adami ſcilicet, quem formavit de limo terræ. Quapropter & prædicatur Deus, Deuteronomii 26, *Feciſſe Iudæos excelſiores omnibus gentibus quas creaverat.* Creaverat nempe Deus gentiles primo, & primæ creationis homines.

Formavit deinceps Judæos, promiſſionis & ſecundæ creationis filios.

Conſideratione dignum eſt, quod primæ creationis homines,(qui ex mea hypotheſi gentiles ſunt) ſicut & mundus totus, creati fuere *Verbo.* Notavit illud expreſſim caput primum Geneſeos; quod primæ creationis caput eſt: *Et dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem noſtri.* Dixit, *faciamus.* Et verbo fecit. At non verbo, ſed manu, & lutum manibus ſubigendo, effinxit Deus Adamum, capite 2, Geneſeos: Quod caput peculiariter inſtitutum eſt ſuper formatione Adami, & formatione Iudæorum in Adamo. Quorum ſcilicet hiſtoriam ſcripturus Moſes, incepit illam ab limo Adami, patris primi Judæorum: ut ſolenne eſt hiſtoricis omnibus, qui gentis ſuæ hiſtorias literis tradunt, à primis illius auctoribus ordiri illas.

Et formavit Dominus Deus Adam de limo terræ: ait Genèſis capite 2. Non creavit Adamum verbo: ſed manu formavit illum de limo terræ. Fuit limus ille quo Adamus formatus eſt, in manu Domini Dei, *ſicut lutum eſt in manu figuli,* ut ad hanc rem locutus eſt Ieremias. Quocirca & ſcriptum legas apud Iſaiam cap. 45 dudum laudato, *ventura interrogate ſuper filios meos, & ſuper opus manuum mearum mandate mihi.* Vbi, filii Dei, & opus manuum Dei, manifeſto Judæi ſunt. Scio, ſcriptum eſſe apud eundem Iſaiam capite 48. *Manus mea fundavit terram, & dextra mea menſa eſt cælos.* Nec non capite 19. *Opus manuum mearum Aſſyrius.* Sed notandum eſt, manus Dei ubi leguntur creationi adhibitæ, uſurpatas locis illis ſecundum vim linguæ Hebraicæ, pro virtute & potentia illa Dei, quæ verbum ipſum Dei eſt. Atque illo reſpectu ver-

verbum Dei, qui filius Dei; quique virtus, vires, & magna Domini potentia ſolus eſt; non ſolum *manus*, ſed *brachium Domini*, vocatum eſt: quod alias penſiculatius examinandum mihi erit. Verum ubi manus Dei, plaſticæ, & tanquam figulo adhibentur: tunc vere & proprie ſumuntur pro manibus ipſis, quibus figulus lutum perdepſit, & plaſma effingit. Qua ratione igitur dictus eſt dominus *Iudæorum plaſtes*, Iſai. 45. dicti ſunt Judæi ſignificatione eadem vere & proprie; *opus manuum Domini*; apud eundem capite eodem.

Numeratur certe Adamus primus, & pater Judæorum, in genealogia Chriſti, quæ deducitur à Chriſto ad Adamum, capite 3 Euangelii ſecundum Lucam. Vbi adverte ſedulo, Adamum, auctorem, primum patrem, & ſtirpem Judæorum, *Filium Dei* inſignitum. Scriptum enim eſt ſub finem capitis illius 3. *Qui fuit filius Henos, qui fuit filius Seth, qui fuit filius Adam, qui fuit filius Dei*. Adam ergo filius Dei fuit. Formatione ſcilicet, & ratione illa qua de limo terræ formatus, opus manuum Dei fuit. Qua itidem formationis ratione, Judæi omnes Adamitæ, id eſt Adami filii, formati à Deo, & opus manuum Dei in Adamo, filii etiam Dei intelliguntur. At certe, quidni Judæos Adamitas dicam, ſi dicuntur iidem Iacobitæ, Iſaacidæ, Abrahamitæ? Argumento nimirum eodem, quo Adamus Abrahami ipſius, Iſaaci, & Iacobi pater fuit.

Vocantur Judæi nominatim, filii Adam, pſalmo 58. *Si vere utique juſtitiam loquimini, recta judicate, filii Adam. Etenim in corde veſtro iniquitates operamini. In terra injuſtitias manus veſtræ concinnant*. Increpat hoc loco Judæos

Propheta Rex, quos ſecundum textum Hebraicum *filios Adam* vocat. Quia juſtitiam loquebantur, & legem Dei ore tenus profitentes, prava judicabant: nec non corde & affectu iniquitates gentilium operabantur. Quod opprobrium Iudæis ingeſtum ſæpe legas. Tale illud eſt Iſai. 49. *Appropinquat populus iſte, & labiis ſuis glorificat me. Cor autem ejus longe eſt à me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis.* Id eſt, coluerunt me juxta ritus, mandata, & doctrinas gentilium. Secundum probrum objectum Iudæis hoc pſalmo eſt, *Quod manus eorum injuſtitias concinnarent in terra.* Quæ terra intelligenda eſt, electa, ſancta, *& terra ſanctorum,* id eſt Iudæorum, Iſai. 26. Magnum crimen erat Iudæis, concinnaviſſe injuſtitias; ſed multo majus, concinnaviſſe illas in terra Domini, electa & ſancta: *quam repleviſſe iniquitate*, ut loquitur Ezechiel cap. 8, irritaviſſe Deum fuit. Hinc & illud improperatum Eccleſiæ Iudaicæ, Ierem. 3. *Polluiſti terram in fornicationibus & malitiis tuis.* Quod alibi idem dixit, *Contaminaviſti terram.*

Intelliguntur ergo hic Iudæi per filios Adam, qui juſtitiam ore loquerentur, prava autem judicarent, nec non corde iniquitates operarentur, & injuſtitias in terra ſancta & electa concinnarent. Quod erat Iudæis, gentilium more vivere. Atque ut filios Adam, id eſt Iudæos, deterreret David à talibus & gentilium factis: exhibuit eis gentiles quales eſſent, & quas pœnas pro ſceleribus ſuis expectarent, pſalmo eodem, & verbis proxime ſequentibus. *Alienati ſunt*, inquit, *peccatores à vulva, erraverunt ab utero, locuti ſunt falſa*, &c. quæ lege eo loci. Peccatores *alienatos à vulva*, & *errantes* dixit *ab utero*;

eadem

eadem mente qua D. Paulus Epheſiorum 2 gentiles ſtatuit, *Natura filios iræ*. Idem enim eſt, à natura, quod à vulva, & ab utero. Additur hic, *locuti ſunt falſa*. Quæ gentilibus ſolis competere potuerunt: loquebantur enim pſalmo hoc filii Adam, id eſt Iudæi, *juſtitiam, & vere. Si vere utique juſtitiam loquimini, filii Adam*. Imo veritas Iudæis conceſſa eſt, juxta illud Michææ, capite 20. *Dabis veritatem Iacob*. Veritas illa, Lex, & juſtitia Dei fuit. Quocirca & dicti ſunt Iudæi, penes quos Lex Dei erat, *Gens juſta, & cuſtodiens veritatem*. Gentiles è contra intellige hic, per *peccatores qui falſa locuti erant*. ſecundum illud pſalmi 5, *Non eſt in ore Gentilium veritas*. Atque ibidem, *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Tum pſalmo 62. *Vani filii hominum, & mendaces in ſtateris*. Vani & mendaces junguntur. Atque ubi D. Paulus ſcripſit Romanorum 1, *Creationem omnem ſubjectam eſſe vanitati*, intellige creationem primam, quæ per ſe vana, & mendax, & volucri ſomno ſimilis eſt. Quapropter & gentiles creationis primæ homines, natura eadem, *vanos, mendaceſque improba finxit*. Filii ergo Adam, Iudæi, qui vere juſtitiam loquebantur. Peccatores, gentiles qui falſa locuti erant.

CAPVT XI.

Iudæi vocantur à Moſe, filii Adam. Explicatur caput 32 Deuteronomii. Explicantur Iſaias & Oſeas, ſuper Adam patre primo Iudæorum. Gentiles dicti alienigenæ. Iudæi ſpecies hominum diſtincta à ſpecie gentilium. Gentiles terrigenæ. Explicatur pſalm. 49. Abraham habuit ſervos vernaculos, & emptitios qui non erant ex ſtirpe ſua: id eſt, Adamica. Filii hominum,

qui? Filius hominis, quis? Differentia inter fratres Iudæorum, & gentiles alienigenas.

INſignis locus eſt Deuteronomii 32, quod & Moſis canticum: quo Iudæi prophetice reſtituti in terram ſuam, ſeparantur ab univerſis populis & gentilibus. Populi autem & gentiles diviſi à Iudæis (quos ſcilicet Iudæi medii inter illos poſiti olim diriment) conſtituuntur juxta Iudæos, & terræ Iudaicæ hinc & inde contermini. *Quando*, ait Moſes, *dividebat altiſſimus gentes. Quando ſeparabat filios Adam. Conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſrael. Separavit* ibi Moſes Iudæos, quos vocat *filios Adam*, ab aliis gentibus: juxta illud Salomonis Deum pro ſalute Iudæorum deprecantis: *Separaviſti illos tibi in hæreditatem, de univerſis populis terræ.* Diviſit gentiles Moſes, ratione illa qua gentiles inter Iudæos interjecit. *Conſtituit populorum terminos juxta numerum filiorum Iſrael:* vel quod perinde eſt, *juxta duodecim tribus Iudaicas*: intellectu eodem quo ſcriptum legitur Iſai. 14. *Adjungetur advena ad eos, & adhærebit domui Iacob. Domui Iacob*, id eſt duodecim tribubus Iudaicis: qui numerus eſt filiorum Iſrael. Tum capite 54. *Ecce accola veniet qui non erat mecum: Advena quondam tuus adjungetur tibi.* Adjungentur & adhærebunt gentiles Iudæis; juxta Iudæos, & juxta Iudæorum terminos conſtituentur: ſed non illis miſcebuntur. Quod nota. Nempe illud authentice decretum & promiſſum fuerat, Deuteron. 33. *Habitabit Iſrael, confidenter, & ſolus. Solus*, id eſt, mixtura gentium incontaminatus. Quod nondum fuit, ſed futurum eſſe demonſtrabitur ſuo loco.

Rationem addidit Moſes hanc, ſeparationis Iu-

Iudæorum à gentilibus, cantico hoc eodem, & verbis individue ſequentibus. *Pars autem Domini populus ejus. Iacob funiculus hæreditatis ejus.* Id eſt, quamvis benedicat dominus in die illa gentilibus omnibus, illoſque in Electione erciſcunda, hæreditate ſua impertiat: quamvis in die illa, ſecundum promiſſum datum Abrahamo, benedicatur gentibus omnibus in ſemine Abrahami: Iudæi tamen, qui ſunt ſemen ipſum Abrahami, primo & ante gentiles benedictum; pars erunt potior hæreditatis Domini, & in hæreditatem Deo peculiarem reputabuntur. Separantur vero electiora à minus electis, quemadmodum vas electionis ſupra alios electos eximium D. Paulus, *ſeparatum* vel *ſegregatum* ſe dixit *in Euangelium Dei*, capite 1. epiſtolæ ad Romanos.

Accommodantur porro hæc prophetiæ Iſaicæ, nec non explicantur per illam, capite 19. *In die illa erit Iſrael tertius Ægyptio & Aſſyrio; benedictio in medio terræ cui benedixit Deus. Benedictus populus meus Ægypti, & opus manuum mearum Aſſyrius. Hæreditas autem mea Iſrael.* Vbi nota, Ægyptium trans Nilum & ſinum Arabicum; Aſſyrium trans Euphratem; poſitos hinc & inde Iſraëli conterminos. Iſraëlem vero tertium, inter Ægyptium & Aſſyrium, & intra limites ſuos fluviales interjectum: Nilum ſcilicet & Euphratem. Nota inquam, Iſraëlem poſitum *tertium*, & medium inter Ægyptios & Aſſyrios; nec non *benedictionem in medio terræ*, illius ſanctæ, *cui benedixiſſe* hic dicitur Deus. Ægyptios ergo & Aſſyrios cernere erit, hinc & inde *conſtitutos juxta numerum filiorum Iſrael*, & propter ripas tribuum Iudaicarum collocatos. Filios vero Adam, ſive Judæos ipſos, ſe-

paratos ab Ægyptiis & Aſſyriis: quos inter nimirum poſiti, Nilo & Euphrate dividunt. Synopſi vero illud perſpicua exhibetur in Tabula chorographica Terræ ſanctæ, capiti tertio hujus libri inſerta, quam vide pag. 69. Separati igitur Moſis cantico filii Adam, Judæi ſunt. Diviſæ autem gentes à Iudæis interjectis; & conſtituti juxta numerum filiorum Iſrael populi, Ægyptii & Aſſyrii gentiles intelliguntur.

Dicti ſunt Iudæi, Adami filii, relatione eadem qua Adamus dictus eſt Iudæorum pater, Iſai. 43. Increpitans Deus Iſraelem capite illo, propter peccatum ſuum, hæc illi objiciebat. *Pater tuus primus peccavit*. Quæ de patre Iudæorum, neque vero gentilium, intellexit Propheta. Alloquebatur enim Iſraelem tantum. Proinde vero, *Pater tuus*, ô Iſrael, dixit: Non pater idem & promiſcue gentilium. Pater autem primus ille Iudæorum, non dubio Adamus eſt. Quia peccator non datur prior, neque poſterior intelligendus eſt. Audiamus ſed enim Oſeam Iſaiæ interpretem, capite ſexto prophetiæ ſuæ; quo Deus probrum hoc idem Iudæis iiſdem oggerit. *Ipſi*, ait, *ſicut Adam, tranſgreſſi ſunt pactum meum*. Adam ergo ut Iudæorum pater primus, ita & peccati Iudaici prototypus; ad cujus exemplum Iudæi peccatores, & patre peccatore prognati, pactum Dei tranſgreſſi ſunt. Et qua ratione Adam primus pater Judæorum eſt; Iudæi viciſſim omnes revera ſunt filii Adam. Tum qua Adam filius Dei, & genus Dei eſt, Iudæi item, filii Dei & *Genus Dei* ſunt. *Væ genti inſurgenti contra genus meum*, canebat Iudith gentium victrix. Id eſt: Væ gentilibus contra Judæos inſurgentibus.

Alienigenæ è contra dicti ſunt gentiles, quibus.

bus genus non eſt ab Adamo & Deo. Ad quos alienigenas & gentiles, nefas erat Iudæis accedere. Actorum 10. *Abominandum Iudæo conjungi aut accedere ad alienigenam*: id eſt, ad gentilem. Peregrini præterea, hoſpites, & advenæ, Iudæis habiti ſunt: ratione illa qua alienati non ſolum à gente & familia, ſed etiam à civitate Iſrael; neque in fratres, neque in cives ſanctorum, id eſt Iudæorum, reputabantur: Epheſiorum 2. *Ædificabunt filii peregrinorum muros tuos*. Iſai. 60. Tum cap. 61. *Et ſtabunt alieni, & paſcent pecora veſtra: & filii peregrinorum, agricolæ, & vinitores veſtri erunt.* Quæ de gentilibus, vel Iudæorum famulis, vel mercenariis intelligi debent. Quibus adde ſexcenta ejuſdem generis alia, quæ paſſim occurrunt apud auctores ſacros.

Sed neque genere tantum, & ſignificatione illa generis, diſtinxit Deus Iudæos à Gentilibus: ſed etiam ſpecie ipſa differre utroſque voluit. *Elegit nos hæreditatem ſuam, ſpeciem Iacob, quam dilexit*: pſalmo 47. Vbi nota Judæorum ſpeciem diſtinctam à ſpecie gentilium, quam neque dilexerat neque elegerat Deus in hæreditatem ſuam. Diſtincta certe eſt apud Philoſophos hominum ſpecies, à brutorum ſpecie. Diſcreta vero eſt apud ſcriptores ſacros, illoſque Iudæos, Iudæorum ſpecies à ſpecie gentilium: quos paſſim confuſos legas cum brutis animantibus, & beſtias æſtimatos, reſpectu ad Iudæos habito; qui vel *homines* per excellentiam; vel excellentiori titulo, *homines Dei* indigitantur. Iudæorum ſpeciem ſibi ipſi à Domino peculiariter effictam, & formatam deprehendas in Adamo. Gentilium ſpeciem gregatim creatam cernas cum animantibus; uno eodemque neque

diſtincto creationis die: quod diligenter notandum eſt. Nimirum, ut non diſtingueret creationis dies, quos natura creationis non diſtinguebat.

Judæi proprie, & ſeorſim à rebus omnibus creatis ſecundæ creationis plaſmata & figmenta fuere in Adamo. Gentiles proprie, & promiſcue cum rebus omnibus creatis, creationis primæ fuere genimina: & terræ ejuſdem progenies, quæ cæteras germinaverat animantes. Itaque gentes conclamabat Propheta Rex his verbis, Pſalmo 49. *Audite hæc omnes Gentes. Auribus percipite omnes qui habitatis terram. Quique Terrigenæ, & filii hominum, &c.* Gentiles autem, filios hominum, & terrarum habitatores omnium, manifeſto alloquebatur David: quos & *Terrigenas* vocavit: ad differentiam Judæorum, qui non Terrigenæ, vel terra geniti, ut gentiles, à principio rerum creati; ſed terra formati fuere in Adamo. Gentiles porro illos jumentis inſipientibus pſalmo hoc comparatos, ſimiles illis factos aiebat Pſaltes. Vtpote qui jumentorum more, morti devoti eſſent: morti inquam æternæ, à qua non reſurgerent in vitam. *Sepulchra eorum, domus eorum in æternum*: inquit Pſalmus. Nec non ibidem. *Vſque in æternum non videbunt lumen.* Ab illis præterea diſtinctos habuit Judæos David idem Pſalmo eodem: quos nempe hortatus eſt ne Terrigenas & beſtias illas timerent. In quorum ſcilicet greges Judæorum olim futurum eſſet imperium. *Dominabuntur eorum Iuſti in matutino.* Juſti, Judæi ſunt; de quibus ſupra. Dominatio porro illa Judæorum in gentes, nec non *matutinum* illud, explicabuntur ſuo loco. Rationem reddidit hanc Pſalmus idem, quare gentiles terrigenas,

&.

& primæ creationis homines, non timere deberent Judæi, verbis ſeriatim ſequentibus. *Auxilium*, inquit, *eorum veteraſcet in inferno à gloria eorum. Verum tamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.* Animam ſuam cum Judæorum animabus, confundebat Judæorum Propheta & Rex David. Nullus, aiebat ille, gentilium animas redimet. Judæorum animas redimet Deus, cum Judæos acceperit: vel quo tempore Judæos ejectos receperit. Reſurgent gentiles in mortem æternam: vel quod idem eſt, morientur in æternum; creationis ſuæ fato. Reſurgent Judæi in vitam æternam: vel quod idem eſt, vivent in æternum; recreationis & electionis ſuæ prærogativa. Parvi igitur pendant Judæi vita æterna donandi, gentiles morti æternæ aſcriptos.

Tanta vero intercapedine cognationis & generis diſtabant Judæi à gentilibus, ut qua ratione plures dantur regionibus incognitis animantium incognitæ itidem ſpecies; plures etiam datæ fuerint gentes Iudæis ignoratæ: in regionibus puta illis quas Judæi ipſi ignoraverunt. Neque tantum Judæis ignoratæ gentes illæ: ſed & illorum patribus incognitæ. Patribus, inquam, numeratis ab Adamo. Quo reſpiciens Deus hæc interminabatur Judæis, Deuteronomii 28. *Ducet te Dominus, & Regem tuum in gentem quam ignoras, tu, & Patres tui.* Patres indeterminate dixit. Quo nomine Adamus ipſe venit; primus pater, & primus Judæorum limus. Ergo non omnes gentes ab Adamo, & poſteris Adami Judæorum patribus, cognitæ: imo fuere illis omnino ignoratæ, Moſe ipſo teſte. Atqui non ignorant homines ſuas progenies. Neque ignoratæ Iudæis fuiſſent, eorumque patribus, gen-

tes illæ; ſi ab illis, vel eorum patribus, progenitæ fuiſſent. Gentes vero illæ Judæis & Judæorum patribus incognitæ fuere veriſimiliter, Americanæ, Auſtrales, Groenlandicæ: & ceteræ ad quas neque dum vel Judæis, vel Chriſtianis gentilibus, penetrare licuit. Adnecte his quæ de Rege Judæorum ſcripta ſunt, pſalmo 18. *Populus quem ignoro ſerviet mihi.* Et de Pſalmo eadem interpretare & conjice, quæ de Deuteronomio.

Atque ut vero veriſſimo vincam; Gentiles, genere, & prima ſui origine, diverſos à Judæis: attende cogitate ad illa quæ edicebat Deus Abrahamo, quo tempore circumciſionem illi, & toti domui ejus indicebat, Geneſeos 17. *Circumcidetur*, inquit, *vernaculus & emptitius, & quodcumque non fuerit de ſtirpe veſtra.* Id eſt, quodcumque non fuerit de genere Adamico. Adam enim STIRPS & origo prima fuit Abrahami. De quo Geneſis: & de quo Euangelium D. Lucæ eſt. Empticii ergo illi de quibus loquebatur Deus Abrahamo, qui non erant de ſtirpe Abrahami; neque erant de genere Adami, quæ STIRPS Abrahami erat. Alienigenæ erant: ab alio, quam Adamo & ſtirpe Abrahami, oriundi. Neve fruſtra hic contendas, per *ſtirpem* Abrahami, Abrahamum ipſum intelligendum, quatenus pater Iudæorum, & pater Iudæorum primus intelligitur, ratione habita ad Promiſſiones, primo Iudæorum factas Abrahamo: quo etiam intellectu ponitur primus, & tanquam ſtirps Judæorum ſtatuitur capite 1 D. Matthæi, quæ eſt Genealogia Chriſti. Nec non ut tibi conſtet, & tute ipſe fateare, *ſtirpem* hoc loco Abrahami, ad Adamum patrem Abrahami ipſius revocandam: lege quæ ſcripta ſunt in fine capitis

pitis ejuſdem 17. Geneſeos. *Et omnes viri domus illius* (id eſt Abrahami) *tam vernaculi quam emptitii, & alienigenæ, pariter circumciſi ſunt.* Habuit ergo Abrahamus ipſe domeſticos populares, vernaculos, & eodem genere Adamico, atque ille, oriundos: Tum vero emptitios, & *Alienigenas*; id eſt qui erant generis alieni & ſtirpis alienæ, à genere & ſtirpe Abrahami: qui originem ſuam non ducebant ab Adamo, ſtirpe Abrahami: vel quod idem eſt, qui non erant Adamitæ. Quos tamen circumcidiſſe hic dicitur Abrahamus, *pariter*, id eſt, æque atque ſi fuiſſent Adamitæ, & de ſtirpe Abrahami.

Gentilium & populorum omnium ſtirps & origo prima, confuſa & incognita hac de cauſa eſt; quod à principio incognito, & à ſeculis innumerabilibus Aborigines creati in terris omnibus, increſcente propagationis luxurie, qua alii ſuper alios truſi & retruſi ſunt; nec non multiplici compoſitione, qua invicem permiſti & concreti ſunt; ortus ſui primi notitias conturbaverunt. At, quid tale Iudæis non accidit. Illorum etenim propria & certa conſtituitur origo, & ſtirps, in Adamo; à principio cognito, neque uſque adeo longe petito; continua itidem à gentilibus ſeparationis ſerie ad hæc uſque tempora dirivato. Veritatis hujus vadem habemus Joſephum Judæum, & rerum Judaicarum ſcriptorem accuratiſſimum: ubi contra Appionem, propriam ſuæ genti aſſeruit originem, quam ille eo loci vocavit ὑπόστασιν: quamque idem in antiquitatibus ſuis Judaicis deduxit ab Adamo,

Gentiles qui ex mea hypotheſi Aborigines creati à principio in terris omnibus, *Filii hominum,*

minum, ubique fere ſemper vocati ſunt: propter hoc ipſum, quod ſtirpes & origines ſuas primas duxerunt, non ab uno homine, ſed ab innumeris creationis primæ hominibus. *Filius vero hominis* ſimpliciter dictus, Judæus eſt: qui & *filius Adam*, & *filius Iſch*, promiſcue vocatus eſt. Filius nempe Adam patris primi Judæorum, & gentis Judaicæ auctoris unici: nec non illius hominis filius, qui *Iſch*, id eſt *Vir*, per excellentiam appellatus eſt; & cujus uxor *Iſcha*, id eſt *Virago* nuncupata legitur Geneſeos 2.

Vulgata opinio eſt, gentiles oriundos eſſe ex hominibus illis Judæis, qui à Judæis in gentes abierant. Verbi gratia; ex filiis Caini, qui ſe ipſum familia patris ſui Adami abdicaverat: ex filiis Cham, cui Noe maledixerat: ex filiis Iſmael nothi: nec non ex filiis Eſau reprobi. Sed omnibus notum eſſe debet, generis hujus Judæos, nuſquam in alienigenas & gentiles; ſed in Iudæos, & in fratres Iudæorum reputatos. Cujus rei locuples teſtis Moſes eſt Deuteronomii capite 23: ubi agit de his qui aſcribi in civitatem Iudæorum idonei eſſent. *Non abominaberis*, inquit, *Idumæum, quia frater tuus eſt: neque Ægyptium, quia advena fuiſti in terra ejus.* Nota hic diligenter, Idumæos ſeceſſione ſua à filiis Abrahami, capite minutos, reſtitui in cives Iudæorum, tanquam fratres Iudæorum, & ejuſdem generis Iudaici. Ægyptios vero in cives eorundem adſcitos, tanquam hoſpites, tanquam alienigenas, & generis gentilitii. Fratres Judæorum credidit Idumæos Moſes idem: quando miſit nuntios ad Regem Edom, qui dicerent, *Hæc mandat frater tuus Iſrael.* Numerorum capite 20.

Annu-

Annumerantur & inter fratres Judæorum, Iſmaelitæ: qua ratione ſemen Abrahæ dicuntur, Geneſeos capite 21. *Filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia ſemen tuum eſt.* Eadem argue de Ammonitis, & de Moabitis; quatenus ſunt ſemen Lothi, eodem patre oriundi quo Abrahamus natus erat: Thare nimirum, patris Abrahami. Eadem reputa de filiis Cain, & de filiis Cham: & reliquis quibus ſeceſſus fuit à Iudæorum civitate alienus: utpote eadem ſtirpe, & eodem Adamo ortis quo Abrahamus ortus erat.

Dicti ſunt Fratres, Iudæi omnes: quia ejuſdem generis Adamici, & patre uno Adamo ſati ſunt omnes. Gentiles autem neque fratres omnes inter ſe, & invicem; neque fratres Iudæorum reputati ſunt. Non fratres inter ſe & invicem omnes: quia invicem fere omnes diverſis omnino patribus, ex innumera primorum hominum creatione prognati ſunt: quapropter & *Filii hominum* vocari meruerunt; ad differentiam Iudæorum, qui omnes patre uno Adamo claruerunt; atque eapropter *Filii hominis* inſigniti fuerunt. Non numerati ſunt gentiles inter fratres Judæorum: quia enim alterius generis, & diverſi à genere Adamico, alienigenæ, advenæ, & peregrini; nuſquam vero fratres judæorum habiti ſunt. *Non poteris alterius generis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus*: edicebat Deus Judæis, Deuteronomii 17. Id eſt, non poteris gentilem qui non eſt frater tuus, quia alterius generis eſt, conſtituere tibi in Regem. Sed eum tibi conſtitues, *Quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum*: id eſt, Judæorum. Quod ibidem ſcriptum eſt.

Gentiles ergo ſtatuamus genere & ſtirpe diverſos, à genere & ſtirpe Judæorum. Quod probandum mihi incubuerat.

SYSTEMATIS THEOLOGICI
LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Probatur ex Geneſi origo gentilium diverſa ab origine Iudæorum. Gentiles creati fuerunt creatione illa quæ enarratur capite 1. Geneſeos. Creata animalia omnia, & creati omnes homines, maſculus & fæmina, ſexta creationis die; ſicut & plantæ & arbores & volatilia, ſuis diebus; per univerſum terrarum orbem. Quare die illa non fuerit creatus unus homo & ſolus, in terris omnibus, à quo omnes homines naſcerentur.

AGe vero, ut nihil intentatum relinquam, quod ad celeberrimæ diſputationis elucidationem conducere & conferre valuerit; demonſtrabo Gentiles genere diverſos à Iudæis, ex Geneſi ipſa. Cujus ſcilicet lectione bene intellecta, Sole clarius appareat, primæ creationis homines longiſſime creatos ante formatum Adamum: quem ex mea hypotheſi ſtirpis Iudaicæ auctorem ſtatui.

Verum enimvero, legere id quod vel opinione inductus, vel ſuperſtitione præoccupatus, neque velis neque audeas intelligere, nec lege-

legere eſt. Fidem ego hic quæ adhibetur myſteriis ſacris interpello: ſed fidem illam quæ bonæ mentis ſoror eſt, quæque rectam rationem amat. Faceſſant ergo hinc Miracula incompoſita, & male conciliata, quæ ſibi illi fingunt, qui ad fidem otioſam recurrunt, & non neceſſariam Dei omnipotentiam, ſi quando ratione minus poſſunt. Hoc illi proficiunt, ut cum omnia ſine delectu credant, nihil illis credatur. Vbi enim ratio tota enervatur, ibi cadit tota fides. Præcipue in illis quæ naturalem, rationalem, & hiſtoricam ſeriem continent. Qualia ſunt quæ enarrantur capitibus primis Geneſeos, de creatione primorum hominum, de formatione Adami & ædificatione Evæ uxoris ſuæ, nec non de Caino & Abelo fratribus. Quorum omnium ſummos hic tantum apices attingam.

Conſtat ergo ab initio Geneſeos; ſexto die illo, quo terra produxit animantia omnia, Deum eodem die *feciſſe hominem*; *& creaviſſe illos maſculum & fœminam. Fecit hominem*; loquitur Geneſis de homine in ſpecie. *Creavit illos*; enarrat individua. *Maſculum & fœminam*; declarat, unicuique homini maſculo, creatam fuiſſe ſuam fœminam. Maſculus enim & fœmina eo loci, pro uno homine ſumuntur. Declarat etiam, non abrupta ſerie, ſed uno actu, eodemque tenore creationis, productos à Deo fuiſſe homines, maſculum & fœminam; quippe qui duo, unus homo erant. Vocavit autem Geneſis, hominem illum maſculum & fœminam, Adam. Nam ſi quando, vel hominem indiſtincte, vel genus ipſum hominum deſignare opus habet Scriptura, proprio & innato Adami nomine, omnes ex æquo ſignificare conſuevit.

Porro;

Porro; qua ratione creationis Terra germinaverat herbam, qua ratione prodierant arbores; qua ratione animata fuerant animantia omnia; qua ratione inquam producta hæc omnia fuerant, ſecundum ſpecies ſuas; per ſuos dies; una eademque progreſſione creationis; ſuper omnem terram, ſive notam atavis noſtris, ſeu noviſſime, ſive nondum cognitam: Inducendum eſt, eadem analogia creationis, formatos à Deo fuiſſe homines, maſculos & fœminas, uno die, una eademque nec intermiſſa creatione, & ubicunque terrarum: neque regionem ullam fuiſſe in terris, quæ germinaviſſet herbam, quæ produxiſſet arbores & jumenta; quæ intra ſextum & ultimum abſolutæ creationis diem non habuiſſet ſuos homines & ſuos dominos. Ad hoc certe creata illa fuerant, ut ſervirent homini ſuo domino, loquendo in ſpecie; vel hominibus ſuis dominis, enarrando individua. Deus autem feciſſe quid fruſtra videretur, & quid non conveniens; ſi eo ipſo die quo deſtinaverat illa ut ſervirent homini; nec creaviſſet eodem tempore homines, qui vel eis uſi fuiſſent, vel uti potuiſſent, ubicumque terrarum & illa producta fuerant.

At, ſi ponimus Adamum, primum & unicum hominem, à quo deductæ & effuſæ deinceps fuerunt per totum orbem coloniæ omnes hominum: ad quid per illud immenſiſſimum ſpatium temporis, quo potuit univerſus orbis per unam & ſolam hanc proſapiam, habere ſuos colonos & ſuos dominos: ad quid, inquam, regiones Meſopotamiæ antipodes, germinaviſſent herbas & olera? quibus dominis pependiſſent fructus arborum natarum in terris illis? quos juviſſent earum jumenta, ſic creata & nuncupa-

cupata utjuvarent homines? Vel enim per illud longiſſimum tempus, ſi non fruſtra, certe ad alium uſum ad quem non deſtinaverat ea Deus, fuiſſe creata illa; vel fatendum eſt, ibidem creatos fuiſſe homines eodem tempore, qui eis dominarentur, qui eis uterentur.

Creatus fuerat Mundus in principio, undecunque perfecte ornatus, undecunque perfecte bonus, atque adeo undecunque perfecte pulcher. Creatus vero mundus fuiſſet in principio, undecunque inornatus, undecunque imperfecte pulcher, atque adeo imperfecte bonus, quod nefas eſſet cogitaviſſe; ſi quotquot ſunt terræ in mundo caruiſſent in principio ſuis hominibus. Deformes nempe fuiſſent terræ omnes, ſi caruiſſent in principio ſuo gramine, ſuis arboribus, & ſuis animantibus: ſed informes omnino evaſiſſent, ſi caruiſſent in principio, decore & ornatu ſuo præcipuo, & ſuis hominibus; propter quos terræ ipſæ omnes creatæ erant, & quicquid in terris naſcitur. Tum & ſi defuiſſent terris ipſis manus, cultum poſcentibus.

Quale autem fuerit ſuper hoc Dei conſilium in creatione mundi; deprehenditur ex Dei ipſius conſilio, in conſervatione & regimine mundi ejuſdem. Scriptum eſt Exodi 23, Deum, quo tempore educebat Iſraelem ſuum ex Ægypto, ut illum ad terram Chanaan intromitteret; hæc illi caviſſe. *Non ejiciam populos terræ Chanaan à facie tua anno uno, ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ. Paulatim expellam eos de conſpectu tuo, donec augearis & poſſideas terram.* Scriptum illud idem eſt Deut. 7. his verbis: *Conſumet Deus nationes has in conſpectu tuo, paulatim, atque per partes. Non poteris eas delere pariter, ne forte multiplicentur contra te beſtiæ terræ.*

Du-

Duplex ibi cernitur cautio,quare nollet Deus ex intervallo anni unius, neque uno omnes impetu ejicere nationes terræ Chanaan, quarum in locum ſufficiebat populum ſuum Iudaicum. Prima erat; quia nolebat terram illam cui benedicebat, informem & indecorem ſolitudine evadere: horror enim, non decor eſt in ſolitudine; imo nota eſt maledictionis ſolitudo. Proinde lamentabatur Propheta ſuper Ieruſalem maledicta. *Quare ſedet ſola civitas plena populo?* Et inferius idem. *Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor ejus. Abierunt ejus Principes, abierunt ejus virgines & juvenes ejus in captivitatem.* Tum Iſaias capite 64. *Civitas ſancti tui facta eſt deſerta. Ieruſalem deſolata eſt.* Secunda cautio erat: ne creſcerent & multiplicarentur beſtiæ terræ Chanaan, contra populum Dei. Prima cautio decoris erat: ſecunda ſecuritatis. Nolebat Deus nutu & momento, quod potuerat, nationes terræ Chanaan delere: ſed eas paulatim expellere, donec augeretur populus Iudaicus, & plenus eſſet numerus terræ illius ſuorum hominum & ſuorum habitatorum: qui foret terræ decor. Volebat dominus augeri populum ſuum, ad numerum illum ſufficientem & plenum habitatorum; quo potis eſſet vindicare ſe à beſtiis terræ Chanaan: quæ foret populi ſui ſecuritas.

At ſi duplex fuit illa Domini cautio, eaque diligens, ſuper terræ tantum Chanaan decore, & ſecuritate populi ſui Iudaici: quamvis numero abundarent Iudæi, & tunc temporis ad multa centena millium excreviſſent: Quid non caviſſe Deum putabimus in creatione mundi, ſuper decore, non terræ tantum unius, ſed terrarum omnium quotquot ſunt in mundo; ne in ſolitu-

litudinem redigerentur, ſi creaviſſet in principio, vel creare inſtituiſſet hominem & fœminam, ſolos in terris omnibus? Et ſi noluit Dominus exponere multa centena millium Iudæorum, beſtiis terræ ſive regionis unius: an veriſimile exiſtimabimus, Deum expoſuiſſe hominem & fœminam ſolos, beſtiis terrarum omnium? Certe, ſi nimium creviſſent & multiplicatæ fuiſſent beſtiæ terræ Chanaan, contra centena millia multa Iudæorum qui illam habitarent: quidni creviſſent nimium & multiplicatæ fuiſſent beſtiæ terrarum omnium, contrà Adamum & Evam, ſolos in terris omnibus?

CAPUT II.

Formatus fuit Adamus ſeorſim à primis hominibus, formatione illa quæ enarratur capite 2. Geneſeos. Adamus primus & pater Iudæorum, non omnium hominum. Diverſa omnino formatio Adami, à creatione primorum hominum. Eva non potuit ædificari eadem die qua Adam formatus eſt.

EXpeditis & perfectis capite primo, diebus creationis ſex, qui numerorum primus eſt perfectus: incipit auctor Geneſeos ſecundum caput à ſanctificatione Sabbati, qui dies eſt ſeptimus; & reſumit quæ primo capite dixerat de creatione univerſi, cui nihil deeſſet amplius enarrandum. Quia vero Iudæorum gens ſegregata erat ab aliis & univerſis terræ gentibus: quia elegerat illam Deus, *ut eſſet ei populus peculiaris de cunctis populis qui ſunt ſuper terram*: quod repoſuimus ſupra ex Deuteronomio, capite 7: Auctor idcirco Pentateuchi, Iudæus & ipſe, cujus inſtitutum erat ſcribere originem, propaginem, leges & chronologiam gen-

tis ſuæ: ſeorſim à creatione univerſali totius mundi & gentium omnium, incepit formationem particularem primi hominis Iudæi, à quo gens illa peculiaris & electa derivata eſt. Nimirum, ex qua gente ſalus oriretur gentibus omnibus in Chriſto, quemadmodum ex eadem perditio emerſerat gentibus omnibus in Adamo.

Et formavit Deus hominem, Geneſeos 2. *Hominem*, id eſt, Adamum. Sed enim, quia narratio hæc per ET incipit, creditur vulgo formationem hanc Adami patris primi Iudæorum, ſpecialiorem fuiſſe explanationem creationis illius hominis in ſpecie, de qua egerat Moſes capite I. ubi dixit *Faciamus hominem*, &c. Sed non advertunt qui hæc autumant, particulam ET, principium fuiſſe rei novæ apud Hebræos, non ſeriem ante actæ: qualia frequentiſſime reperias narrationum principia, apud omnes auctores ſacros. Imo & liberos per ET incipientes. Prophetiæ Ezechielis principium hoc eſt. ET *factum eſt anno trigeſimo*. Item Ionæ. ET *factum eſt verbum Domini ad Ionam*.

Formationem hanc Adami patris primi Iudæorum, de qua agimus, non fuiſſe primam illam creationem hominis, de qua mentio fit ſuperiori capite Geneſeos. Hanc inquam formationem Adami ſecundam, & ſecundi capitis Geneſeos; non fuiſſe primam illam, & primi capitis creationem; hinc maxime præſumitur: Quod pro indubitato & confeſſo ſit, primam illam creationem & primi capitis, quæ ex mea hypotheſi primorum hominum creatio eſt; confectam fuiſſe uno illo ſexto & ultimo creationis die; qualis deſcribitur capite illo primo. Impoſſibile ſed enim eſt, tranſacta fuiſſe illa omnia quæ narrantur capite ſecundo, ab Adamo formato

mato uſque ad Evam ædificatam, per id temporis quod potuit adhiberi à veſpere ad mane unius diei: Ergo multo minus per dimidium diei illius ſexti, quo Deus creavit primum animalia omnia, deinde hominem. Numeremus certe momenta ſingula, quibus declarare Deus voluit facta fuiſſe illa omnia cum tempore, quamvis potuiſſet agere ſine tempore: nihil tale reperiemus in prima creatione hominum: non acta intercifa creationum maſculi & fœminæ, qualia ſunt longo tempore interrupta ab Adamo uſque ad Evam.

Dicitur primo, Deum formaviſſe Adamum *de limo terræ*. Vbi nota, Deum qui primo capite hominem creaverat, non ex terra ſimpliciter, ſed ex eadem illa prima materia qua terram ipſam creaverat; in hoc ſecundo capite formaviſſe Adamum de limo terræ. Nota, inquam, Deum qui ſe in primo capite creatorem primorum hominum præſtiterat; in hoc ſecundo capite plaſtem Adami ſe exhibuiſſe. Quocirca & plaſtes Iudæorum dictus eſt Deus, Iſai 45. *Hæc dicit Dominus ſanctus Iſrael, plaſtes ejus*. Plaſtes Iſrael, quia plaſtes Adam patris primi Iſrael. Sed de illis ſupra ſatis ſuperque egimus.

Dicitur ſecundo: *Deum inſpiraviſſe in faciem Adami ſpiraculum vitæ*. Tertio: *Tuliſſe eum in Paradiſum*. Attende ſerio ad illa verba Geneſeos. *Plantaverat autem Dominus Paradiſum voluptatis à* PRINCIPIO, *in quo poſuit hominem*. Principium vero illud intellige, non de tempore illo quo Deus formavit Adamum: ſed de Principio illo retro longiſſimo, de quo ſcriptum eſt ad aperturam capitis primi Geneſeos, *In principio creavit Deus cælum & terram*: quo etiam creavit hominem in ſpecie, id eſt homines pri-

primæ creationis omnes, qui terram à principio creatam illo coluerunt. Certe, ſi Adamus hic fuiſſet homo ille creatus *in principio*: & triduo poſt terram creatam; non dixiſſet Geneſis ſuper hoc Adamo quem tulit Deus in Paradiſum, *Plantaverat Dominus Paradiſum à principio*: imo vero illud: plantaverat *nudius quartus* Paradiſum. Tertio etenim creationis die apparuit Arida, & plantatus fuit Paradiſus: die autem ſexto creatus eſt homo ille in ſpecie.

Scriptum eſt quarto: Deum dediſſe Adamo huic leges: præcepiſſe illi quid comederet, quid non comederet: quid faceret, quid vitaret. Nota vero hic curioſe, nullam legem datam primæ creationis hominibus, quæ enarratur capite 1. Geneſeos: nullamque hominibus illis interminatam arborem. *Dixitque Deus; Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemet ipſis ſementem generis ſui: ut ſit vobis in eſcam.* Interminata eſt arbor ſcientiæ boni & mali, ſecundæ creationis homini Adamo, quæ enarratur capite 2. Præcepitque ei Deus; *Ex omni ligno Paradiſi comede. De ligno autem ſcientiæ boni & mali, ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Illa autem ut diverſa inſtituta, ita manifeſto diverſa tempora arguunt.

Quinto: balbutiens nobiſcum Scriptura, demonſtrare voluit, Deum didiciſſe quaſi experimento, & per quoddam tempus elapſum, Adamum ſolum ſine adjutorio, nec coluiſſe, nec cuſtodiiſſe commode Paradiſum. Proinde vero dixiſſe Dominum; *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum. Faciamus illi adjutorium ſimile ſui.*

Sexto: *Adduxit Deus ad Adamum omnia animalia terræ, & univerſa volatilia cæli.* Quæ non veriſi-

veriſimile eſt conveniſſe per dimidium unius diei. Eo quippe venturi erant Elephanti, ex remotis Indiæ & Africæ regionibus, quibus lentus & gravis inceſſus eſt. Quid porro dicam de innumeris fere animalium & volatilium ſpeciebus, hemiſphærio huic noſtro incognitis; quibus tantum maris tranandum, & terræ metiendum erat, ut ex America in Meſopotamiam venirent, & ſuum ibi nomen ſortirentur?

Septimo: *Vidit Adamus quid vocaret ea. Vidit.* Id eſt, ut appoſite quæque nominaret, in qualibet appellatione ratiocinatus eſt: Id eſt, exercuit mentis operationes illas quæ diſcurſu & tempore diſtinguuntur. Neque illud poſſibile eſt, Adamum intra diei unius dimidium, vidiſſe animalia & volatilia cœli omnia, tum vero, nomina illis omnibus convenientia, ratiocinando accommodaviſſe: qui neque nomina illa diſtincte pronunciando, & continua ſerie enarrando, intra breve adeo tempus enuntiare potuiſſet.

Octavo: *Immiſit Deus ſoporem in Adamum: cumque obdormiſſet*: id eſt, longum & profundum præ ſopore dormiiſſet Adamus: *tulit unam de coſtis ejus Deus, & replevit carnem pro ea.*

Nono: *Ædificavit coſtam in mulierem.* Neque vero crediderunt Judæi Helleniſtæ, ædificatam fuiſſe coſtam Adami in mulierem, eodem die quo Adamus formatus eſt. Aſſeverant enim, Adamum formatum fuiſſe prima Luna; id eſt, primo die Lunæ: Evam autem ædificatam ſecunda Luna; id eſt, ſecundo die Lunæ. Quod retulit illuſtriſſimus SALMASIUS in annis ſuis climactericis; ſuperſtitionemque Iudæorum refutavit: Mentem vero eorundem aperuit, qua diſſito diei intervallo Evam poſt Adamum ædificatam fuiſſe crediderunt.

Decimo: *Adduxit Evam Deus ad Adamum.* Horum vero omnium ſi rite fiat ſumma; non dicam dimidium diei,ſed non dies ſolidus, non hebdomas, non menſis, dimidio horum ſuffecerit.

Neque illud prætereundum eſt, quod Adamus vocavit mulierem illam *Viraginem*, quia ex Viro ſumpta erat: nec vocavit eam *Hominem*, quemadmodum in prima creatione vocatæ fuerant fœminæ hominum: *Creavit hominem maſculum & fœminam.* Vir quippe hic ſecundo formatus, tantum excellebat ſuper alios homines primo creatos, & deinceps progenitos: quo nomine primus & pater futurus erat gentis Iudaicæ Deo electiſſimæ; nec non quo Dei conſilio vicem exhibebat totius generis humani: Vt ſuum adjutorium non invenerit *Vir ille* inter hominum fœminas; ſed viro illi ædificanda fuerit *Virago*, ceteris fœminis excellentior. Atque hinc in poſterum tam rigide interdicta matrimonia Iudæorum cum fœminis gentium: prohibitæ nuptiæ filiorum Dei cum filiabus hominum. Ne ſcilicet contaminaretur populus ſanctus & electus, cum gentibus prophanis & gregatim creatis.

CAPVT III.

De mirabili formatione Adami. De mirabilibus Iſaaci & Chriſti conceptionibus. Adamus typus Chriſti factus fuit in omnibus ſimilis Chriſto, excepta juſtitia Chriſti. Eva ſponſa Adami, figura & ipſa Eccleſiæ ſponſæ Chriſti.

QVi ſedulam navant operam lectioni ſacrorum codicum, & ſerio illis incumbunt; deprehendunt tres homines peculiari & mirabili formatione productos. Primus eſt, Adamus. Secundus, Iſaacus. Tertius, Ieſus Chri-

Chriſtus. Primus, Adamus; cui terra mater, Deus pater fuit. Secundus, Iſaacus; cui Abrahamus pater, Deus mater fuit: *deſierant enim Saræ fieri muliebria*, Geneſeos 18. Quo reſpiciens Deus, Iſaiæ 46, & Iudæos Iſaaci filios alloquens, ait ſe *illos portaviſſe in utero ſuo, & geſtaviſſe in vulva ſua*. Tertius eſt, Ieſus Chriſtus; cui Virgo mater, Deus pater fuit. Vtriſque, Adamo & Chriſto, qui totum orbem ſub imputationes ſuas mitterent, Deus pater fuit. Filius Dei fuit Adamus: filius Dei fuit Chriſtus, & Filius Deus. Peccator fuit Adamus: Iuſtus fuit Chriſtus. Cetera ſimiles fuerunt Adamus & Chriſtus. Fuit Adamus, typus Chriſti, & terminus Chriſto oppoſitus. Fuit Iſaacus, medius inter Adamum & Chriſtum, & figura Chriſti. Fuit Chriſtus, Iſaaci prototypus, & Adami antitypus.

Vulgata opinio cenſuit, Adamum fuiſſe formatum à Deo grandem, ad perfectam ſtaturam hominis: & quo die natus eſt, attigiſſe annos triginta tres, quibus Chriſtus mortuus eſt. Facilius ſane inducerer ut crederem, Adamum fuiſſe *in omnibus* ſimilem Chriſto, excepta Iuſtitia Chriſti: qua ratione Chriſtus factus eſt *in omnibus* ſimilis Adamo, excepto peccato Adami: atque adeo Adamum, non illico, & primo die; ſed ex intervallo, ſucceſſive & per ætates ſuas, provectum fuiſſe ab infantia & adoleſcentia, ad virilem ſtatum; iiſdem gradibus & annis, quibus Chriſtus pervenit ad eandem ætatem; quibus Iſaacus illam attigit, mirabili & ipſe conceptione effictus; quibus denique ceteri homines conſueto modo geniti, provehuntur ab infantibus ad viros.

Imo & hoc veriſimillimum comperiet, qui ſeriam contemplationem injiciet ſuper hiſtoriam

ipſam Adami, à formatione ejus, uſque ad ædificationem Evæ, uxoris ſuæ. Formavit enim Deus Adamum extra Paradiſum: quem deinde tulit in Paradiſum, *ut operaretur illum*, ait Geneſis. Formatum fuiſſe Adamum *Infantem* extra Paradiſum, hinc conjicio; quia delatum doceor in Paradiſum, *ut operaretur illum*. Eo igitur pubertatis & ætatis ſuæ anno, quo potuit operari culturæ Paradiſi.

Paradiſum rurſus illum conjicio regionem fuiſſe illam terræ ſanctæ, quæ Arabia felix eſt. Terminatur enim cap. 2. Geneſ. Tigride & Euphrate fluminibus, quæ junctis confluentibus, qua Arabiam reſpiciunt, in ſinum Perſicum exonerantur. Arabia item felix intelligi videtur, *Paradiſus Domini*, loco illo Geneſeos 12. Vbi Lot elevatis oculis vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ univerſa rigabatur, *ſicut Paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in Segor*. Comparaviſſe enim & junxiſſe credibile eſt Geneſim Arabiam felicem & Ægyptum, regiones vicinas, & omnium amœniſſimas.

Delatum conjicio Adamum ad terram illam ſanctam, ratione eadem qua manu correptum à Deo Abrahamum comperio, & deductum ad terram eandem. Nempe, ut terræ illius naturalem poſſeſſionem iniret primus, & pater Iudæorum omnium, Adamus: quamque deinceps, ſtrictiori quodam jure, & peculiari magis pacto, promitteret & daret Deus Abrahamo, Iudæiſque ejus poſteris: ſemini quippe Adami & ſuo.

Adoleſcente Adamo, & operante culturæ Paradiſi, cogitavit Deus de adjungenda ei Vxore: Et tanquam incertus quam illi propriam dicaret, *Adduxit ad eum cuncta animantia terræ, & univerſa volatilia cœli, ut videret quid vocaret*

caret ea. Omne enim quod vocavit Adamus animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus.

Duo hic conjicio. Primum: ex eo quod ſcriptum eſt, *Vt videret Adam quid vocaret ea.* Tò *videret*, denotat Adamum uſum fuiſſe ratiocinatione ſua, in nominibus propriis & ſignatis, quæ dedit animantibus & volatilibus omnibus. Atque hinc conjicio, Adamum ephebum apprime edoctum fuiſſe naturalem omnem hiſtoriam animantium & volatilium. Quale notum eſt de Moſe expoſito, quem legimus cura filiæ Pharaonis eruditum in omni Ægyptiorum ſapientia. Quin & Rabbi Moſes Ben-Maymon, refert libros anteceſſorum ſuorum, qui mentionem faciunt Præceptoris ipſius Adami, quem dicunt fuiſſe nomine *Somboſcer*. Et quamvis parum credam Rabbinorum fabulis: nihil tamen adeo fabuloſum eſt, quod non antiquam redoleat veritatem.

Deinde; ex eo quod ſcriptum eſt, *omne quod vocavit Adamus animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus*; conjicio, Adamum, quo tempore naturam animantium & volatilium omnium concipiebat, eodem momento ſcriptis illam mandaviſſe; nec non in Commentaria redegiſſe nomenclaturas omnium. Quomodo enim fieri potuiſſet, ut omne quod vocaviſſet Adamus, ipſum fuiſſet nomen ejus, tempore Moſis; niſi Adamus eodem momento, quo ſuis nominibus vocabat animantia & volatilia omnia, Dictionaria illorum nominum compoſuiſſet, ad uſum poſteritatis, & ne exciderent memoria Adami ipſius multorum animantium & volatilium nomina, quæ nunquam forte deinceps viſurus erat? Non enim fert unaquæque tellus & regio omnia animantia & omnia volatilia.

Appellavit Adamus nominibus ſuis cuncta animalia & univerſa volatilia, & omnes beſtias terræ. *Adæ vero,* ait Geneſis, *non inveniebatur adjutor ſimilis ejus.* Abſurdum autem videretur, quæſitum fuiſſe adjutorem Adamo ſimilem, inter beſtias terræ & volatilia cœli. Quæ enim vel ſimilitudo vel relatio eſt homini cum quadrupede & volucri? Verum advertendum eſt, annumeratos fuiſſe hoc loco gentiles, & primos illos quos poſui creationis primæ homines, inter cætera viventia; ratione eadem qua illos indiſtincte cum beſtiis vocatos legas, *Populum qui calcat terram,* Iſaiæ 42. Imò & beſtias à Judæis habitos & traductos. Quod ſupra & plus ſatis demonſtratum eſt. Illud ergo voluit Geneſis, adjutorem non inventum fuiſſe Adamo, inter *animalium,* id eſt *gentilium illorum fœminas.* Eximio nimirum homini illi Adamo, qui *Iſch* erat, eximia uxor obtingere debuerat, quæ *Iſcha* eſſet; neque vero generis gregarii & gentilitii fœmina.

Adæ ergo ædificata fuit uxor. At non exſurgit neque abſolvitur tam cito ædificium, ut habitari poſſit illo eodem die quo ædificari incipitur. Ita neque ædificatam concipio Evam eò perfectionis & ætatis provectæ, qua nubilis & habitabilis eſſe potuit, illo eodem die quo extracta fuit ex coſta Adami.

Adde quod Eva ſponſa Adami, figura fuit myſtica Eccleſiæ ſponſæ Chriſti; argumento eodem quo poſuimus, Adamum, typum fuiſſe Chriſti ipſius. Imò & illud certiſſimum eſt, matrimonium ipſum Adami & Evæ, fuiſſe ſacramentum & myſterium in primis ſignificans conjunctionem illam unanimem, qua Deus adhæret Eccleſiæ ſuæ. Ædificatam rurſus intelligimus

gimus Eccleſiam ſponſam Chriſti, capite 16. D. Matthæi; quemadmodum ædificatam legimus, capite hoc Geneſeos, Evam ſponſam Adami. Quibus autem ſive gradibus, ſive ætatibus, ſive temporibus, creverit Eccleſia Dei, videre eſt apud Ezechielem capite 16; ubi Deus ipſe Eccleſiam ſuam alloquitur his verbis. *Multiplicatam quaſi germen agri dedi te. Multiplicata es & grandis effecta; & ingreſſa es, & perveniſti ad mundum muliebrem. Vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinavit. Et ecce, tempus tuum, tempus amantium.* Creviſſe Evam ſponſam Adami concipio, ab infantia ad adultam ætatem, paulatim: quemadmodum exſurgit ædificium; quemadmodum multiplicantur & creſcunt arbores, quæ vocantur hic *agri germina*; à ſurculis puta, ad ramorum luxuriem; & qua ratione creviſſe hoc loco legimus Eccleſiam ſponſam Dei.

Adduxit Evam Dominus ad Adamum. Evam autem conjicio puberem & viri potentem factam, adductam fuiſſe ad Adamum, tempore illo quo Adamus & ipſe vir plenæ maturitatis effectus eſt; annum circiter ætatis ſuæ trigeſimum tertium. Vt peccaviſſe putetur Adamus eodem anno, quo creditur mortuus Chriſtus pro peccato Adami.

Quæ omnia ſi ita ſe habeant; qualis amabo differentia fuit, inter formationem Adami & ædificationem Evæ, quæ recenſeatur capite 2 Geneſeos: & creationem hominum, quos creavit Deus maſculum & fœminam, à principio rerum, ſexto & ultimo creationis die; quæ recenſetur capite 1. Moſis ejuſdem?

CAPUT IV.

Cain agricola. Abel paſtor & cuſtos ovium. Cain, occiſo Abelo, timet. Fugit pœnam fratricidii. Fugit, more reorum omnium, ad orientalem plagam Edeni. Uxorem ducit, generat filium, & in plaga eadem orientali civitatem ædificat. Adam genuiſſe dicitur filios & filias, à Setho nato uſque ad mortem Adami ipſius. Non ſcriptum eſt genuiſſe illos vel illas, ab Abelo occiſo uſque ad Sethum natum.

NOn dubio ita eſt. Excepta formatione Adami, qui factus eſt de limo terræ, & excepta ædificatione Evæ, quæ educta fuit ex coſta Adami: probabile eſt Adamum & Evam creviſſe & vixiſſe in reliquis omnibus, eadem ratione qua homines à longiſſimis temporibus creatos, creviſſe & vixiſſe notum eſt. Imo qua ratione Chriſtum & ipſum Adami antitypum, & modo mirabiliori conceptum, creviſſe & vixiſſe perſpicuum eſt. Quod ut clarius per Geneſin ipſam intelligatur, perſequamur quod ſupereſt hiſtoriæ Adamicæ. Poſtquam peccavit Adamus, *timuit*; *eo quod nudus erat. Fecitque Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eas.* Tunicas nempe ex pellibus occiſarum animantium: qualibus indui conſueviſſe homines illius temporis credibile eſt. At enimvero, quis non inde conjiciat fuiſſe tempore eodem coriarios, alutarios, & pelliones?

Cognovit Adam uxorem ſuam Evam, quæ concepit & peperit Cainum primogenitum; deinde Abelum natu minorem. Diviſitque Adamus bona ſua filiis ſuis adultis. Quod fieri ſolet inter homi-

homines civili jure utentes. Terras ſcilicet arandas dedit Caino Adamus; oves paſcendas Abelo. Erat ergo tunc temporis, *Meum*, & *Tuum*. Quale fuit & eſt in ſocietate hominum, à longiſſimis temporibus bene & legitime inſtituta. Patrimonia ſua & fundos ſuos habuit Cainus primogenitus, quos coleret. Suum peculium & ſuas oves Abelus natu minor, quas paſceret & cuſtodiret. Qualis partitio uſu fit apud bonos omnes & æquos Patres-familias.

Fuit Cainus agricola. Abelus paſtor ovium. Qui dicit Aratoriam artem, multas alias ſupponit artes: & qui dicit Agricolam, innumeros fere præſupponit artifices. At ſi nulli præter Cainum agricolam fuere tunc temporis artifices: maximus ſane fuit ardelio Cainus. Ergo ſibi ſolus fodit ferrarias; fornaces excitavit; ſibi incudem & malleos fabricavit, & alia ferramenta quibus vomerem cuderet & procuderet; ſecures ſibi acuit, quibus cæſæ arbores formas acciperent vel aratri, vel raſtri, vel plauſtri, vel ceteri id genus. Tum ſi ex farre quod meſſuerat, panem, ut credibile eſt, confecit: ſibi ſolus ergo cavavit lapidicinas Cainus, unde molas erueret: vel ſi tunc temporis nullus erat molendinorum uſus, eo deductus fuit ubi flent nequam homines qui polentam pinſitant, & ſibi piſtrinum conſtruxit ubi panes torreret. Fuit ergo Cainus ſolus, arator, meſſor, & piſtor: Eas ergo Cainus artes ſolus exercuit, ad quas innumeri pene & ſervi & artifices requirebantur: quæ non niſi longa meditatione, & longiſſimo uſu reperiri potuerunt. Parva illa ſunt. Nobiliſſimus omnium hominum, qui referebat Deum avum, & Terram aviam; deputatus fuit ad ferrarias & lapidicinas, vel in priſtinum ad tundendas

ſegetes; quo damnati ad metalla, vel ſervi pœnæ deportabantur.

Veniamus ad Abelum. Scriptum eſt, fuiſſe paſtorem ovium. Atqui Paſtor ovium, idem eſt qui cuſtos ovium. Paſcebat & cuſtodiebat Abelus oves ſuas. Sed quare cuſtodiebat illas Abelus? Quos fures timere debuerat, præter patrem, matrem, & fratrem, ſi nulli prætereà fuiſſent homines in terris? Ab lupis autem & feris rapacibus, quæ gregem ſuum invaſiſſent, plus Abelo ipſi, quam ovibus ſuis, timendum fuiſſet: ne in illum ſcilicet, neglectis ovibus, inſurrexiſſent.

Veriſimile porro eſt, Adamum degiſſe tunc temporis, vel in pago circumſepto, vel in oppido muris cincto. Poſtquam enim certum fixumque fuit in animo Caini, infandum illud quod meditabatur facinus; *Dixit ad Abelum fratrem ſuum; Egrediamur foras. Cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain adverſus fratrem ſuum, & interfecit eum.* Illud, *Egrediamur foras*, denotat Cainum & Abelum concluſos fuiſſe, vel intra ſepta vici cujuſdam, vel intra muros cujuſdam oppidi. Intra quæ ſepta, vel intra quos muros, timuit Cain apprehendi, & obtorto collo rapi in carcerem, ſi palam & in conſpectu vel paganorum vel civium, occidiſſet fratrem ſuum. Interfecitque eum cum eſſent in *Agro*; qui opponitur *Vrbi*. Quod nota. Interfecit eum cum eſſent in ſolitudine, clam arbitris. Quod facere ſolent graſſatores & facinoroſi homines, qui flagitia, & homicidia maxime perpetrant. Præmia autem tempore illo benefactis decreta, & ſupplicia malefactis, hinc apparet; quod Deus iratum & obſtipo capite Cainum alloquens, quia potior illo Abel erat, hæc illi dixit. *Quare iratus*

tus es, & cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? In foribus, id eſt, in portis. Notum enim eſt locis quamplurimis ſcripturæ ſacræ, judicia apud Orientales exerceri ſolita in portis. Imo etiamnunc apud eoſdem, porta eadem eſt quæ Curia. Significabat autem Deus Caino, ſi male ageret, rapiendum ad judices, qui pœnas ſceleris ſui ab eo repoſcerent. Quod docte admodum animadvertit, & quo me liberaliter communicavit MICHAEL MAROLIVS, Abbas à Villeloing, proſapia illuſtri, & multiplici eruditione nobilis.

Vrgeamus. A quibus latronibus acceperat Cainus enſem, quo verteret ſanguinem Abeli fratris ſui? Item, quos timuit Cainus poſtquam intellexit, palam eſſe quod patraverat fratricidium? cum dixit Deo: *Omnis qui invenerit me, occidet me.* Timuit enimvero judices ſuos, & leges quibus capite plectendus erat. Effugit ergo juriſdictionem in qua occiderat fratrem ſuum: atque adeo in qua ſiſtendus erat judicio. Et aufugit more reorum omnium, qui ſciunt ſe rem malam meruiſſe, & pedibus illico perfugium pariunt: Aufugit, inquam, in aliam regionem. *Ad orientalem plagam Edeni*, ait Geneſis. Notari vero digna ſunt verba ipſa, quæ cum Deo habuit Cainus antequam fugeret. *Ejicis me hodie à facie terræ.* Terra autem illa intelligenda eſt ſancta, à qua ejiciebatur Cain. *Et ero vagus & profugus in terra.* Terra rurſus illa, intelligenda eſt peregrina & gentilitia; ad quam effugiebat, & in qua vagaretur, ut ſedem in illa quæreret. *Omnis igitur qui invenerit me.* Nota, in terra illa peregrina & gentilitia. *Occidet me.* Nimirum neque ſe bene tutum credebat in terra

terra extera, ſceleris ſui conſcius Cainus. Neve putemus illum timuiſſe incaſſum homines & Iudices ſui temporis; cavit ei Dominus, dixitque eam ob rem dumtaxat; *Omnis qui occiderit Cainum, ſeptuplum punietur. Poſuitque ſignum in Caino, ut non interficeret eum omnis qui inveniſſet eum.* Incaſſum autem timuiſſet Cainus, & in vanum poſuiſſet Dominus ſignum in Caino, ne occideretur à quopiam homine, ſi vacuæ hominum fuiſſent terræ illæ ad quas Cainus confugiſſet.

Scitu digna ſunt quæ ad hanc rem ſcripſit Joſephus, Iudæus ipſe, & antiquitatis Iudaicæ vindex acerrimus: quique nihil ſcripſiſſe putandum eſt, quod non, vel fando longinqua traditione accepiſſet, vel inquirendo lectione accurata didiciſſet. Profugum refert in Oriente Edeni Cainum, non in melius vitam mutaviſſe, ſed facultates domeſticas per vim & rapinas accumulaviſſe: *Accitis*, ait ille, *undiquaque latrociniorum & nequitiæ ſociis: nec non Magiſtrum illis ad facinoroſam vitam effectum.* Monuit me Clariſſimus, idemque doctiſſimus ISMAEL BVILLALDVS, ſe eadem fere legiſſe in Mſc. Græco Bibliothecæ Regiæ, ex Chronico Hebraico tranſlato: quæ latine reddita ita ſonant. *Cum verò multum itineris confeciſſet Cain, in quendam locum Cainan appellatum venit, omniaque ſcelerum genera patravit; prætereuntes ex inſidiis invadens & occidens: Ex quorum ſpoliis ingentem pecuniarum ſummam conflavit.*

At, qui genus amabo fuere homines & ſocii illi, quos ad partem prædarum ſuarum undiquaque acciviſſe Cainum memorat Ioſephus? Num potius Caini nepotes vocaviſſet homines illos, ſi illos Caini nepotes Ioſephus credidiſſet? Sed

Sed enim quia non credidit Caini nepotes, ſimpliciter vocavit illos, *Caini ſocios vel comites.* Quales vocantur milites, à ſuis vel ducibus vel magiſtris. Item, contra quos accivit manum illam facinoroſorum hominum Cainus? Anne armaviſſet nepotes ſuos, contra ſuos itidem alios nepotes? Neque vero illam fuiſſe Ioſephi mentem exiſtimandum eſt. Ad quid vero armaviſſet nepotes ſuos contra nepotes ſuos? Nempe ut dominii ſui fines extenderet? Sed neque illud veriſimile eſſet in tanto terrarum vacuo, quale fuiſſe intelligendum foret, ſi Mundum & primos homines recens tunc temporis, vel creatos vel genitos ſupponeremus. Adde quod hoc loco Geneſeos, quæ propria hiſtoria eſt Iudæorum, nulli alii memorantur vel formati vel nati homines Judæi, præter Adamum, Evam, & Cainum: illoſque Judæos, de quo non ambigitur. Neque dum enim fœminam ullam genuiſſe Adamum legimus; ex qua & fratre ſuo Caino prognatos conjiceremus homines illos quos quærimus.

Quam ergo uxorem duxiſſe Cainum dicemus, ex qua genuiſſe Henochum novimus, cum eſſet in orientali plaga Edeni? Certe, ſi non ex familia Adami patris ſui & patris primi Judæorum; quod non potuit Cainus, quia nondum nata erat filia Adamo: Cenſendum eſt duxiſſe uxorem illam ex filiabus gentium; oriundam ex prima creatione hominum, quæ enarratur capite 1. Geneſeos. Impius ſcilicet fratricida ille, degeneraverat à ſancta ſua origine, & prophanis ſe gentibus immiſcuerat.

Ad hanc orientalem plagam Edeni appulſus Cainus, ædificavit civitatem; vocavitque nomen ejus ex nomine filii ſui, *Henoch*. Nimirum,

ut diſtingueret illam ab aliis civitatibus orientalis plagæ Edeni, quæ ſua utique habebant nomina. Sed quibus architectis & fabris Vrbem illam poſuit Cainus? Quibus civibus illam compoſuit? ſi non accerſiti operarii, ſi non aliunde quam ex familia patris ſui Adami deducta Colonia, quæ urbem ſuam habitaret?

Orbus erat tunc temporis Adamus. Abelus occiſus erat, Cainus effugerat. Et genuit deinceps Sethum Adamus, *annos natus triginta & centum*. Quem ut peperit Eva, dixit Adamus. *Poſuit mihi Deus ſemen aliud, pro Abelo quem occidit Cainus.* Quibus verbis palam eſt, nullum aliud ſemen, nullam aliam propaginem ſuffectam fuiſſe Adamo in locum Abeli, niſi trigeſimo & centeſimo ætatis ſuæ anno. Quo tempore Cainus jam tum uxorem duxerat, & urbem ædificaverat. Addit Geneſis; *Et facti ſunt dies Adami poſtquam genuit Sethum, octingenti anni. Genuitque filios & filias.* Quod dixiſſet haud dubie de tempore illo quod interelapſum erat ab Abelo ad Sethum, ſi per illud tempus vel filios vel filias genuiſſet Adamus: Quia vero neque illos, neque illas, intra illud tempus genuit: idcirco dixit Adamus genito Setho; *Poſuit mihi Deus ſemen aliud, pro Abelo quem occidit Cainus.* Id eſt, ſubſtitutus eſt mihi Sethus in locum Abeli mortui.

CAPVT V.

Probantur ex monumentis gentilium, gentiles genere diverſi à Iudæis; & à genere Iudæorum Adamico. Diſputatio de æternitate mundi in duas claſſes ab antiquis diſtributa. De tempore. De annorum faſciculis quos ſibi fecerant Chaldæi. De annis periodicis. De anno vertente & magno.

gno. Anni ſignificati per ſerpentes. De ſpelunca ævi à Claudiano deſcripta. De ſeculorum ſeculo.

Vidimus ſupra gentiles, genere, & affectione generis, ex adverſo Iudæis oppoſitos: ſtirpe alia quam ſtirpe Iudæorum ſatos: nec non alienigenas à Iudæis ipſis dictos & habitos. Vidimus gentiles & primos homines, capite 1. Geneſeos creatos cum cœlo & terra; cum Sole & Luna, temporum & ſeculorum patribus: in principio illo cujus nullum datur hominibus determinatum principium.

Vidimus parte alia Adamum, à quo gens Iudaica eſt, capite ſecundo Geneſeos, ſeorſim formatum à primis illis, primi capitis, & primæ creationis hominibus. Vidimus Evam Adami fœminam, diſcontinua ſerie, neque illo ipſo die ædificatam, quo Adamus formatus eſt. Vidimus Cainum agricolam. Abelum paſtorem ovium. Fratres duos, penſa diverſa, uſu reperta & ſtabilita obeuntes munia. Abelum occiſum à Caino, cum egreſſi eſſent foras: occiſum in agro, clam hominibus, & hominum frequentia ſemotum. Vidimus Cainum perterritum, propter occiſum fratrem ſuum; homines ſui temporis, id eſt Iudices ſuos pallentem: Patria ſua profugum, & in Natione extera latronum ducem; uxorem ducentem, fundamenta urbis locantem: neque vero urbis ſine nomine, ſed cui nomen eſſet dedicationis egregium, à primogenito ſuo Henoc. Quod ut clarius aperiam: Vidimus Adamum & Evam aliter formatos à Deo, atque creati fuerant gentiles, & primi creationis primæ homines. Vidimus Cainum domo patris ſui Adami, & familia Dei extorrem, ad gentiles remotos & alienigenas transfugam.

Vidi-

Vidimus denique tum ex Geneſi, tum ex locis aliis ſelectis utriuſque teſtamenti, probationum ſtrues, quibus abunde demonſtratur, gentiles genere diverſos ab Adamo, atque adeo à Iudæis Adami poſteris, conſtitutos. Quia vero fama eſt, juncta fortius ire argumenta; adnectere lubet his ratiociniis ſacris, gentilium ipſorum monumenta, quæ in numerato ſunt quamplurima, ſuper creatione Mundi & primorum hominum: quos antiquiſſimi & melioris notæ Philoſophi & Hiſtorici, non ab Adamo nupere formato, ſed ab æterno, vel à ſeculis poſuere innumerabilibus.

Et enimvero, in duas claſſes diſtributi fuere, qui de Mundo diſputaverunt. Vna fuit aſſeverantium, Mundum ortus & interitus expertem, fuiſſe ab æterno, & futurum in æternum. Altera differentium, Mundum, & principium habuiſſe, & finem habiturum: utrumque autem, & principium & finem ejus, neque certum, neque cognitum. Qui Mundum poſuere æternum, numen eſſe crediderunt, neque genitum, neque interiturum unquam. Imo Deum & Mundum voluere unum quid eſſe; & Deum, Mundum induiſſe. Iovem propterea Deorum ſummum, Mundum fuiſſe univerſum: animantem ex animantibus, & Deum ex diis, tanquam ſui partibus, compoſitum. Mundi enim partes ipſas in Deorum æternorum numero repoſuerunt. Deos quippe dari æternos. Inter quos, Sol & Luna, & reliqua cœli ſydera, æterno & irrequieto ambitu circumagerentur; neque ſui ortus principium haberent, neque unquam deſitura eſſent. Æternum vero fuiſſe univerſum hoc, affirmavere hacpropter illi; quia ſi genitum eſſet, ex eo quod nuſquam eſt, genitum fuiſ-

fuiſſet. Nihil autem fieri ex nihilo, pro confeſſo habebant. Æternitatem quinetiam Mundi conjecere illi; per æternum tenorem illum, & perſeverantem conſtantiam, qua Mundus permanet, & qua ſemper ſui ſimilis eſt. Quocirca & immutabilem dixere illum: quia talis ſemper fuerit, & talis ſemper futurus ſit, qualis nunc eſt. Quo refer Eccleſiaſtæ illud, capite 1. *Quid eſt quod fuit? ipſum quod futurum eſt. Nihil ſub Sole novum. Nec valet quiſquam dicere; Ecce hoc recens eſt. Iam enim præceſſit in ſeculis quæ fuere ante nos.* Et ſi Sol alius, idem tamen naſcitur. Nimirum, illud ipſum fuit; quod erant adulteræ ante Helenam; quod erant duces ante Idomeneum, & Sthenelum; & quod Troia capta fuit ante Agamemnonem.

Deus æternitatem: æternitas Mundum effecit: aiebat Mercurius in Pimandro. Deus ergo ante æternitatem: æternitas ante Mundum fuit. Verum ut Sol cauſa diei, non ante diem, ſed cum die naſcitur: & ſicut Deus cauſa æternitatis; non tam ante æternitatem, quam cum æternitate ab æterno fuit: Similiter æternitas quæ Mundum effecit, non tam ante Mundum fuit, quam cum Mundo fuit ab æterno. Quare Pimander idem volebat æternitatem eſſe in Deo; & Mundum in æternitate. Imo æternitatem animam eſſe Mundi; qua ratione Deum, animam æternitatis conſtituebat. Mundum ergo opus fuiſſe æternitatis aſſeverabat: factum non aliquando, ſed ſemper & ab æterno: cum vero nunquam ceſſet æternitas, nunquam etiam Mundum ceſſaturum.

Actio porro in Deo, poteſtas ſemper fuit inſuperabilis: neque enim unquam otioſus fuit Deus. Quod ex Mundo ipſo percipimus, qui imago

Dei eſt. Nullum quippe otium datur in nullis Mundi partibus. Mundus enim & ſemper prægnans eſt, & ſemper parturit; ſecundum loci & temporis cujuſque naturam. Mundum propterea non natum concipiemus, ſi Deum reſpicimus: in quo ab æterno Mundus & creaturæ omnes erant, unde naſci debuerant: quarumque Deus voluntate ſua ſemper & ab æterno prægnans fuit. At ſi Deum ſemper & ab æterno Mundum geſtaviſſe in mente & voluntate ſua credimus: credibile utique putabimus: Deum, poteſtate illa inſuperabili, qua ſemper agit & ſemper parturit, Mundum ab æterno generaviſſe.

Qui parte alia, principium Mundo aſſignavere; exordia rebus fuiſſe, & illarum formas Univerſum hoc paulatim ſumpſiſſe docuerunt. Tum vero tenerum Mundi concreviſſe orbem, & primis prorepſiſſe terris animalia; terraſque novo Sole illuceſcente ſtupuiſſe putaverunt. Sed & naturæ ipſius lanuginem eleganter expreſſit Porphyrius, ubi de primis & antiquiſſimis Ægyptiorum egit ſacrificiis. *Infinitum*, inquit, *videtur fluxiſſe tempus, ex quo Ægyptii, genus hominum longe ſapientiſſimum, ad focum domeſticum, ſacra diis cœleſtibus facere cœperunt: non myrrhæ, non caſiæ, thuriſque cum cocco miſtorum, primitiis; ſed virentis herbæ: cujus ſic, tanquam naturæ genitalis primævam quaſi lanuginem, manibus ſublatam offerebant.* Infinitum, dixit Porphyrius, non fluxiſſe tempus, à principio rerum: *ſed videri fluxiſſe.* Quod nota. Secundum opinionem eorum, qui mundum *ab immenſo ævo, perpetua commotione volvi ſtatuebant: neque certo aliquo tempore generatum eſſe. Certo*, id eſt, cognito. Quo ſenſu Sanchoniato, qui ante Trojanam cladem vixerat; Principia mundi infinita fuiſſe dixe-

dixerat: Mundumque, nullum, *niſi longo ſeculorum intervallo*, terminum habiturum.

Perpetuam commotionem illam qua Mundus volveretur, tempus volubile itidem, generaviſſe cenſebant. Tempus, inquam, quod lapſum eſſet ab immenſo ævo, & in ævum laberetur immenſum. Temporis porro illius partes conſtituerunt, momenta, horas, dies, menſes, annos, ſecula, ſeculorum ſecula: tum denique componi ex illis ſeculum ſeculorum; ſive Ævum illud, quod extenditur à ſeculis in ſecula; quodque à principio rerum ortum eſt, & fine earundem deſinet. Datæ præterea fuerunt, annorum hebdomades, & menſes, apud auctores ſacros. Dati etiam annorum anni: Chaldæorum dodecaëterides; & Græcorum tetraëterides, octaëterides, enneadecaëterides, &c. Curioſa ſunt & electa, quæ ſtupendæ Vir eruditionis, CLAVDIVS SALMASIVS, ſcripſit in Præfatione ad annos ſuos climactericos. Chaldæos, ait ille, adeo liberales & largos fuiſſe, in computandis Regum ſuorum temporibus, ut non per annos ea numerarent, ſed per diverſas ſummas ex multis annis conſtantes. Tria, inquit, earum fuere genera & nomina. Σάρος, Νῆρος, & Σῶσος. Ex quibus, Σάρος, ut reperit ſcriptum, ſex millia annorum continebat. Νῆρος, ſexcentos annos. Σῶσος, ſexaginta. Solenne itidem fuit Mexicanis & Peruanis, tales annorum ſtrues congeſſiſſe, in digerendo ætatis Mundi computo: ætatemque illam per Soles numeraviſſe. Sol autem unus, referente Gomara, octingentis & ſexaginta conſtabat annis. Et ſi qua fides illis eſt; Sol ultimus apud eoſdem, numerari debuit ab anno Chriſti milleſimo quadrageſimo tertio. Quod ſcriptum dedit in commentario ſuo regio, Garcil-

cillaſſus à Vega, ex regia Incarum origine, Mexicanus ipſe.

Dicuntur & anni, variæ ſtellarum, tum fixarum, tum errantium, periodi; quibus vel curſus ſuos peragunt, vel invicem conjunguntur. Annus enim, definiente Scaligero, circuitus eſt ejus periodi, cujus cognominis ipſe eſt. Maxima omnium periodus, putata illa eſt, quæ ad motum octavæ Sphæræ componitur; quæque abſolvitur, cum ad idem punctum unde ſemel profecta ſunt, cuncta redeunt ſydera. Quem *Annum vertentem* Cicero appellavit. Cujus tempora cum numerare vellet, ſubſtitit ipſe, adeo multa deprehendit. *In illis*, ait ille, *non audeo dicere, quam multa hominum ſecula teneantur.* Magnum illum annum, *vertentem* idcirco vocavit Cicero; quia exactis immenſis illis ſyderum omnium, tum curriculis, tum conjunctionibus, verteretur ille, iteraretque vices ſuas; adinſtar ſingularium ſyderum, quæ vias & conjunctiones invicem ſuas, indefeſſis motibus, eunt redeuntque.

—— Conſumpto Magnus qui dicitur anno,
Rurſus in antiquum redeunt vaga ſydera curſum,
Qualia diſpoſiti fuerant ab origine Mundi.

Quæ ſunt elegantiſſimi poëtæ Auſonii. Quo refer quæ de Ægyptiis poſt Herodotum ſcripſit Pomponius Mela. Ipſi, ait, mandatum literis ſervant, dum Ægyptii ſunt, quater curſus ſuos vertiſſe ſydera. Quod eſt quatuor magnos annos & vertentes elapſos, ex quo Ægyptii eſſent.

Magnum illum annum, qui, Cicerone judice, tam multa continet hominum ſecula, graphice deſcripſit Claudianus, Panegyrico Stiliconis 2.

Eſt

Eſt ignota procul, noſtræque impervia menti,
Vix adeunda Diis, annorum ſquallida mater,
Immenſi ſpelunca ævi; quæ tempora vaſto
Suppeditat revocatque ſinu. Complectitur antrum,
Omnia qui placido conſumit numine Serpens:
Perpetuumque viret ſquamis; caudamque reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapſu.

Tralaticium eſt, annos cujuſvis generis ſignificari ſolitos per Serpentes, caudam in orbem ori inſertantes. Ratione ſcilicet figuræ circularis, quæ in ſe ipſam perpetuo revolvitur & recurrit: ſicut anni omnes perpetuo in ſe ipſos revolvuntur & recurrunt. Immenſum propterea Serpentem aſſignavit Claudianus, immenſo & magno anno: nec non Speluncam illam ſuam, immenſi ævi matrem annoſam & ſquallidam, Serpentem illum complecti voluit: tum reducto ore caudam ſuam vorare finxit; quia magnus ille annus, cæterorum & minorum annorum more, in ſe ipſum recurreret inciperetque ſemper illic ubi deſineret. Imo quia, ut ipſe loquitur, *veſtigia ſua lapſu tacito relegeret.*

Neque vero annorum perennitas repræſentabatur per Serpentes, propter figuram tantum, qua in rotundum inflectebantur: ſed etiam propter naturam ipſam ſuam qua immortales quodammodo eſſe, & longiſſimo confecto annorum curriculo, in ſe ipſos reſolvi putabantur: quæ erat Phœnicum & Ægyptiorum fides. Magnus ille Serpens, qui ſpeluncam magni anni complectitur, *perpetuum virere ſquamis*, Claudiano dicitur: quia hoc genus animantis, propter vim & copiam ſpiritus quo abundat, non ſolum exuto ſenio juveneſcere, verum etiam ma-

jora ſimul virium accipere incrementa creditur. Tum quia natura ejus ignea & vivida eſt. Quare Serpentes *ſanguine & igne ſuffectos*, pinxit Virgilius. Quæ cum magno anno mire conſentiunt. Senectus enim illi eſt cruda & viridis, quæ vaſtiſſimo ſinu ſuo tempora indeſinenter ducit & reducit, revocat ſuppeditatque.

Quæ diximus de Serpentibus caudas ſuas remordentibus, conveniunt annis illis periodicis, quibus certa & cognita principia, tum certi & cogniti fines deputantur: ſive illi ſint minores anni, ſive ille ſit magnus annus, quem periodicum, & terminis certis definitum ſtatuimus. Non ſic ſe habet cum Maximo illo anno, qui repetitas periodos annorum omnes, & magni, & minorum complectitur: quod ſeculum ſeculi dictum eſt, ſive Ævum illud, à principio fluens, & in finem uſque ſeculorum deducendum. Ævum enim hoc nulla certa & cognita periodo continetur. A principio pendet non intellecto. Et quamvis ad finem ſuum irrequieta volutione properet; nunquam tamen illum aſſequitur. Ævo propterea illi non Serpens Claudiani convenit, caudam ſuam vorans; ſed vere magis Vrſa illa Lucani, quæ dentes in caudam retorquens, ut infixum tergo ferrum morſu extrahat, ſecum fugientem circuit neque apprehendit cuſpidem. Appoſite ad hanc rem Iamblichus. *Mens opifex*, inquit, *celeri rapacitate circulos cæleſtes convertens*, *ſuam ad ſe machinam flexit*. *Eamque volvi à principio ad finem abſque fine præcepit*.

Ævum illud, quod à principio rerum creatarum excurrit, & fine earundem hærebit: quod proprie Tempus ſolidum, & Syſtema ipſum eſt, præteritorum & futurorum omnium; *Corpus tem-*

temporum, Tertulliano dicitur, Apologetici 26. *Seculum* vero *ſeculorum*; & *ſeculum*, ſimpliciter: tum, *Dies ævi*, & *Dies ſeculi*, auctoribus ſacris appellatur. At ſi magnus & vertens Ciceronis annus, attonitum ejus percuſſit animum, in enumerandis illius ſeculis: ſi ſpelunca Claudiani, eadem quæ magnus Ciceronis annus; *ignota*, & *hominum menti imperuia*; ſi *Diis ipſis vix adeunda*, Poëtæ illi dicta eſt: Qua numerorum caligine hebetari putabimus hominum mentes, in recenſendis ſeculis illis omnibus; quæ Ævum ipſum componunt? Ævum inquam illud, quo ſecula præterita & futura omnia, in unam congeriem revocantur: Quodque ſpeluncam ipſam Claudiani haurit, ut boletum gula voracior; nec non annum Ciceronis vertentem torquet, ut figulus rotam ſolet.

Nimirum illud fuit, quod de Ævo illo ſcripſit auctor Eccleſiaſtici, quod vocavit *ſeculum*, capite 1, à limine. *Arenam maris, & pluviæ guttas, & dies ſeculi, quis dinumeraverit?* Tum capite 18, de die ævi. *Qualis gutta aquæ maris, & ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni mille in die ævi.* Furioſos quocirca pronunciabat Socrates illos, qui de Mundi origine curioſius diſputabant. *Ille ſe nihil in ea intelligere profitebatur; tantum illi contemplatio ipſa cœcitatis offuderat. Scientia illa de origine mundi, quæ ſoli Deo competit, homines fallit, quia hominibus abſcondita eſt: neque enim poſſumus tempora & faſtos mundi evolvere. Et ſi filius Dei, qua homo fuit, finem mundi neſciit; qui poſſumus homunciones, indagare mundi exordia? Eadem enim eſt præteriti quæ futuri ratio. *Ab omnipotente non ſunt abſcondita tempora*;

 Iob.

* *Plato, dialogo de Animo.*

Iob. 20. *Neque eſt noſtrum noviſſe illa*; Actorum ultimo. Eapropter ſcriptum eſt Eccleſiaſtæ 1, *Priorum non eſt memoria.* Fuere fortes, aiebat Lyricus, ante Agamemnonem: ſed omnes illachrymabiles, quia ignoti, longiſſima oblivii nocte urgentur.

CAPUT VI.

Ignorant homines primas ſuas hiſtorias & origines. De Chaldæis. De ſtupendo annorum numero, quem poſuiſſe dicuntur Chaldæi, in componendis tabulis ſuis Aſtronomicis. De Ægyptiis. Et de annorum myriadibus per quas regnaviſſe dicuntur Ægyptiorum reges, Dii, Heroes, & Homines.

OPTIME Senex ille:

Ignaras hominum ſuſpendunt numina mentes.

At, qui mos eſt Geographis, maria terris inducere quas ignorant: Solent affines eorum Chronologi, præterita obliterare quæ ignorant ſecula. Regiones illi ignotas ſubmergunt: hi tempora incognita atroci ſtylo confodiunt, & negant quæ neſciunt. Diviſere tempora Græci Chronologi, in ἄδηλον, quod eſt abſconditum: μυθικὸν, & ἡρωικὸν, quod fabuloſum eſt: Ἱστορικὸν, quod pro vero & comperto habuerunt. Ἄδηλον, & abſconditum illis fuit, quod à conditu rerum ad diluvium fluxit: Quod tempus, ſive habuit initium, ſive ſemper fuit; certe quot annorum ſit non poteſt comprehendi: auctore poſt Varronem Cenſorino. Μυθικὸν, & ἡρωικὸν, fabuloſum fuit; quod à diluvio ad primam Olympiadem dimanavit: Incognitum itidem: neque enim plane ſcitur, quantum diſtet, vel

Inachus ab Ogyge, vel Codrus ab Inacho. Ἱστορικὸν, & compertum numeratur, quod à prima Olympiade commentariis relatum eſt.

Quæcunque autem ſapimus in humanarum rerum notitia, Græcos ſapimus tantum, & qui eos ſecuti ſunt, auctores Latinos. At enimvero, nova apud Græcos omnia; & ante unum alterumve diem, aiebat ille, extitiſſe reperias urbium molitionem, excogitationem artium, legumque perſcriptionem. Omnium vero noviſſimi ad ſcribendam hiſtoriam ſeſe contulerunt. Ægypriis autem, Chaldæis, & Phœnicibus, vetuſtiſſimam atque conſtantiſſimam rerum ſuarum manſiſſe memoriam, Græci fatentur ipſi. Iidem ſero admodum, vixque tandem, literarum naturam didicerunt à Phœnicibus, & Cadmo Phœnice illos eas docente. Dubitatumque proinde eſt, utrum literis uterentur Græci, Troianæ expeditionis tempore. Quod Ioſephus contra Appionem ſcripſit. Sed qui res ſuas vix à prima Olympiade pro veris habuerunt Græci; neque pro compertis potuerunt dare ceteras, quæ primam Olympiadem prævertebrunt. Fando tamen & legendo ad illos pervenerant, quæ de Chaldæis, Ægyptiis, Phœnicibus, & Scythis, nobiliſſimis populis, jactata & ſcripta fuerant. Sed per ſatyram, & confuſe adeo vulgata, ut quæ ab anteceſſoribus turbata acceperant, turbata deceſſoribus eadem tradiderint. Et ſi ſingula, ſigillatim ſpectata, parvam faciant fidem; juncta nihilominus evincant, gentes illas à retroantiquiſſimis ſeculis regnatas fuiſſe, & belli & pacis artibus longe claruiſſe.

Diodorus Siculus, vir clariſſimus habitus, & opinionem doctrinæ magnam apud omnes literatos conſecutus: legendo, percunctando

& peregrinando, Europam, Aſiam, & Africam, per quadraginta annos peragravit; Bibliothecamque ſuam, pluribus & vetuſtiſſimis, nec non exquiſitioribus bibliothecis inſtruxit. Hæc ille de Chaldæis refert: Mundi illos naturam, ab antiquiſſimis temporibus crediďiſſe ſempiternam; quæ neque principii ſui ortum haberet, neque corruptionem ullam deinceps tempore admitteret. Genuſque hominum fuiſſe ab æterno, ſine ullo generationis principio. Sydera crediďiſſe æterna. Tum ex longa & diuturna ſyderum illorum æternorum obſervatione, nec non exacta motuum atque virium cujuſque cognitione, qua univerſos præſtabant mortales, multa hominibus eventura prædixiſſe. *Numerum autem annorum, quibus Chaldæorum collegium aſſeverabat ſe vacaviſſe conſiderationi mundi, haud facile crediderіs*, ait Diodorus. *Nam uſque ad expeditionem Alexandri in Aſiam, quadringenta & ſeptuaginta annorum millia numerabant, ex quo ſydera obſervare cœpiſſent.* Difficile illud creditu, ſed non impoſſibile factu, putavit Diodorus: quippe qui motum æterni circuitus crederet ipſe, lege æterna, ſtellis & ſyderibus eſſe definitum. Nempe illud fuit quod Cicero, in cujus ætatem Diodorus incidit, hæc eadem fere ſcripſit, quæ Diodorus, de Chaldæis, quos Babylonios dixit, 2 de Divinatione. *Nam quod aiunt*, inquit, *quadringenta & ſeptuaginta millia annorum, in periclitandis experiundiſque pueris, quicunque nati eſſent, Babylonios poſuiſſe, fallunt. Si enim eſſet factum, non eſſet deſitum. Neminem autem habemus auctorem, qui aut fieri dicat, aut factum ſciat.* Refutavit loco illo Cicero, non annorum computum, quod non impoſſibile putavit, alioquin per impoſſibile ipſum refutaviſſet:
ſed

ſed nugas divinationis Babylonicæ, pericula & experimenta illa uſque adeo anxia, & per tot millia annorum continua ſerie tradita, in digerendis puerorum genituris; quæ non probabilia Ciceroni viſa ſunt. Quare enim, ait ille, deſiiſſent Babylonii, tales & continuas ætate ſua ponere Geneſes? Stupendus porro annorum numerus ille, quem referunt Diodorus & Cicero, Chaldæos impendiſſe, vel in obſervationibus ſyderum, vel in geniturarum diathematibus, non aberrat à faſciculis temporum illis, quibus uſos fuiſſe Chaldæos ſuperiori capite oſtendi, in computandis Regum ſuorum faſtis. Nimirum tantus erat temporum illorum numerus, & tantum in præterita ſecula recurrebat, ut non per annos, ſed per plura annorum millia; non per ſecula, ſed per multiplices ſeculorum ſummas, Regum ſuorum annales numerarent.

Ægyptii, Chaldæorum in Aſtrologicis æmuli, credidere, motum æternum ſtellis, & ſyderibus omnibus, tum univerſis, tum ſingulis, ab æterno fuiſſe deputatum. Motuum vero illorum deſcriptiones, per incredibilem annorum numerum cuſtodiiſſe eos, aſſeruit idem ille Diodorus. Sed & Regum ſuorum hiſtorias, per incredibilem itidem annorum ſeriem, ſervaviſſe compertum eſt. Quos ſcilicet habuere, & Reges Deos, & Reges heroas, & Reges homines. De quorum antiquiſſimis dynaſtiis, mira ſunt quæ narrantur ab Herodoto & variis rerum Ægyptiarum ſcriptoribus. Græcorum & Romanorum doctiſſimus SALMASIUS, vetuſtiſſimi auctoris meminit, qui triginta dynaſtias Ægyptiorum regum poſuit; eaſque per annorum *Myriadas tres* duraviſſe ſcripſit. Myriadas vero illas expoſuit, millies decies millia, cum tri-

bus annorum millibus. Sunt qui periiſſe dicant apud Ægyptios tempora Vulcani Dei, regis ſui: quem per infinita ſeculorum ſpatia in Ægypto regnaviſſe contendunt. Solem vero Vulcani filium, imperium Ægypti tenuiſſe, poſt patrem ſuum, per annos ſexcenta millia, ſexcentos ſeptuaginta ſex: numerum referente, indagatore rerum acerrimo, præfatione ad annos climactericos, CLAVDIO SALMASIO.

Neque eſt quod Herodoti, vel aliorum de rebus Ægyptiacis ſcriptorum, ſugillemus fidem; eo quod Diodorus ſcripſerit: *Portenta illos narrationum pro veritate amplexos.* Diodori enim verba hæc alio referenda ſunt, quam ad rationes illas temporum pene infinitas. In ſe enim ipſum portenta illa convertiſſet Diodorus ipſe: qui non dubitavit, difficilia itidem creditu, quadringenta & ſeptuaginta retuliſſe annorum Chaldaicorum millia. Probabile certe eſt, Herodotum ſcriptorem elegantiſſimum, & in pluribus accuratiſſimum; nec non alios hiſtoricos diligentes; ſicut & Diodorum ipſum, veritatis hiſtoricæ aſſertorem, nihil de rationibus illis expoſuiſſe; quod non vel audiviſſent, vel à Sacerdotibus Ægyptiis in commentarios relatum legiſſent, penſiculate examinaviſſent, imo & vidiſſent in Ægypto. Quod nimirum de ſe religioſe profeſſi ſunt, tum Herodotus, tum Diodorus. Quin & Diodorus ipſe de Ægyptiis hoc retulit, neque portentum credidit, ſecunda parte libri 1. Bibliothecæ ſuæ, *Reges indigenas, ultra quatuor mille & ſeptingentos, Ægyptum gubernaviſſe.* Quorum ſcilicet tempora, ſexaginta annorum millia ſuperaviſſe comperiemus, ſi reputamus, exactos eſſe mille ducentos

&

& ultra annos, nondum exactis ſexaginta quinque Regibus Francicis.

Sed enim dicere, millia annorum illa, nec non myriadas quas retuli annorum illas, intelligendas eſſe de annis lunaribus; vel de tertia parte anni; qua annum, vere, æſtate, & autumno diviſum quondam aiunt; objectionis operam ludere eſt. Præcipue cum Diodorus ipſe de Chaldæis hæc affirmet: *Dicere illos, Solem, & Lunam, per duodecim ſigna curſitare. Solem, anno; Lunam, menſis ſpatio orbis ſui iter emetiri.* Tum Herodotus de Ægyptiis diſerte hæc ait. Didiciſſe ex Heliopolitanis, qui Ægyptiorum omnium ſolertiſſimi habebantur: *Ægyptios primos hominum omnium annos comperiſſe, & diſtinxiſſe in duodecim menſes.* Partitionem illam annorum, & menſium, intellexit caput primum Geneſeos, ubi de creatione Solis, & Lunæ, hæc ait. *Fiant luminaria in Firmamento cœli, & dividant diem ac noctem: Et ſint in ſigna & tempora, & dies & annos.* Dies enim hoc loci ſunt menſes, qui dividuntur in 30 dies: anni autem, qui 12 componuntur menſibus. Sol nimirum luminare majus; majorem, id eſt annorum partem ſortitus eſt: Luna vero, luminare minus; minorem, id eſt menſium diviſionem conſequuta eſt. Partitio ergo illa annorum & menſium, creatione & natura, Soli & Lunæ, à Deo ipſo indita eſt: neque ulla alia obtinuit apud Chaldæos & Ægyptios, hominum omnium in cognitione ſyderum experientiſſimos & peritiſſimos.

Sed tantum abeſt ut Chaldæi annos ſuos (quos Solares ſemper poſuerunt) ad augendos temporum ſuorum numeros; in menſes, & lunares ut vocant annos, fregerint: Quin è contra, ex annis ipſis Solaribus, faſciculos annorum com-

poſuerunt, quibus uſi ſunt ad commoditatem computi,& facilius multo compendium. Abeant ergo hinc, cum ſuis annorum minutiis & quiſquiliis, quicunque tales annorum ſtrues, vel manipulos, neque noverunt, neque noviſſe huc uſque ſategerunt. Vtut erit, ſi ad myriadas, quas notavi, annorum illas diligentius ſpectes: pro comperto ſemper habebitur, vel minutiſſimam rationum illarum, longiſſime exceſſuram principium creationis, quod vulgo ſtatuitur in Adamo.

CAPVT VII.

De Regibus Ægyptiis hominibus. Laudatur Plato in Timæo ſuper bellatoribus Inſulæ Atlanticæ. Filii hujus ſeculi prudentiores filiis lucis. De prodigioſa Sinenſium periodo ſecundum Scaligerum.

ESto ſane! oſcitaverit in multis, & indiligens fuerit Herodotus: odio & favore ſcripſerit: fabulas tradiderit, atque illas Cicero 1. de legibus poſuerit innumerabiles. Adeone illum præterea veteratorem, & ſubleſtæ fidei putabimus; quem Cicero idem *Patrem hiſtoriæ* vocavit; ut neque ei credamus de illis, in quibus nihil ſua interfuit; quæque auritus & oculatus teſtis, teſtibus aliis adhibitis, & probatis indiciis, memoriæ tradere inſtituit? Narravit ille in Euterpe; Introductum ſe à Sacerdotibus Ægyptiis in grande cœnaculum: vidiſſe hinc, trecentos quadraginta unum Coloſſos ligneos; quos enumerando Sacerdotes illi demonſtrabant imagines prætuliſſe totidem *Regum hominum*, qui regnaviſſent in Ægypto: Parem & inde numerum Coloſſorum è ligno, qui totidem repræſentaviſſent Pontifices Ægyptios.
Cum-

Cumque inter loquendum Hecatæus quidam originem ſuam recenſeret, illamque ad ſextumdecimum Deum referret; occurriſſe è diverſo, progenies itidem ſuas recenſentes,& in enumeratione non admittentes quod ab Hecatæo diceretur, *hominem progenerari à Deo*. Conveniebant ceterum in repetenda Regum illorum hominum progenie; quod dicerent, unicuique Coloſſorum regum, fuiſſe *Piromin* patrem; id eſt, honeſtum & bonum; ex alio *Piromi*, id eſt honeſto & bono patre genitum. *Piromis* enim apud Ægyptios, honeſtus & bonus fuit. Eos itaque Reges homines, quorum Coloſſi illi imagines erant, demonſtrabant, Sacerdotes, tales omnes exſtitiſſe; ſed multum à Regibus diis diſtantes. Stabant parte alia Pontifices ſub imagine, vita qua quiſque vixerat. Enumerantes igitur Sacerdotes, imagines eorum ſingulas gradatim percenſendo, donec omnes expoſuiſſent; *oſtendebant mihi*, ait Herodotus, *unumquemque eorum fuiſſe filium defuncti Sacerdotis*. Tempus autem per quod homines Reges illi regnaviſſent, numerabant Sacerdotes, *decem millia trecentos & quadraginta annos*. Intra quod tempus negabant ullum Deum forma humana extitiſſe Regem in Ægypto. At vero in his & ſimilibus recenſendis computis, ſibi ipſi curioſe, & hunc in modum præcavit Herodotus, Euterpe eadem. *Et hæc*, inquit, *Ægyptii pro compertis aſſeverant; ſeque ſcire, aſſidue ſupputando, ſemperque annos deſcribendo*. Quibus verbis patet, quam religioſi & bonæ fidei fuerint Ægyptii, rerum ſuarum Chronologi: Quam religioſus itidem & bonæ fidei rerum Ægyptiarum ſcriptor & ipſe Herodotus extiterit; qui in illis referendis cautiones has diligenter adhibuerit.

Eſto etiam; attexuerit Plato, cognomento licet *Divinus*, quamplurimas Philoſophiæ ſuæ fabulas. Hiſtoriamne propterea & illam, quæ non eſt opinionis, ſed facti, in fabulam reputabimus, quam enarrabat apud illum Critias, Dialogo qui Timæus inſcribitur? Quamque probabili omni ratione, veram & certam demonſtrabat Critias: utpote qui illam continua traditionis ſerie didiciſſet; ille à patre ſuo; pater ab avo Critia; Critias avus à proavo ſuo Dropida; Dropidas & ipſe à Solone familiari ſuo. Narrabat ille, Sacerdotem Ægyptium, grandem natu, ludibrio excepiſſe Solonem, qui illi narraverat antiquiſſima Athenienſium ſuorum geſta; Phoronei & Niobes, ante diluvium; Deucalionis & Pyrrhæ, à diluvio. Riſiſſe, inquam, pueriles nugas illas, quas Solon vetuſtiſſimas credebat & recenſebat hiſtorias. Primo, quod unius tantum inundationis meminiſſet; cum multæ aliæ præceſſiſſent. Secundo, quod genus majorum ſuorum clariſſimum & optimum ignoraſſet. Quod ignoraſſet, Athenas alias, vere ſuas, & vetuſtiſſimas, extitiſſe, ante exitialem illam quam retuliſſet terræ illuvionem: neque perveniſſent ad ejus aures inſtituta, & præclara facinora, quæ geſſiſſent inclyti cives illi Athenienſes, per tempus quod rotundabat, *decem retro mille annorum, ante diluvium*. A quibus, vis innumera & una collecta bellatorum Inſulæ Atlanticæ acerrimorum, Ægyptum & Græciam, & quicquid inter Columnas Herculis continebatur, invaſerat. Et contra quos omnes, ſolius civitatis Athenienſis virtus, inter omnes gentes, tunc temporis enituerat. Laudatur, neque refellitur, hiſtoria hæc eadem, apud

Arno-

Arnobium, excelſi ſcriptorem ſpiritus; ubi pro Chriſtianis adverſus gentes, his verbis inſurgit. *Nos*, inquit, *fuimus in cauſa, ut ante annorum millia decem, ab Inſula quæ perhibetur Atlantica Neptuni, ut Plato demonſtrat, magna erumperet vis hominum, ut innumeras funditus deleret atque extingueret civitates.*

Redeamus ad Solonem. Miratus eſt Solon narrantem Sacerdotem Ægyptium; neque dubitavit de illis quæ audiverat; quippe quia de illis inquirere ei datum fuiſſet, ſerio & ſedulo, in fontibus ipſis, in Ægyptiorum hiſtoriis plenis fidei: quas ſcilicet tam religioſe conditas ſervabant in Templis ſuis; in divinis illis Myrotheciis, & ſacris Bibliothecis, quas vocabant *animi medicamentum*; ut erat inſcripta Bibliotheca Oſimandii, vetuſtiſſimi Ægyptiorum regis. Crediderat Solon, antiquiſſimam, & à longiſſime retroactis ſeculis petitam, Deucalionei diluvii hiſtoriam; neque putaverat cogniti quicquam fuiſſe ante illam. Miratus eſt Ægyptiorum hiſtorias, quas retro longiſſime graſſatas, trans & ultra diluvii illius memoriam, comperiebat. Neque vero amolitus eſt Solon ille, cui Græcia palmam ſeptem Sapientum conceſſerat, jocoſam Sacerdotis Ægyptii ſannam; qua illum, & Græcos omnes, in cognitione hiſtoriæ ſuæ *Pueros* vocitaverat: quippe cui compertum fuiſſet, neque Solonem, neque quemquam alium Græcorum, de vera antiquitate quicquam unquam cognoviſſe. Vbi enim Athenas revenit Solon, in errore ſuo convictus, & omnino perſuaſus de illis quæ in Ægypto audierat & didicerat; verſus meditatus eſt in honorem Heroum illorum Athenienſium, qui tam præclara peregiſſent facinora, decem retro

mille annis, ante vetuſtiſſimum Deucalionis diluvium.

Summæ certe dementiæ eſſet, aſſerere gentiles ullam unquam Dei veri cognitionem aſſequutos, præter illam, quæ per viſibilia creationis, in medio poſita, obviam eſſe potuit. Inviſibilia Dei illius veri, revelata fuere primis hominum Iudæis; quibus Deus ille ſe notum dedit & confeſſus eſt: Adamo primum, & ceteris deinceps Iudæorum patribus. Gentilibus vero, abſconditus & incognitus fuit Deus idem. Qualis ara fuit apud Athenienſes, *Deo incognito* dicata. Cœcutierunt ergo gentiles in cognitione veri Dei. Sed quis eos cœcutiiſſe dicere audeat, in cognitione mundi, & rerum quæ in orbe terrarum gerebantur? Fuere illi in rebus divinis, cœci & Thamyræ: ſed quis eos fuiſſe in rerum humanarum notitia non fateatur argutos & lynceos? *Filii hujus ſeculi, prudentiores ſunt filiis lucis, in generatione ſua*, aiebat Dominus ipſe, Lucæ 16. Quo loci, *filii ſeculi*, gentiles ſunt; *filii lucis*, Iudæi intelliguntur. Qua ſignificatione vidimus ſupra, vocatum Iſraelem, *Lumen eorum qui eſſent in tenebris*; Roman. 2. *Ægyptiorum* porro *ſapientiam* commendavit D. Stephanus, Actorum 7. Neque fabulam idcirco putavit omnem illorum humanam ſcientiam. Prudentiores ergo fuere, ſapientiores, & perſpicaciores, filii ſeculi & gentiles, filiis lucis & Iudæis: non in cognitione Dei; ſed *in generatione ſua*, ait Dominus. Id eſt, in rebus illis quæ genus gentilitium, originem, & creationem ſuam, ſpectabant, quæ hiſtoriam terrarum orbis, quæ naturam hominum, quæ ſcientias humanas, quæ res ab hominibus geſtas, & inventas, pure ſapiebant.

Solon

Solon ille, ſapientum ſui temporis ſapientiſſimus & doctiſſimus habitus; cujus ætas media fere interciderat à nobis ad Adamum, quamque à noſtris temporibus non uſque adeo diſſitam numeramus: qui hiſtorias plurium annorum millium, ut credibile eſt, Sacerdoti Ægyptio recitabat; ignoraviſſetne principium mundi, ſi fuiſſet, ab Adamo; à quo uſque ad Solonem, tria nondum exacta erant annorum millia? Nonne refutaviſſet argumento illo invictiſſimo, Ægyptiorum nugas & fabulas, quæ tempora memoriæ Solonis vetuſtiſſima, decem retro mille annis tranſcendebant?

Sacerdotes porro Ægyptios, judicio vel ipſo D. Stephani, *Sapientes* ſancitos; adeone rerum imperitos fuiſſe putabimus, ut tam recens mundi principium ignoraviſſent, quale ſtatuitur ab Adamo? vel adeone ſycophantas, ut quas pro compertis habuiſſent fabulas, pro compertis hiſtoriis obtrudere voluiſſent; ſi quid tale de principio illo vel noviſſent, vel dubitaviſſent? Quid præterea dicam de tot viris egregiis, & tanti nominis Philoſophis, non minus prudentia, quam eruditione præſtantibus; qui ad Sacerdotes illos confluebant, ut Ægyptiorum mores, doctrinæque genus cognoſcerent, cum tanta opinione religionis & ſapientiæ Ægyptiacæ? Philoſophoſne illos exiſtimabimus fuiſſe adeo lapides, ut non perſenſiſſent tam inepta & abſurda ſibi dari verba, de hiſtoriis ab annorum myriadibus petitis; ſi illis vel tantiſper ſuboluiſſet, mundum ab Adami temporibus uſque adeo noviter conditum?

Adde his quæ de Scytharum gente ſcripta ſunt, antiquiſſima ſemper credita: nec non contentionem diu habitam, de generis vetuſtate, inter

ter Scythas & Ægyptios. Adjunge & illis, quæ de Phœnicum vetuſtiſſima tradita ſunt proſapia. Galli autem, tanta ſeculorum caligine obductam reputabant ſuam originem; ut ſe omnes à Nocte ipſa, vel à Dite (quod idem eſt) prognatos prædicarent. *Ob eam cauſam, ſpatia omnia temporis, non numero dierum, ſed noctium finiebant: Et dies natales, annorum & menſium initia, ſic obſervabant, ut noctem dies ſubſequeretur.* Quod Cæſar ſuper illis notavit diligenter. Prodigioſa inſuper viſa eſt Scaligero Sinarum periodus: *Iuxta quam*, ait ille, *hic annus Chriſti* 1594. (quo emendationem temporum ſcribebat) *eſt, à condita rerum, octingenties octagies milleſimus ſeptuageſimus tertius.* In ſecula itidem innumera recurrit Americanorum de origine mundi computum: Atque innumera dubio procul deprehenderemus, tempora, de eadem origine, apud Auſtrales homines, ſi terra eorum nobis eſſet cognita. Nempe in illis ſeculorum millibus, quibus numerantur rerum initia, mirus eſt conſenſus populorum nuper cognitorum; cum Chaldæis, Ægyptiis, Scythis, Phœnicibus, Gallis, &c. populis ab antiquis temporibus perluſtratis, & cognitis.

CAPVT VIII.

Probatur antiquiſſima mundi creatio, ex progreſſu Aſtronomiæ, Aſtrologiæ, Theologiæ, & Magiæ gentilium. Tractatur hoc capite de conſtructione Sphæræ.

CErtum eſt, Chaldæorum ſcientias, Aſtronomiam puta, quæ ſyderum motus notaverat, Aſtrologiam, quæ illorum apoteleſmata definiverat; & Magiam, quæ rerum ſympathias,

pathias, cœleſtium cum terreſtribus, exploraverat; floruiſſe tempore Abrahami. Imo Abrahamus ipſe, in diſciplinis iiſdem ab Hebræis ſuis ſolertiſſimus datus, Ægyptios docuiſſe illas dicitur, quo tempore ad illos permeavit. Eruditus porro legitur Moſes *omni Ægyptiorum ſapientia*, Actorum 7. Ægyptiorum ſed enim ſapientia illa, eadem quæ Chaldæorum erat: Verſabatur enim circa Aſtronomiam, Aſtrologiam, & Magiam præcipue. Operæ precium erit diſcutere hoc loco penſiculate; Vtrum poſſibile fuerit Chaldæis, diſciplinarum illarum exactam, qualem habuerunt tempore Abrahami, peritiam aſſequi; per illud tempus quod ab Adamo formato ad natum Abrahamum intercipitur: quodque ex Iudæis Helleniſtis Scaliger poſuit, annorum mille nongentorum quadraginta octo. Vtrum quinetiam (quod eadem fidelia dealbabo) valuerint Ægyptii diſciplinas eaſdem, amuſſitata, qua illas Moſis ſeculo callebant, opera, per annorum ſpatium illud adipiſci, quod ab Adamo ad Exodum à Moſe procuratam numeratur: quodque Helleniſtis iiſdem auctoribus, duorum millium quadringentorum quinquaginta trium annorum fuit.

Sciunt, non dicam qui ſe Aſtronomia tota proluerunt, ſed qui ſummotenus illam attigerunt; notitiam cœli nullo alio pacto potuiſſe deprehendi, quam per notitiam terræ. Variis ſiquidem experimentis obſervavere primi homines, Terrarum incolas diverſis regionibus ſitos, calidas hos, frigidas illos, temperatas alios habitare: nec non pro illa ſitus diverſitate, varietates dierum, noctium, & tempeſtatum, illis contingere. Tum & umbras aliter his atque illis cadere. Neque vero confectæ obſervationes hæ perfunctorie

ctorie & caſu; ſed longis per totum orbem terrarum, & multoties repetitis peregrinationibus, à permultis, & ſagacibus veritatum illarum indagatoribus, conquiſitæ. Quas ubi tandem longæva & comprobata experientia, pro indubitatis & certis habuere; à terra ad cœlum converſi, cauſas ex Sole petierunt, mutationum, & varietatum omnium, quæ in terris fierent, dierum atque noctium, æſtatum atque hiemum. Obſervavere illi, Solem ab Æquatore quem appellavere, & cœli medio, circumſcriptis hinc & inde, quos Tropicos dixere, circulis, evehi & revehi; per circulum quem nominavere Zodiacum, Tropicos duos attingentem; & Æquatorem bifariam, ſed oblique, ſecantem. Quas vero terræ plagas, Tropicos inter poſitas, ſol accenderet, directis illas ferire radiis: at obliquis magis ac magis eas, quæ à Tropicis longius recederent, & ad cœli axes, quos Polos eſſe voluerunt, propius accederent. Tum vero cogitatæ & diſtinctæ Zonæ quinque. Torrida, quæ Tropicos inter Soli ardenti ſubjaceret. Temperatæ duæ, quæ à Tropicis ad polares circulos collocatæ, Sole mitiori gauderent. Frigidæ duæ, quæ à circulis polaribus, ad Polos ipſos circumflexæ, nive & gelu rigerent. Intellecti porro Coluri, ſolſtitiorum unus, alter æquinoctiorum, Sphæræ duo fulcimina. Meridianus his additus: intra quem immotum dum ceteri moverentur, fieret ille inſtar plurium; & ſingulis gentibus ſui cuique Meridiani aſſignarentur.

Inventa & conſtructa hac ratione Sphæra; nec non, pro illius ſitu, aptata Horizonti, obſervavere triplicem; rectam, parallelam, & obliquam. In recta Sphæra poſuere illos, qui directe

ſub

ſub Æquatore habitarent. In parallela, qui directe ſub polis eſſent. In obliqua, qui degerent in locis, inter Æquatorem & alterutrum Polum, interjectis. Obſervavere, in recta Sphæra habitantibus omnia aſtra oriri & occidere. In obliqua aliqua oriri & occidere : aliqua nunquam oriri, ſed ſub Horizonte ſemper deliteſcere: aliqua nunquam occidere, ſed perpetuo imminere Horizonti. In parallela, nulla neque oriri neque occidere : ſed partem ſemper ſupra, partem infra Horizontem poſitam : niſi quæ Zodiacum percurrentia, dimidio decurſus ſui conſpicua, dimidio inconſpicua evaderent. In Sphæra recta poſitis perpetuum eſſe æquinoctium. In parallela, diem perſeverare totos ſex menſes continuos ; & noctem itidem continuos ſex. In obliqua inæqualitates eſſe dierum, & noctium, ſecundum Sphæræ, alterutrum polum verſus, elevationem. Mirabili ſemper obſervato hoc tenore & temperamento in partitione dierum & noctium ; ut nullus foret in terra locus, cui non eſſet intra annum integrum, diurnum & nocturnum tempus, ſex menſium. Quod liqueret in Sphæra recta, & parallela, ſitis : in obliqua vero, prolixitas dierum, & brevitas noctium, per æſtatem ; compenſaretur cum brevitate dierum, & prolixitate noctium, per hiemem.

Adde his, animadverſos Periœcos, ſub eodem æquatori parallelo circulo, & diverſis Meridianis habitantes ; quibus dies & noctes, diverſis temporibus contingerent ; iiſdem vero, æſtates atque hiemes. Antœcos, ſub parallelis diverſis, cis & ultra Æquatorem æque diſſitis, ſed ad eandem partem Meridiani ejuſdem utrinque acceptis, degentes: quibus dies & noctes temporibus

ribus iiſdem accederent; diverſis autem æſtates atque hiemes. Antipodes, ſive Antichthones, ſub æquidiſtantibus hinc & inde ab Æquatore partibus, ſed ad partes Meridiani ejuſdem oppoſitas, ſitos: quibus eſſent diverſis omnino temporibus, dies & noctes, æſtates atque hiemes. Notatos denique Amphiſcios, qui haberent utramque umbram, dextram & ſiniſtram. Heteroſcios, quibus altera umbrarum tantum, dextra iret vel ſiniſtra. Periſcios, quibus umbra per omnes Horizontis plagas circumverteretur.

Taceo permulta, atque illa pene innumera, quæ ad Sphæræ obſervationes ſpectant; cujus hic breviſſimos tantum, & notiſſimos apices, percurrendo tetigi. Quæque omnia jampridem nota, ac veluti in trivio poſita, quia ſcitu facilia ſunt, inventu proinde, neque uſque adeo longa, neque operoſa fuiſſe, incogitantibus putabuntur. Sed ſi rem diligentius attendimus; quorum omnium quæ vel minima & munitiſſima videbuntur, non niſi exacta, repetita, & longiſſima diſquiſitione, deprehenſa, & cognita fuerunt. Quinimo, ut concatenatæ ſunt diſciplinæ omnes; quæ non niſi perfecta in primis Arithmeticæ & Geometriæ cognitione, ab exquiſitiſſimis ſcientiarum illarum, & plurium ſeculorum magiſtris, demonſtrari potuerunt. *Plurium ſeculorum* addidi; quia non omnes omnia potuere omnibus ſeculis Mathematici, quantumvis eximii: neque enucleata, qualem habuere Chaldæi & Ægyptii, Sphæræ demonſtratio elici potuit; niſi ſucceſſivis, & diuturno tempore, per totum orbem terrarum quæſitis, tum experimentis, tum obſervationum collationibus.

CA-

CAPUT IX.

De antiquitate Aſtronomiæ.

QVæcunque vero Sphæræ ſunt, initiamenta fuere tantum Aſtronomiæ, & ſapientiæ illius, quæ apud Chaldæos, & Ægytios maxime viguit. His nimirum principiis, tenera adhuc ſyderalis ſcientiæ concrevit notitia. Primi etenim Aſtronomiæ conditores, ubi diligentius ſyderum ſitus, ex Sphæræ cognitione, & ſtellarum motibus conjecerunt: obſervavere Planetas ſeptem, alios aliis ſuperpoſitos: tum fixas & inerrantes ſtellas innumeras, errantibus ſeptem elatiores, ad Boream & Auſtrum, variis conſtellationum figuris diſtinctas. Notavere & illi, ſydera omnia varie oriri & occidere: aſtronomice, poetice, coſmice, acronyce, & heliace. Circa planetas, illos nunc iſtis, nunc illis Horizontis locis, oriri & occidere: & ſub Meridianum, nunc altius in Boream, nunc humilius in Auſtrum attolli: ac utrumque certas inter metas. Incedere omnes nunc ocius, nunc ſegnius: aliquando majores, aliquando minores apparere. Quamplura etiam obſervata circa Solem & Lunam. Solem Zodiacum percurrere, qua illum media in longum interſtingueret linea, quam dixere Ecclipticam; quæque cœlum in duo hemiſphæria, boreale, & auſtrale, divideret. Solem illam ſolum ſemper inſiſtere. Planetas ceteros, obliquos ad hanc lineam curſus inſtituere: & ab illa, qua Zodiaci latitudo eſſet, nunc in boream, nunc in auſtrum deflectere. Lunam variis, creſcendo & decreſcendo, apparere phaſibus: tum laborare & deficere, cum ſoli oppoſita, Ecclipticam oblique inter-

interſecaret, in alterutro oppoſitorum punctorum, quos nodos appellavere; caput Draconis unum, caudam Draconis alterum. Mercurium & Venerem, Solem circumvolvi, & Solis aſſeclas dici. Martem porro, Iovem, & Saturnum, non ita ſoli alligatos; ſed illi quoque interdum oppoſitos. Ferri illos aliquando concentricos, aliquando excentricos: vel in Apogæis elatos, vel in Epigæis depreſſos. Per Epicyclos fieri quandoque directos, quandoque retrogrados, quandoque ſtationarios. At ſtellas fixas, non tenere ſemper eandem à punctis æquinoctialibus diſtantiam; ſed tendere quoque lentiſſime in conſequentia.

Salvandis & explicandis phænomenis illis, excogitatæ variæ hypotheſes, & ventilatæ diſputationes; dicentium, cœlum moveri, terra immota; dejerantium ex adverſo, terram moveri, cœlo immoto. Aſſerentium, aſtra moveri liberrimis ſpatiis, quibus ſolus motus ſimplex competeret, ab ortu ad occaſum: atque illa apparere moveri in ortum, quæ ferrentur ſegnius in occaſum. Affirmantium è contra, aſtra illigata, & Sphæris ſolidis implantata, ad quarum motum circumferrentur, & una cum ipſis, à primo mobili ab ortu ad occaſum abriperentur: dum eadem ſecundo motu, & ſenſim, ab occaſu ad ortum graderentur. Atque ut paucis abſolvam, ſecundum varias illas hypotheſes, aſſignatæ ſuæ, cuique planetæ, theoriæ; innumerabilibus, tum obſervationibus, tum experimentis, deprehenſæ: quæque non niſi longiſſimo ævo, acquiri & confirmari potuere. Notavere & illi ſtellarum motus varios, vias illarum varias, varios diſcurſus, varias periodos, & cœtus multiformes. Innumeris & miris modis, configurari plane-

planetas inter ſe, tum etiam cum ſtellis fixis, & donec quidem conjungerentur. Conjunctiones porro ſyderum multiplices. Minores prætereo. Saturni & Iovis obſervavere illi, annorum fuiſſe nongentorum. De maxima, qua ad idem punctum unde profecta ſunt cuncta redeunt ſydera, fuſius ſupra actum eſt. Taceo argumenti ejuſdem quamplurima, in quibus non eſt numerus, quæ ne odium pariam, & compendii cauſa omitto. Quæque omnia, quia jam vulgata, breviter & nullo negotio exhiberi poſſe non ſatagentibus videbuntur: ſed quæ non ita breviter, nec tam facili negotio, obſervata & demonſtrata reputabit; qui bene perpenderit, in illorum vel minutiſſimis particulis, ſpeculatione & obſervatione diuturna indagandis, vetuſtiſſimos & magni nominis Aſtronomos, per totum plerumque vitæ ſuæ tempus, ſuper excelſos montium apices invigilaviſſe. Attende & illud: quod ſicuti Rex & Poëta non quotannis naſcitur; ita neque primis temporibus naſcebantur quotannis præclari Aſtronomi, qui in illis deprehendendis, talem meditando & pernoctando, impenderent curam & ſollicitudinem. Conſtat ergo, Aſtronomicas cognitiones, vaſtas & diffuſas, Sphæricis item longe ampliores, & projectiores, non niſi diuturnis mage etiam temporibus, & longioribus multo ſeculorum intervallis, parari & conquiri potuiſſe.

CAPUT X.

De antiquitate Aſtrologiæ.

VErum enimvero, quamvis neceſſe ſit, permulta, illaque innumera pene fuiſſe tempora, quæ in Sphærica & Aſtronomi-

ca contemplatione impenderint primi illarum indagatores: parva & exigui momenti putanda ſunt, præut illa non dubio fuere, quibus ſyderum affectiones & conditiones indagatæ & collectæ; quibuſque ſtellarum vires, tum in ciendis aëris mutationibus, tum in moderandis hominum fortunis, plurimum valuiſſe demonſtratæ ſunt; vel certe demonſtratæ creditæ ſunt. Erexerant primi Aſtronomi vultus ſuos à terra ad cœlum, ut ſyderum poſitus & motus conſequerentur. Reflexerunt qui illos ſecuti ſunt Aſtrologi, oculos ſuos à cœlo ad terram; ut quid poſſent ſtellarum vires & influxus, tum in aërem, tum in homines, defixa & attenta conſideratione aucuparentur. Stellas enim putavere illi longos habere ſtimulos, qui de cœlo nos pungerent: atque adeo ingenerari qualitates hominibus, prout illos ſua ferirent ſydera.

Deprehendere illi multiplici & longa experientia; ſyderum quædam eſſe ignea, calida & cholerica; quædam terrea, ſicca, & melancholica; quædam aërea, humida & ſanguinea; quædam aquea, frigida & phlegmatica. Aſſignatos credidere ſuos cuique Planetæ ventos: nec non tempora præmonſtrare ſyderum curſus & recurſus, circuitus & tranſitus. Stellarum, alias eſſe benevolas, alias malevolas: benevolas, quæ felicitatis inſignia hominibus decernerent: malevolas, quæ periculum facerent, homineſque peſſundarent. Mixtas & temperatas, quæ interdum commodam & felicem efficerent vitam hominum; interdum incommodam & inproſperam. Sydera alia dari maſculina, alia fœminina: quædam homogenea, quædam heterogenea. Diurna eſſe & nocturna ſtellarum gaudia. Occurſantium ſtellarum, quaſdam præſentia & teſtimonio occurrere,

quaſdam

quaſdam radiatione & aſpectu. Bonum aut malum perhibere, ſi bona vel mala præſentia, bona vel mala radiatione reſpicerent. Stellas dari anæreticas; quæ occurſu vitam inciderent. Climactericas alias, quæ vitæ curriculum interturbarent. Leviores & graviores notatos climacteres: tum & ſtellæ malevolæ occurſu lethiferos. Climacteres facere; non vim numeri ſeptenarii, & novenarii: ſed ſtellarum decretum & apoteleſma. Planetis idcirco ſingulis, ſingulas aſſignatas periodos, ad ſignandos climactericos, tota vita eodem tenore recurrentes. Aſpectus præterea dari trigonos, tetragonos, hexagonos, & diametros. Trigona, tetragona, & hexagona, alia poni dextra, alia ſiniſtra: dextra, quæ fierent per radiationem & aſpectum: ſiniſtra, per præſentiam, & teſtimonium. Climacteres hebdomadicos fieri in diametro; Enneadicos, in tetragono: ſed optima quæque portendere, trigonum & hexagonum. Signa ut loca eſſe climacterica. Stellas beneficas vim ſyderis vel loci climacterici emollire, & inflectere: quin & ſigni naturam quandoque mutare ſtellæ aſpectum. Obſervavere illi ſuas eſſe partes Zodiaco, maſculinas & fœminas. Et qua ratione diviſere Aſtronomi Zodiacum, in duodecim ſigna & partes; diviſere Aſtrologi unumquodque ſignum Zodiaci in tres Decanos, & novem munifices, ſive Liturgos: qui duodecimam partem Zodiaci in duodecim partes dividerent: quibuſque virtutes ſignorum duodecim impreſſæ eſſent, & nomina indita: dodecatemoria ſcilicet in dodecatemorio: ſigna in ſignis dominantia. Variis præterea coloribus pinxere antiqui Decanos illos, Planetas ſeptem, & duodecim Zodiaci aſteriſmos: floridioribus hos,

 & cla-

& clarioribus; ſaturatioribus illos, & obſcurioribus. Saturno verbi gratia, dedere nigrum: Jovi, candentem, qui λαμπρὸς eſt: Marti, rubrum: Soli, lucidum: Veneri, varium: Mercurio, luteum: Lunæ, aërium. Obtundi claram ſtellam à fuſco ſydere: & viciſſim, liqueſcere fuſcum ſydus à clara ſtella irradiatum: tum ſydera, ſyderum aliorum mixtura, mille invicem & non ſuos colores trahere.

Decanis porro illis attribuere antiqui Genethliaci ducatum Aſtrologicæ omnis divinationis quæ ex themate geniture fieret. Quin & illis tantum poſſe Decanos viſum eſt; ut totidem inſtituta populorum, legeſque univerſales eſſe cenſuerint, quot Decani eſſent. Collectæ hinc Geneſes, non ſolum urbium; ſed & Mundi ipſius tentata genitura eſt. In ponendis ſed enim hominum geneſibus, accuratiores fuere Chaldæi, & Ægyptii; qui in dodecatropi conſtructione, & horoſcopi diathemate, omni ſollicitudinis intentione, quæſivere primo horoſcopum ipſum; quem genituræ dominum, principem & datorem vitæ indigitaverunt. Chronocratorem deinde, ſive Aphetem venati ſunt, temporum & fortunæ datorem. Loca poſuere illi duodecim, felicia & infauſta, in diathemate horoſcopi; quæ uti ſignificarent, ita decernerent. Totidem fecere illi commoda & adverſa, fortunæ dodecatropo; quæ duodecim fortunæ ἆθλα appellavere: quæque literatorum princeps Salmaſius, non labores, ut vulgo ſolent, ſed fortunæ præmia, bona & mala, interpretatus eſt. Ex poſitu & conſtructione diathematis, ordinavere illi ſydera, quæ vires ſuas ab horoſcopo ſumerent, quæque geneſim cujuſque moderarentur. Et quamvis propriis quæque virtu-

virtutibus pollerent, ob varios tamen aſpectus & configurationes innumeras, quibus invicem quaſi contemperarentur; vel amitterent virtutes illas ſuas, vel alios influxus ſibi adſciſcerent: poſuere illi ratione platica horoſcopum, eundem quem Decanum: ſed ratione partili, & ex *αὐτοψίᾳ*, ſecundum quam digeſtæ fuere geneſes, apud Chaldæos, & Ægyptios; indagata illis fuere dodecatemoria ipſa ſtellæ horoſcopuſes: neque ſolum in qua parte duodecima horoſcopus verſaretur; ſed etiam in qua parte duodecima duodecimæ: imo ecqua tandem in ejuſdem ſexageſima: Addidere qui rem accuratius expenderunt, quanam in illius ſexageſimæ ſexageſima. Bene autem vel male diſpoſitæ ſtellæ videbantur, cum planetæ in bonis vel malis ſignis, bonis vel malis partibus erant conſtituti. Climacteres porro varios fecere, pro ratione decanorum & horoſcoporum. Atque ut ſingulis decanis ſuos planetas aſſignaverant, diverſos etiam fecere climacteres, pro ordine planetarum qui in ſingulis geneſibus diſponerentur. Imo neque ſolum in inveniendis climacteribus rationes habuere Decanorum & planetarum: ſed etiam aſcenſiones ſyderum conſideravere, & temporis terminos omnes ſcrutati ſunt. Quæ omnia diſquiſitione partili & exacta, ab antiquis Genethliacis fuere cogitata, explorata, & Apoteleſmaticæ ſuæ religioſe accommodata.

Chronocratoras præterea, ſive Aphetas, obſervavere illi generales & catholicos, qui è carceribus vitæ emiſſi, ad finem uſque fortunas & actus hominum perducerent: Qui tempora, annos, menſes, dies, & horas, ſequentibus aſtris traderent: aſtra vero ſequentia, ordine ſuccedentibus

tibus. Chronocratoras catholicos à nullo accipere tempora, ſed à ſe ipſo: dividere autem aphetis ſpecialibus & ſequentibus: ſequentes & ſpeciales aphetas, quæ accepiſſent tempora à catholicis, dare illa aphetis ſuccedentibus: ita ut ſtellæ quæque chronocratorias ſuas ordine ſortirentur. Chronocratoribus porro generalibus darentur ſpecialiores, ſuis quaſi ſcaphidiis & capſulis inſerti, chronocratores annui, menſtrui, diarii & horarii. In quibus ſupputandis, & ordine ſuo digerendis, non dici poteſt quam exactam veteres Iudiciarii adhibuerint diligentiam: præcipue in datione & acceptione temporum, quæ inter ſe mutuitabant aliæ aliis ſubſtitutæ ſtellæ. Notavere illi, variare & alternare vices ſydera, in bono atque malo: neque ab uno chronocratore bona & mala conferri, ſed à multis. Et cum bona & mala eodem tempore uni homini contigiſſent; non potuiſſe ex uno apheta contraria illa prædixiſſe, ſed ex alio atque alio. Vt enim permiſcerentur in cœlis ſyderum aſpectus, diſcurſus, circuitus, & congreſſus; ita permixtas fluxiſſe in terris actiones & fortunas hominum.

Innumera de genere hoc prætereo obſervata, quæ vulgo proſtant apud artis illius magiſtros. Tum & alia quamplura, vetuſtate & malignitate ævi, cum libris Chaldæorum & Ægyptiorum erepta & perdita. De quibus, ſi extarent, diceremus eadem fortaſſean, quæ Pſellus repoſuit de libris Teucri Babylonii. *Ex illis*, inquit, *qui hauſerit, mirablia multa deprehendet, de ſignis cæleſtibus, & ſyderibus quæ cum iis oriuntur, & de Decanis: quæ ad diverſas vitæ actiones & eventus faciunt.*

Fateor, illa omnia, & Genethliacam totam, conſti-

conſtitiſſe principiis vagis, fuſis, & arbitrariis: ſed quæ multiplicibus & repetitis, quia dubia & incerta, propter hoc ipſum, educenda fuere, obſervatis & experimentis. Quæque proinde longiore multo repetenda fuerunt temporum & ſeculorum ſerie. Quorum hacpropter longæva & veneranda traditio, tanti fuerit apud antiquos, illoſque excelſiſſimi & acutiſſimi ingenii Philoſophos; ut maximi nominis aſſertores habuerit, Deos, Reges, & Heroas: Mercurium, Æſculapium, Anubium, Petoſirim, Necepſonem, Orpheum, & alios quamplures; qui de ſtellarum apoteleſmatibus Aphoriſmos conſcripſere: quique quas nos credimus nugas, putavere fuiſſe aliquid; nec non fumo illi pondus dedere.

Quæ quoties apud me reputo: nulla me amplius tenet admiratio tot millium annorum, quæ poſuiſſe Chaldæos tradidit Cicero, in periclitandis experiundiſque pueris. Hinc etenim ſcrupuloſa illa quæ antiquos habuit Genethliacos anxietas, in diſquirendo partili horoſcopo, in Chronocratoriis ſtellarum diſpertiendis, & Climactenibus indagandis. Quæ plurima ſeculo huic neoterico incognita, mirum in modum ſubtiliter, docte, & enucleate, detexit ſingularis & eximius Salmaſius; recondita qua pollet in omni ſcibili lectione. Deditque idem, quod mirer, doctas & ſubtiles fabulas; tum ingenioſiſſimis poſitas inventis, quas ille putavit & refutavit nænias. Verum uno hoc nænias illas jam volo, ut vincant, non temere & aliud agendo, ſed compoſito repertas; & longiſſimo illo uſu, qui artes omnes extudit, attentiſſime & diutiſſime meditando, fuiſſe exſculptas.

CAPUT XI.

De antiquitate Theologiæ & Magiæ gentilium.

THeologiam gentilium acceſſionem fuiſſe vetuſtioris & primævæ Aſtrologiæ, nemo eſt qui inficias eat. Erravere ſcilicet primi homines diutiſſime in terris, antequam ad cœlum converterentur, & cœli menſiones ex terræ menſionibus aſſequerentur, Sphæramque detexerent. Erravere diutiſſime in cœlo qui illis ſucceſſere Aſtronomi, ut ſyderum leges, ſtellarumque curſus deprehenderent. Deſpexere diutiſſime terras jacentes, qui illos ſecuti ſunt Aſtrologi; ut quid poſſent ſydera in terras, defixa conſideratione haurirent. Reflexere oculos à terra ad cœlum Theologi, Aſtrologorum diſcipuli: atque ubi obſervavere, cœleſtes ignes, in agmine veluti & acie ordinatos, radiis, tanquam ſagittis, terreſtria ferire corpora; quocirca & *militiam cæli* appellavere illos ſacri Codices: Deos eſſe voluerunt omnipotentes, quibus omnia parerent, quique omnibus dominarentur, & omnia ad ſe converterent. Tum nomina illis impoſuerunt: vel à poteſtate, quam in terreſtria quæque exercerent, cogitata; vel ab effectu peculiari indita, quem in ſingulis genituris oſtenderent.

Attribuere mundo ipſi Deum ſuum & genium: quem Deorum inferiorum principem, & primæ creationis ſpiritum fuiſſe, ſupra & multis demonſtravi. Dixere illum Pana: & fiſtulam ei dedere ſeptem cicutis compactam; ad cujus ſonum Satyri & panes alii omnes ſaltarent: ut ſignificarent, ſpiritum & Deum illum univerſalem, Spiritus & Deos omnes alios movere & mode-

moderari, ſeptem planetarum concentu & conſenſu. Sui deinceps, regionibus, urbibus, locis, populis, laribus, & hominibus ſingulis, aſſignati dii & genii. Quos omnes, quia plurimi ſunt, & proletariis cogniti, ut brevis fiam, prætereo.

At enimvero! quia pleriquè principia & cauſas rerum, non ad cœleſtia tantum ſydera; ſed ad ſupercœleſtes etiam intelligentias, & mundum ipſum referebant Archetypum: varia itidem de diis, eorumque ordinibus jactata fuere. Quas lites ut componeret Mercurius Ægyptius, cognomento Triſmegiſtus, Deus & ipſe Ægyptiis habitus; mira ſunt quæ de illo retulit Firmicus. *Mercurius Ægyptius*, ait ille, *conſcripſerat viginti millia voluminum, de variis ſubſtantiis, & principiis, & poteſtatum ordinibus cœleſtium: quæ aliæ atque aliæ traditæ fuerant. In quibus Aſtrologia & Theologia Ægyptiorum explicabantur. Quas artes docuerat Æſculapium & Anubium.* Quod ut plurium auctoritate confirmetur; hæc de libris illis Mercurialibus retulit Iamblichus. *Mercurius*, inquit, *compoſuit libros viginti mille: ut Meneteus recenſuit, tricies mille, item ſexies mille, quingentos & vigintiquinque. Compoſuit libros centum de diis empyreis; totidem de ætheriis; mille de cœleſtibus.* Conjicere hinc datur, quam antiquiſſima fuerit Theologia gentilium; tum ex antiquitate Mercurii ipſius, tum ex primis Theologiæ ipſius gentilitiæ auctoribus; inter quos, longe ante Mercurium, de diis ſuis non conveniebat. Hinc etiam liquet, Theologiam gentilitiam, ex ſyderali ſcientia manaviſſe; quod quaſcunque commenti eſſent gentiles de diis ſuis fabulas, intelligerentur de ſyderum erraſtium affectionibus, aſpectibus, & eo-

rundem conjunctionibus. Finxere idcirco *Saturnum* moroſum, & crudelem; quia cœlum maligno & noxio ſydere contriſtaret. *Iovem* amatorium; eo ipſo quod animos hominum, ſpiritu benevolo & benigno hilararet. Trucem & ferum *Martem*, viſu ſuæ *Veneris* malaciſſari. Illorum congreſſus à Sole intercipi. Et cetera, quæ odioſus eſſem ſi omnia recenſerem.

Theologia porro gentilium, eorundem Magiam peperit: & qui Deorum Sacerdotes, Magi itidem apud illos habiti ſunt. Credidere antiqui, rebus omnibus terreſtribus, vires ineſſe occultas; vel à cœlo irradiatas, per virtutes diſponentes: vel ab intelligentiis infuſas, per rationes medias: vel ab archetypo impreſſas, per Ideas & formas exemplares. Omnia ſcilicet in omnibus eſſe voluerunt. Cœleſtia, intellectualia, & archetypa, rebus ineſſe terreſtribus, modo terreſtri & compoſito. Terreſtria rurſus cœlo ineſſe, modo cœleſti & defæcato: in intelligentiis, ratione intellectuali, & mage ſimplici: in archetypo, Idearum more puriſſimo. Tum vero omnia per divinas illices, & ſymbolicas illecebras reciprocari: nec non ſpiramentis occultis ſeſe mutuo quaſi ſugere. Cœleſtia & ſupercœleſtia ſuis influxibus terreſtria ad ſe convertere. Terreſtria viciſſim ſuis hiatibus, cœleſtia & ſupercœleſtia ad ſe allicere. Nullam propterea vel herbam eſſe in terris, quin haberet ſuam ſtellam; cujus ſpiritu, & vitam, & vires, facultateſque quibus eſſet prædita, poſſideret. Taceo lapides, metalla, gemmas, arbores, bruta, & homines, quibus ſua itidem ſydera deputaverunt. Materiis itaque potentibus, mirabilia operari crediti ſunt, tum ad Lunam, tum ad ſtellam, tum ad ſyderis aſpectum, quæ-

ſitis

ſitis & præparatis. Sicut enim virtus opifex ex occulis manifeſta produceret: ita Magi manifeſta aſſumendo, occulta attrahere videbantur, per ſtellarum radios, & res naturales cœleſtibus congruas. Influxus autem cœleſtes potentiis naturalibus commixtos illos eſſe qui exhiberent in terris effectus mirabiles, quorum cauſæ in cœlo eſſent.

Hinc nimirum excantatas & devocatas ſyderum Deorumque imagines, cœlo in terras deſcendiſſe, & vim factam diis ipſis tradunt; ſacrificiis, conſecrationibus, ſuffitibus, invocationibus, & imprecationibus. Deorum & ſyderum imagines illas, *Perſonas, & Facies*, appellavere; quales Decani fuerunt. Decan enim Chaldaice, & Perſice, Illuſtriſſimo Salmaſio auctore, *Perſona fuit, & Facies*. Perſonæ autem, vel facies, apparebant diræ, vel placidæ.

Apparent diræ Facies, inimicaque Trojæ
Numina magna Deum.

Inter ſacrificandum vero plerumque vel amicæ, vel hoſtiles occurrebant. Ad depellendas hoſtiles, inſtituta fuere Romanorum purpurea capitis velamina: qualia præceperat Æneæ Trojanus Helenus: Æneidos 3.

Purpureo velare comas adopertus amictu;
Ne qua inter ſanctos ignes, in honore Deorum,
Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.
Hunc ſocii morem ſacrorum, hunc ipſe teneto:
Hac caſti maneant in relligione nepotes.

Orta ex his incantamentis veneficia & philtra illa, quibus homines faſcinati, vel in odium, vel in amorem inducerentur; tum vel ægri vel ſani evaderent. Adde his impreſſas virtutes bonas, vel malas, imaginibus quas vulgo *Taliſmanicas* vocant: per characteres, per adjurationes,

per lumina, per ſonos, per numeros, per verba, & nomina. Naturam enim rationes occultas in apparentibus formis, quaſi ſymbolis, exprimere; Deoſque veritatem Idearum per manifeſtas imagines explicare putabant. Tum vero antiqui Sacerdotes ex multis componendo, unum conficiebant; aſſimilabantque ipſi uni, quod eſt ſuper multa. Vnum inquam ex materiis multis permiſtum. Quarum quidem materiarum diviſio unamquamque debilitaret: miſtio vero per vires exemplares ideam reſtitueret. Decanos referunt in Taliſmanicis figuris illis pingi ſolitos; alios cum ſecuri, alios cum telo, alios cum capite viri, aut fœminæ, radiato: illorumque imagines annulorum gemmis inſculptas, ut eſſent pro amuletis. Teleſmatibus porro illis efficaciam imprimi eximiam, ſi conſecrationibus Chaldaice vel Ægyptiace conſcriptis inciderentur, quia ſacrarum gentium linguæ eſſent.

Quid memorem, verba carminis Magici, rebus cantatis inhalata, aptaviſſe illas ad ſuſcipiendam quamcunque voluiſſent Magi virtutem, præter ſolitum ordinem? & retrograde prolata, ad inſolitos moviſſe affectus? Nonne & illa vulgata; Magico ſuſurramine, tonuiſſe Iove inſcio, amnes reverſos, colligata maria, Solem inhibitum, Lunam deſpumatam, ſtellas evulſas, ruptas viperarum fauces, & capita aſpidum incantata diſſiluiſſe nænia? Quid referam Acherontem imis avernis refuſum, manes ſepulchris erutos, hominum formas mutatas, ceſſaviſſe rerum vices, & Mundum ipſum torpuiſſe?

Innumera præterea fuere ex Aſtrologicis, & Magicis inventis, divinationum genera per Phyſiognomiam, per Metopoſcopiam, per Chiromantiam, per Geomantiam, per Hydromantiam,

per

per Aëromantiam, per Pyromantiam, per Haruſpicinam, per tonitrua, per fulgura & fulmina: per ſomnia dormiendo, per phantaſmata ex vigiliarum reliquiis: per furores & manias, vigilando. Et quæ putavere antiqui, in omnibus abſcondita fuiſſe futurorum oracula.

Non hoc vero jam agimus, ut concilietur fides his omnibus quæcunque enarravi. Verum ut demonſtretur, vel minimis tum Magiæ, cum divinationis partibus, artes ſuas poſitas; multiplici obſervationum experimento, uſuque longiſſimo inventas. Neque vero ludicras & vanas artes, ſed tanti momenti & ponderis, ut divinis etiam miraculis ad ſimilitudinem accedere valuerint. Qualia fuere, virgas in dracones vertere: aquam fluminis mutare in ſanguinem; & ranas lacubus educere. Quæ non ſimpliciter fuere Dæmonum præſtigiæ; ſed ſtupenda artis Magicæ oſtenta. Quam ſcilicet Magicam artem, *Sapientiam* vocavit D. Stephanus, Actorum 7: quamque in primis Moſes ſapuit, Hebræis ipſis auctoribus: neque illam ſolam, *ſed omnem Ægyptiorum ſapientiam*, addidit ſanctus Martyr, eo loci: quatenus nempe Apoteleſmatica, Aſtronomica, & Sphærica conſtitit; à quibus Magia omnis ortum duxit. Sed enim, ſi in Magica tantum valuere Ægyptii, teſte vel ipſa hiſtoria ſacra; nec non Chaldæi, quorum Ægyptii fuere æmuli: Quid non valuiſſe utroſque putabimus, in Apoteleſmatica, in Aſtronomica, & Sphærica? Imo, ſi plurima, ſeculo huic noſtro incognita, calluere illi in Magicis; quidni eoſdem plurima, itidem ſeculo huic noſtro incognita, calluiſſe putabimus, in Apoteleſmaticis, Aſtronomicis, & Sphæricis? Tum ſi plus eis acceſſit cognitionis in diſciplinis illis; quid-

ni in iiſdem conquirendis plus illis etiam acceſſiſſe temporis exiſtimabimus?

Advocentur etiam huc cumulo, innumeræ aliæ ſive artes, ſive diſciplinæ; quibus hæ omnes adnexæ, & concatenatæ ſunt: quaſque ſciviſſe oportuit, qui has calluiſſe putati ſunt. Reputemus tandem ſedulo, quod erat inſtituti noſtri oſtendere: utrum Chaldæi & Ægyptii, diſciplinas & artes illas omnes potuerint conſequi intra illud tempus quod numeratur, ab Adamo, uſque vel ad Abrahamum Chaldæum, vel ad Moſem Ægyptium. Certe, ſi res hæc bona mente, & bona fide peragitur, nemo erit qui non cenſeat, tempus illud anguſtiſſimum, vel ad minimarum & trivialium artium deprehendenda experimenta; ne dicam ſcientiarum altiſſimarum, qualia fuere Aſtronomiæ, Aſtrologiæ, & Magiæ, curioſa obſervata, expendenda & demonſtranda.

SYSTEMATIS THEOLOGICI

LIBER QUARTUS.

Caput I.

Adamus quantumvis perfectus formatus, non potuit momento illo quo formatus eſt, callere Sphæram, Aſtronomiam & Aſtrologiam. Sed illarum cognitionem progreſſu temporis aſſequi potuit. De Bibliis ſacris. Sunt pleraque apographa, non autographa.

VINDICANDIS nodis illis, prodit miraculum è machina. Aſſerunt qui volunt mundum creatum fuiſſe cum Adamo formato; Adamum, momento illo quo vitam & lucem hauſit, ſcientias, artes, & diſciplinas omnes calluiſſe: Quas deinde ſine labore & experimento, nullo itidem gradu temporis teſtudineo, poſteros ſuos docuerit. Ignoſcant viri ſummi, ſi dixero, non recordari ſerio quæ dicant, qui hæc dicunt. Adamus enim, quod ſupra oſtendimus, qua homo perfectus formatus eſt, perfecti quidem humani nihil à ſe alienum habuit: ſed nihil propterea perfectione ſua adeptus eſt, quod perfectum humanum & ſuum ſuperaret. Exceſſiſſet vero Adamus extra perfectum humanum & ſuum, ſi momento illo quo formatus eſt, ſcientias, artes, & diſciplinas omnes calluiſſet. Non ergo illas calluit. Ponamus certe Mundum cum Adamo conditum: at non ideo ſequeretur, ſcientias, artes, & diſciplinas omnes, cum Adamo itidem conditas. Erant

quidem in principio, & ante rerum principium, ſummæ ſcientiarum omnium rationes & cauſæ in Deo: ſed illarum ſemina tantum jacta fuere in Adamo, quo tempore formatus eſt: quæ non niſi cogitatione & ratiocinio, cultura & tempore, ex Adami potentia educi potuerunt. Potuit Adamus ſcientias, artes, & diſciplinas omnes aſſequi; ſed non eas idcirco aſſecutus eſt, momento illo quo formatus eſt. Dei etenim fuit, non hominis, rerum quæ nondum extiterant cauſas cognoviſſe. Adde quod nihil intelligere de prioribus, vel præſumere de futuris & poſterioribus, valuit Adamus, quatenus homo vel perfectiſſimus, niſi cognitione, aut potius conjectura illa, quæ elici potuit ex conſideratione rerum præſentium; quæque in ſuos ſenſus prius incurriſſet: ſecundum illud vulgatum, Quo nihil eſſe potuit in intellectu, hominis vel perfectiſſimi, quod non prius fuiſſet in illius ſenſu.

Non ergo potuit verbi gratia Adamus vel perfectiſſimus, cœli regiones, quæ Sphæræ cognitio eſt, animo deſcribere, quin terrarum regiones prius deprehendiſſet: neque rurſus terrarum regiones deprehendere potuit, quin terras prius omnes peragraviſſet, & undequaque luſtraviſſet. Illa autem non niſi dietim pererrando, videndo, & meditando, perfici potuere: juxta illud Pſalmi 19. *Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam.* Quo loci, *Dies*, rerum notat apprehenſionem, quæ fit per viſum, ſenſuum nobiliſſimum: *Nox* vero, ratiocinium, quod de rebus apprehenſis, conſultando & meditando colligitur.

Sed enim, ſi Adamus, quatenus homo; imo perfectione formationis ſuæ integra, vel ante peccatum (quod idem eſt;) non potuit niſi paulatim,

latim, & ſucceſſione temporis, ſcientias, artes, & diſciplinas apiſci: longiore ſane temporis intervallo comparare illas, poſt lapſum & peccatum ſuum, valuit: Ex illorum præſertim hypotheſi, qui volunt, animum Adami, poſt peccatum, tenebris fuiſſe obductum, & rerum ignorantia hebetatum. Adjunge his, quod ſecundum eoſdem, tam breve ſtatuitur ſpatium, inter formationem Adami, & peccatum ejus; ut nihil fere ſcire potuerit Adamus, quod non illi magno conſtiterit: id eſt, labore & temporis diſpendio eodem, quo diſciplinæ omnes, peccatoribus vendi præſumuntur hominibus.

Solent omnes qui libris Moſaicis ſcrupuloſe addicti ſunt; inventiones ſcientiarum, artium, diſciplinarum, & rerum omnium, vel ad Adamum, vel ad Adami referre poſteros. Ratione illa tantum, quia nullus homo prior Adamo legitur apud Moſem. Hoc illi autumant, argumento eodem quo putant, antiquiſſima omnia, tum naturalis, tum humanæ hiſtoriæ, monumenta, libris ſacris, præcipue vero Moſaicis, contineri.

Inſtituti mei non eſt, neque iſtud Deus ſinat! vel quicquam imminuere de fide quæ ſanctis codicibus præſtanda eſt, vel eorundem auctoritatem defugere. Dicam ingenue quæ ſit de illis mea ſententia. At ſi quid fallo, ita fallar. Opinio hæc ſemper mihi ſedit, quam inconcuſſe & firmiter teneo: Bibliis Sacris contineri quicquid ſcire hominibus conceſſit Deus, vel de origine Mundi, vel de hiſtoria ſacra, vel de Prophetiis, vel de Myſteriis divinis, vel de ſalute noſtra. Quæ ad ſalutem noſtram unice ſpectant, paucis conſtant. Et in illis tantum curæ, tantum diligentiæ, & tantum lucis adhibuit Spiritus ſanctus,

quan-

quantum captui humano convenit. Pluribus mandata ſunt quæ de aliis tractant. Et de illis aperiam, quod omnes ſentiunt, quodque pleri-que muſſant dicere. Tanta ſcilicet incuria, & caligine tanta ſcripta fuiſſe; ut nihil plerumque intricatius, nihil obſcurius legi poſſit.

Petenti apud me cauſam hujus rei: hoc mihi ipſi, ratione illa quæ homini cuivis præſto eſt, reſponſum dedi. Deum, qui ſe noſci ab hominibus voluit, tenebris latuiſſe; neque ſe plene manifeſtum dediſſe. Illud enim de ſe ipſo profitebatur, *habitaturum in nebula.* Itaque neque ſe nomine uno Iudæis confeſſus eſt ſub veteri fœdere. Sub Euangelio autem, diſcipulos ſuos, & dæmones comprimebat; ne, quis eſſet, evulgarent. Quicquid præterea dicebat, parabola erat: & variis ſermonum ambagibus ſuos ut plurimum circumagebat auditores. Quodſi coram loquendo cum hominibus, perplexe & ænigmatice locutus eſt Deus; non abſimili vero conjectura exiſtimandum erit, ſcriptis eadem tradita, perplexius & nodioſius ad poſteros tranſmitti voluiſſe. Hinc inuſitatæ illæ & inſolentes cœleſtium ſpecies, quas divinis ſcriptoribus oblatas legimus; inuſitatis & inſolentibus loquendi formulis deſcriptæ & expreſſæ. Ludos dicas fere omnes ſchematis enthei, quos nobiſcum balbutiens Deus, miris modis fecerit hominibus.

At enimvero! quis aſſerere audeat, divinorum Auctorum autographa ipſa, perplexe quamvis & ænigmatice ab illis ſcripta, ad nos eadem tranſmiſſa, qualia dictante Deo ipſo, voluminibus ſacris commiſſa ſunt? Negari certe non poteſt, quin ſint apographa quæ leguntur in libris Ioſuæ, Regum, & Paralipomenon. Remque ipſam auctorem dabo. Miraculum Ioſuæ, quo increpante

ante Sol & Luna ſteterunt, manifeſto apographum eſt. Scriptum enim legas capite 19. libri illius. *Steteruntque Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe Gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt in libro Iuſtorum?* Exceptum ergo miraculum, ex libro Iuſtorum: id eſt, ex libro Iudæorum, qui dicebantur *Iuſti*; quod notavi ſupra. Exceptum, inquam, ex libro illo Iuſtorum, qui ex libro alio (fortaſſean autographo) exceptus fuerat. Nihil vero frequentius occurrit in aliis tractatibus. *Ecce ſcripta ſunt, vel in libris Nathan, vel in libris Gad, vel in libris ſermonum dierum, regum Iſrael, & regum Iuda: vel in verbis Iehu, filii Hanani; vel in ſermonibus Hoſaï; vel apud Iſaiam prophetam*, ſuo illo hiſtoriarum libro qui lumine caſſus eſt: &c. Quæcunque ſcilicet leguntur vel apud Reges, vel in Chronicis, collectanea ſunt, deprompta ex libris Nathan,Gad,Iehu, Hoſai, Iſaiæ,&c. unde hauſta & compilata, ſuo ſibi auctorum ipſorum indicio, evidentiſſime deprehenduntur.

Neſcio vero, quo auctore ſatis idoneo, compertum ſit; Pentateuchum, Moſis ipſius fuiſſe autographum. Vulgo dicitur, ſed non omnibus probatur. Hæ cauſæ me movent, quare libros quinque illos, non Moſis archetypos,ſed excerptos & exſcriptos ab alio credam.In primis quod in illis legitur Moſes mortuus. Qui enim potuit Moſes ſcribere poſt mortem ſuam? Ioſue aiunt addidiſſe mortem Moſis, capiti ultimo Deuteronomii. Verum, quis addidit mortem Ioſuæ ipſius, capiti ultimo libri illius qui Ioſuæ inſcribitur; quique à Ioſue ipſo conſcriptus, ut Pentateuchum à Moſe, reputatur?

Legitur porro Deuter. cap. 1. *Hæc ſunt verba quæ locutus eſt Moſes trans Iordanem.* Quæ ſi ſcri-

quantum captui humano convenit. Pluribus mandata ſunt quæ de aliis tractant. Et de illis aperiam, quod omnes ſentiunt, quodque pleri- que muſſant dicere. Tanta ſcilicet incuria,& caligine tanta ſcripta fuiſſe; ut nihil plerumque intricatius, nihil obſcurius legi poſſit.

Petenti apud me cauſam hujus rei: hoc mihi ipſi, ratione illa quæ homini cuivis præſto eſt, reſponſum dedi. Deum, qui ſe noſci ab hominibus voluit, tenebris latuiſſe; neque ſe plene manifeſtum dediſſe. Illud enim de ſe ipſo profitebatur, *habitaturum in nebula.* Itaque neque ſe nomine uno Iudæis confeſſus eſt ſub veteri fœdere. Sub Euangelio autem, diſcipulos ſuos, & dæmones comprimebat; ne, quis eſſet, evulgarent. Quicquid præterea dicebat, parabola erat: & variis ſermonum ambagibus ſuos ut plurimum circumagebat auditores. Quodſi coram loquendo cum hominibus, perplexe & ænigmatice locutus eſt Deus; non abſimili vero conjectura exiſtimandum erit, ſcriptis eadem tradita, perplexius & nodioſius ad poſteros tranſmitti voluiſſe. Hinc inuſitatæ illæ & inſolentes cœleſtium ſpecies, quas divinis ſcriptoribus oblatas legimus; inuſitatis & inſolentibus loquendi formulis deſcriptæ & expreſſæ. Ludos dicas fere omnes ſchematis enthei, quos nobiſcum balbutiens Deus, miris modis fecerit hominibus.

At enimvero! quis aſſerere audeat, divinorum Auctorum autographa ipſa, perplexe quamvis & ænigmatice ab illis ſcripta, ad nos eadem tranſmiſſa, qualia dictante Deo ipſo, voluminibus ſacris commiſſa ſunt? Negari certe non poteſt, quin ſint apographa quæ leguntur in libris Ioſuæ, Regum, & Paralipomenon. Remque ipſam auctorem dabo. Miraculum Ioſuæ, quo incre-

pante

pante Sol & Luna ſteterunt, manifeſto apographum eſt. Scriptum enim legas capite 19. libri illius. *Steteruntque Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe Gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt in libro Iuſtorum?* Exceptum ergo miraculum, ex libro Iuſtorum: id eſt, ex libro Iudæorum, qui dicebantur *Iuſti*; quod notavi ſupra. Exceptum, inquam, ex libro illo Iuſtorum, qui ex libro alio (fortaſſean autographo) exceptus fuerat. Nihil vero frequentius occurrit in aliis tractatibus. *Ecce ſcripta ſunt, vel in libris Nathan, vel in libris Gad, vel in libris ſermonum dierum, regum Iſrael, & regum Iuda: vel in verbis Iehu, filii Hanani; vel in ſermonibus Hoſaï; vel apud Iſaiam prophetam*, ſuo illo hiſtoriarum libro qui lumine caſſus eſt: &c. Quæcunque ſcilicet leguntur vel apud Reges, vel in Chronicis, collectanea ſunt, deprompta ex libris Nathan, Gad, Iehu, Hoſai, Iſaiæ, &c. unde hauſta & compilata, ſuo ſibi auctorum ipſorum indicio, evidentiſſime deprehenduntur.

Neſcio vero, quo auctore ſatis idoneo, compertum ſit; Pentateuchum, Moſis ipſius fuiſſe autographum. Vulgo dicitur, ſed non omnibus probatur. Hæ cauſæ me movent, quare libros quinque illos, non Moſis archetypos, ſed excerptos & exſcriptos ab alio credam. In primis quod in illis legitur Moſes mortuus. Qui enim potuit Moſes ſcribere poſt mortem ſuam? Ioſue aiunt addidiſſe mortem Moſis, capiti ultimo Deuteronomii. Verum, quis addidit mortem Ioſuæ ipſius, capiti ultimo libri illius qui Ioſuæ inſcribitur; quique à Ioſue ipſo conſcriptus, ut Pentateuchum à Moſe, reputatur?

Legitur porro Deuter. cap. 1. *Hæc ſunt verba quæ locutus eſt Moſes trans Iordanem.* Quæ ſi ſcri-

ſcripſiſſet Moſes, repoſuiſſet, *cis Iordanem.* Non enim tranſiliverat Moſes Iordanem. Imo neque illum vadavit unquam. Dixit autem, *trans Iordanem*, qui Deuteronomium congeſſit, quia in Terra ſancta erat: cuique adeo locus ille in campeſtribus Moab, ubi Moſes Iudæos extremum allocutus eſt, trans Iordanem erat. Illud autem, *trans Iordanem*, repetitum multoties à Moſe reperias, Deuteronomio eodem. Quod revera illi fuerat, *cis Iordanem.*

Laudatur quinetiam Numerorum capite 21, parœmia ſumpta ex libro, cui titulus erat *Bellorum Domini.* Verba Numerorum hæc ſunt. *Vnde dicitur in libro bellorum Domini. Sicut fecit in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon.* Laudari autem non potuit a Moſe, liber ille bellorum Domini, in quo facta fuiſſet mentio, eorum quæ in Arnon, & in ipſa arena à Moſe ipſo gerebantur: Quia enim neque conſcriptus erat liber ille, neque potuerat. Crediderim certe, diurnos commentarios Moſem confeciſſe, rerum omnium mirabilium quæ Deus in gratiam Iudæorum, Moſe eorum ductore, faciebat. Ex quibus ſcilicet commentariis, longo poſt Moſem tempore, conflari potuerit liber ille bellorum Domini. A quo deinceps Numerorum liber exceptus fuerit. Quique proinde, non autographum; neque dum vero apographum ex autographo ipſo exſcriptum: ſed vere & reapſe apographum apographi reputari debuerit.

Indicant vero longiſſime poſt Moſem ſcripta, quæ leguntur Deuteronomii cap. 3. *Iair filius Manaſſe poſſedit omnem regionem Argob, vocaturque ex nomine ſuo, Baſan hanoch Iair; id eſt, villa Iair, uſque in præſentem diem.* Non dixiſſet Moſes, *uſque in præſentem diem*, ſi hæc ſcripſiſ-
ſet.

ſet. Vix enim poſſidebat Iaïr ipſe villam illam ſuam, quo tempore introducitur Moſes hæc dicens. Arguiturque hinc manifeſto, loci illius Deuteronomici auctorem, oſtendere voluiſſe, à longiſſima & prima origine, unde villa Iair diceretur, deducendo cauſam nominis illius, à Moſe, ad ſua uſque tempora. Proindeque appoſite dixiſſe, vocari villam Iair, ex veteri illo Iair, *uſque in præſentem diem.*

Tale eſt Deuteronomii ejuſdem illud, capite eodem tertio. *Solus Og Rex Baſan ſuperfuerat de ſtirpe Gigantum. Monſtratur lectus ejus ferreus, qui eſt in Rabbath filiorum Ammon.* Quorſum enim attinuiſſet, Moſem dixiſſe Iudæis; monſtrari lectum ferreum Regis Baſan, in Rabbath filiorum Ammon, unde magnitudinem Gigantis illius diſcerent? Quorſum, inquam, opus erat, Iudæos alio mittere, ut lectum Gigantis viderent; qui Gigantem ipſum, coram, in terra ſua, viderant, vicerant, & campis Baſan ipſis proſtratum, vulgo menſi erant? Satius multo fuerit crediſſe, hiſtoriæ illius Scriptorem, quo fidem acquireret de Rege & Gigante Og, cujus mentionem moverat; quique longiſſime ante ejus tempora extinctus erat; teſtem certiſſimum adhibuiſſe lectum ejus ferreum: horrendas ſcilicet immanis Gigantis exuvias; quæ tempore illo viſerentur, non in Baſan, ubi jacebat Og; ſed locum mutantibus ſeculis, in Rabbath filiorum Ammon.

Leguntur etiam hæc Deuteronomii cap. 2. *In Seir prius habitaverunt Horræi: quibus expulſis atque deletis, habitaverunt filii Eſau: ſicut fecit Iſrael, in terra poſſeſſionis, quam dedit ei Dominus.* Significatur his verbis; Idumæos, qui ſunt filii Eſau, habitaviſſe montem Seir, expulſis at-

que

que deletis Horræis, prioribus montis illius accolis. Iudæoſque deinceps, montem eundem Seir habitaviſſe; nec non Idumæam ſibi à Deo in poſſeſſionem conceſſam aſſeruiſſe, expulſis viciſſim, atque deletis Idumæis. Atqui certum eſt, neque Moſe auctore, neque Moſis ſeculo, expulſos & deletos fuiſſe Idumæos à Iudæis: aſſertore Deuteronomio ipſo capite eodem 2. *Dixitque Dominus ad me*, inquit Moſes, *Tranſibitis per terminos fratrum veſtrorum, filios Eſau, qui habitant in Seir, & timebunt vos. Videte ergo diligenter, ne moveamini contra eos. Neque enim dabo vobis de terra eorum, quantum poteſt unius pedis calcare veſtigium: quia in poſſeſſionem Eſau dedi montem Seir.* Non ergo in diebus Moſis, conceſſa fuit Idumæa Iudæis, ſed longiſſimo poſt Moſem intervallo: Davide prophetante, pſalm. 108. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Hoc eſt, in Idumæam extendam poſſeſſionem meam. Capitur enim poſſeſſio, per pedis immiſſionem. Et calceamentum hoc loco, pes eſt: continens pro contento. Quin & David ipſe prophetiam ſuam ratam fecit, ut ſcriptum eſt Paralipomenon 1. cap. 18. ubi legitur, Davidem Deo conſecraviſſe argentum & aurum. *Quod tulerat ex univerſis gentibus, tum de Idumæa, Moab, & filiis Ammon.* Additur eo loci. *Abiſai vero filius Sarviæ percuſſit Edom in valle Salinarum, decem & octo millia. Et conſtituit in Edom præſidium: ut ſerviret Idumæa David.* Tempore ergo Davidis, non Moſis, redacta eſt Idumæa in terram poſſeſſionis quam promiſſo dederat Deus Iſraeli: utpote quæ in ſortem & in partem terræ ſanctæ veniebat. Atque hinc evincitur, ſcripta hæc Deuteronomii fuiſſe poſt Davidis tempora: diſſitiſſimo ſcilicet poſt Moſem interſtitio. Ni-

Nihil vero eſt, quod pluribus lectorem atteram exemplis, ut lucem Soli fænerem, & probem rem per ſe clariſſimam: Non eſſe archetypos qui reputantur Moſis libri, bibliorum quinque principes. Neque erit quare mirari quiſquam poſthac debeat, cum animadverterit, tam multa in illis legi; obſcura, confuſa, inordinata, trunca & mutila, ſæpius repetita, omiſſa plurima, extra locum & ſeriem poſita: quoties reputabit congeſtam illos eſſe apographorum farraginem. Trunca ſunt quæ leguntur de Lamecho, cap. 4. Geneſeos. *Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum.* Nuſquam enim apparet vir ille adoleſcentulus quem Lamechus occidit. Mutila eſt hiſtoria quæ recenſetur capite 4. Exodi, de circumciſione filii Moſis. Et mutila eo ipſo deprehenditur, quia qualis eſſe debuiſſet, clare conjicitur. Tranſpoſitum eſt caput 20 Geneſeos, de peregrinatione Abrahami, ad Abimelech, Regem Geraræ. Non enim vero ſimile reputabitur, Regem illum voluiſſe Saram vetulam; cui deſierant fieri muliebria, quæque non poterat voluptati operam dare. Eadem reputa de Rebecca, cap. 26. Geneſeos ejuſdem; quæ inciderat in eundem, vel alium regem Geraræ Abimelech. Neque enim credibile eſt Regem illum cupiviſſe Rebeccam, *propter pulchritudinem ſuam*, ut ſcriptum eſt: quia tum ſenuerat, grandibus jam & adultis, Eſau & Iacob, filiis ejus.

Extra vero locum, & tempus poſitum eſt, quod legitur Deuteronomii cap. 10. *Filii Iſrael moverunt caſtra ex Beroth, filiorum Iacan, in Moſera, ubi Aaron mortuus eſt.* Deinde ibidem, mox. *Eo tempore ſeparavit tribum Levi, ut portaret arcam fœderis.* Atqui longe ante Aaronem mor-

mortuum, ſeparati fuerant Levitæ ad officium curandi tabernaculi, & portandæ arcæ; ſecundum Dei præceptum, ſæpius, & longe ante mortem Aaronis repetitum; tum in Levitico, tum in Numeris. Imo Aarone ipſo in vivis degente, & ex quo perfectum fuit tabernaculum; quoties caſtra moverant filii Iſrael, toties Arcam portaverant Levitæ. At, ſiquidem operam dabit lector, veloci percurrat precor oculo caput hoc decimum Deuteronomii. Et mortem Aaronis narrationi inſertam præpoſtere comperiet, in qua locus ad mortem illam nullus erat utibilis; neque quicquam ad eam rem attinebat. Imo, contra rationem temporum ſcriptam eo loci deprehendet, ubi agebatur de lege lata in Sinai: longe ante Aaronem mortuum.

Extra locum itidem & tempus ſcriptum cernas Exodi illud capite 18. *Venit Iethro cognatus Moſi, & filii ejus, & uxor ejus, ad Moſem in deſertum, ubi erat caſtra metatus juxta montem Domini.* Qua ratione enim potuit venire Iethro ad Moſem generum ſuum, poſt Iudæorum exodum; *cum uxore Moſis, & filiis ejus:* ſi Moſes ipſe, cum abiret à Iethro ſocero ſuo, & reverteretur in Ægyptum, ante eandem exodum, atque ut illam faceret, dicatur diſerte, *tuliſſe uxorem ſuam & filios ſuos?* Exodi ejuſdem cap. 4.

Plura id genus notabit in libris iiſdem, qui vel perfunctorie illos legerit, tum, quæ omitto recenſere, obſcura, confuſa, & turbata paſſim pleraque: imo quædam invicem pugnantia, ut frigida calidis, & ſicca humentibus. At vos, qui in illis conciliandis, reſponſiones & ſolutiones, undeunde eruere, & extricare ſatagitis: fruſtra omnes, operam teritis, niſi nodos illos animadverſione hac reſcinditis, & diverſis modis ſcri-

pta

ptá reputatis; quia ex diverſis auctoribus exſcripta & tranſlata ſunt.

CAPVT II.

Deus ſe obſcure notum dedit hominibus. Deus in nebula. De bibliis apographis. Fuere ſcriptores ante Moſem. Non omnia potuit ſcribere Geneſis. Non ſcripſit hiſtoriam primorum hominum, ſed primorum Iudæorum. Arca non fuit prima navium. Vinea plantata à Noë, non fuit prima vinearum plantatarum. Qua ratione Melchiſedec intelligi debeat, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, &c.

QVare autem noluerit Deus, ſe, qualis eſſet, manifeſtum dare hominibus. Quare itidem perplexe & obſcure cum illis locutus ſit. Quare perplexius & obſcurius dicta ſua ſcriptis mandari curaverit. Quare tandem autographa ipſa quamplurima, quæ divini ſcriptores à Deo ipſo hauſerant, perire ſiverit: neque eorundem ad nos, niſi obſcuriora multo, & turbatiora manaviſſe apographa, voluerit. Inquirant ſagaciores. At mihi lateat, ut voluit Deus. Nihil ad me iſtud, Quare Deus voluit: dum mihi conſtet, Deum voluiſſe. Nebulam in qua Deus habitat, penetrare oculis meis non datur; ut Deum videam, qualis eſt. Deum certe habitare in nebula intelligo. Deumque in nebula veneror. Quæ obſcura ſunt in ſacris, quas manibus verſamus, paginis, elucidare; confuſa in illis & turbata digerere; omiſſa revocare; manca & mutila reſtituere; pugnantia conciliare; perſpicacitati meæ (ſi qua mihi eſt) non conceditur: tum neque plenam, ex illarum lectione, de origne Mundi notitiam habere; neque hiſtoriæ ſacræ

ſacræ ſeriem totam callere; neque Prophetias clare intelligere; neque vim myſteriorum efficacem perfectè cognoſcere. Quicquid præterea, in iiſdem ſacris paginis, vel obſcuri, vel confuſi & turbati; vel omiſſi, vel manci & mutili, vel diverſi & alieni eſt: Spiritum ſanctum, qui Deus eſt, in illis nihilo ſecius degere ſcio. Vel enim, illarum autographa à Spiritu ſancto divinis ſcriptoribus dictata, certe teneo: vel earundem apographa, ex ſacroſanctis autographis hauſta & derivata, conſtanter mihi perſuadeo. Ac veluti in nube, quam tempeſtas atra glomerat; qui ejus caliginem tranſadigunt radii, Solem teſtantur qui nube occultatur: Haud aliter, in obſcuris & denſis apographorum nimbis, ignea, quæ illos percurrit, Spiritus ſancti rimula, Deum prodit, quem nimbi eripiunt.

Neque vero me latet, lappas, & tribulos, nitidis Domini cultis ſuccreſcere: farreamque inter ejus ſementem, lolium infelix, & ſteriles avenas, dominari. Scio, in meſſe Domini, paleæ & aceris majorem copiam, cum tritici granis confundi. Scio, auro & argento, ligno & lapide, fœno & ſtipula, confuſe permiſtis & interſtructis, educi ædificium Chriſti. Scio utique, divinis ſcriptis eadem illa interſtrui, confundi, interſeri, & ſuccreſcere. Imo, inquies, facile dignoſcitur lolium à tritico, palea à granis, aurum & argentum à fœno & ſtipula. Sed quis tam acri judicio erit, ut divinum autographum, ab humano apographo, ſeparare queat? Apographum, inquam, adeo cognatum autographo; ut te ipſo confitente, ludat utrumque in verborum ſtrophis & antiſtrophis. Atqui ſane non ita difficulter ſecernère erit apographum ex autographo; ubi auctor apographi ſe ipſum prodit, & ingenue

genue fatetur, ex quibus libris librum ſuum compoſuerit. Difficultas in eo eſt, noſſe in apographo, quæ ſunt excipientis, & quæ autographi, à quo ille hauſit qui excepit. Atque ut id quod eſt dicam. Impoſſibile eſſe aio, noviſſe & decreviſſe omnia illa. Multa certe ſunt, in quibus attente meditando, dignoſci valeant quæ ſunt autographi ab illis quæ ſunt apographi. Et ſi canis venaticus, qui feram requirit; ubi plurima videt & confuſa in pulvere veſtigia, odora qua pollet ſagacitate, illa excernit, & ſtringit quæ ſunt feræ cui ſuperinſiſtit: Quidni ratio noſtra, ubi ponderibus & modulis ſuis utitur; divino præcipue adjuta auxilio; divina ab humanis excernere poterit? Tum ſi pater Iſaac cœcus, diſtinxit vocem Iacob, à manibus Eſau: Quidni mens noſtra cœleſti lumine irradiata, diſtinguere poterit vocem Dei, à manibus hominum?

Non ea vis, dicamne vel imbecillitas, animo meo eſt; ut me in illis dignoſcendis, excernendis, & diſtinguendis, cœlitus adflatum præſumam. Illud certe effari liceat; ineſſe mihi illam divinæ auræ particulam, quæ homini cuilibet ratio eſt: nec non Spiritum Chriſti eundem, qui de plebe Chriſtianum quemque informat; & ſine quo, nullus Chriſti aſſecla dici poteſt. *Si quis enim Spiritum Chriſti non habet, is non eſt Chriſti.* Romanorum 8. Hujus ego divini Spiritus auxilio fretus: tum & illo, qui nobis eſt tactus divinitatis melior quam notitia, inſtinctu emotus; audeo quædam in quibuſdam Bibliorum locis conjicere; neque enim poſſumus omnes omnia. Illa autem feliciter audere mihi videor: quia enim nihil audeo quod non rationis & fidei trutina curioſe appendam & caſtigate librem.

Fatum idem quod exemplaria profana, illaque innumera, abſtulit; autographa ſacra abſumſiſſe quamplurima, meo mihi ſum conſcius & promus pectori. Nullus certe dubito, quin Moſes Iudæorum exitum ex Ægypto; tum legem Dei latam in monte Sinai; tum cæremonias lege illa præſcriptas; tum hiſtoriam quadraginta annorum, quibus coërraverunt Iudæi in deſerto; tum denique memorandum Deuteronomii myſterium, ſcriptis accuraverit. Credo, utique, Prophetam incomparabilem, recondita illa qua præſtabat, rerum Iudaicarum ſapientia; Iudæorum ſuorum faſtos, à prima origine, & Adamo ſanguinis Iudaici auctore, ad ſua uſque derivaviſſe tempora. Tum etiam rerum omnium Geneſim, ante Adamum conditum, ſcripſiſſe, mihi facile perſuadeo. Illa autem, & prima Iudæorum monimenta, & rerum creationem primam, didiciſſe Moſem cenſeo, & lectura vetuſtiorum codicum; & divini, quo madebat, Spiritus monitu. Quamvis enim nullus nobis ſit ſcriptor cognitus Moſe antiquior; Scriptores tamen Moſe antiquiores fuiſſe, negare quis audeat? Imo priores illo fuiſſe clare apparet, eo ipſo quod hiſtorias ſuæ gentis, ante & poſt diluvium, intra bis mille & quingentes annos, vel circiter, ſcriptis mandaverit. Quaſque ſecundum rerum naturam, earumque ordinem & ſeriem; & quod notandum, nullo hinc oriente incommodo, didiciſſe conjicere eſt; vel ex libris tempore ſuo extantibus; vel ex longiſſimis traditionibus, ad ſua uſque ſecula fideliter deductis. Literarum ſane uſum fuiſſe apud Phœnices longe ante Moſem, compertum eſt: nec non Phœnices eadem locutos conſtat, quæ Hebræi loquebantur. Cujus nimirum rei ſpecimen eximium dede-

dederunt, viri doctiſſimi Samuel Petitus in Miſcellaneis, & Clariſſimus Bouchardus in ſuo Phaleg. At, ſi ab Hebræis loqui didicerunt Phœnices: quidni ſcribere didiciſſe ab iiſdem putabimus? Scripſerunt ergo Hebræi ante Moſem. Quid vero rectius, & melius ſcripſiſſent Hebræi, quam hiſtorias ſuas? Ab illis autem excepiſſe Moſem, quos ſcripſit rerum Iudaicarum faſtos, crediſſe quid prohibet?

Moſem certe, qui totus præcipue erat in digerenda ſua, & ſui temporis hiſtoria; carptim ſcripſiſſe exiſtimo, quæ ſua præverterant ſecula: raptim vero maxime, quæ Vniverſi geneſin comprehendebant. At qui Moſem ſecuti ſunt apographorum concinnatores, breviores multo creationis univerſæ, & primorum Iudæorum apices, tetigiſſe exiſtimo. Atque hinc factum conjicio, quod Mundi creatio, capite primo, & unico, Geneſeos, breviſſime abſolvatur. Quod dehinc, Adæ formatio, Evæ ædificatio, & peccatum Adæ, capitibus ſecundo & tertio curioſius paulo deſcribantur. Quod denique capitibus quarto & quinto, quæ à Caino ad Noachum extenduntur, totius antediluviani temporis percurratur hiſtoria. Viderit autem, quicunque fuerit tutæ mentis; utrum capitibus illis, quarto & quinto, brevibus admodum & genealogiarum fere plenis; comprehendi potuerunt, quæcunque toto orbe terrarum, vel acta, vel inventa ſunt, per ſpatium mille ſexcentorum annorum, & ultra. Vtrum etiam, ratione incolumi, negare poſſimus; quæcunque, ſalvis fidei myſteriis, naturali & recta argumentandi via, fieri potuiſſe demonſtrantur: propter hoc ipſum tantum, quod duo illa compendioſiſſima capita nullam eorum mentionem expreſſam faciant.

Hæc ego apud me ſerio reputans, & diligenter expendens omnia illa, quæ de retroantiquiſſimis temporibus, ſupra & fuſe recenſui; tam ex profana, quam ſacra ipſa hiſtoria: tum quæ à me inferius dicentur, de Ævo illo æterno, à quo Mundus conditus Prophetis & Apoſtolis perhibetur: non dubitavi primorum hominum creationem, à principio rerum, longiſſime ante Adami revocare tempora. Neque enim me movere debuit, quod illorum hominum Geneſis expreſſim non meminerit. Imo eo ipſo mihi fieri ſatis putavi, quod homines illos expreſſim non negaverit. At vero interea; etſi uſque adeo breviter, ut nihil brevius, rerum originem perſtrinxerit Geneſis: conjice nihilominus ex libro eodem datur, quod demonſtravi ſuperius, à longe diverſam fuiſſe creationem primorum hominum, quæ delibatur capite primo; à formatione Adami primi Iudæorum patris, quæ parcius minus enarratur capite ſecundo.

Vulgo argumentantur. Nulli homines nominatim leguntur ante Adamum in Geneſi. Ergo nulli fuerunt ante Adamum. Atqui negatur ſequi illud; nullos fuiſſe ante Adamum homines, quia nulli ante Adamum nominatim leguntur in Geneſi. Conſtat enim, neque omnia ſcripſiſſe Geneſim; neque omnia negari debuiſſe, quæ ſuppreſſit Geneſis; cujus ſcilicet inſtitutum erat ſcribere, non hiſtoriam primorum hominum, ſed primorum dumtaxat Iudæorum. Simili ratiocinio dejerant, Arcam Noe, primam fuiſſe navium omnium, quia prior non legitur in Geneſi. Quaſi vero Adamus, qui ſecundum vulgatam hypotheſim, formatione ſua artes omnes edoctus eſt, Nauticam ignoraviſſet; artium omnium tum mage egregiam, tum ſocietati hominum

minum mage neceſſariam; tum naturali & quotidiano uſu natandi, deprehenſu magé facilem. Tale eſt quod de eodem Noe jactant; plantaviſſe primam vineam: Quia nulla prior legitur plantata apud Moſem. Quaſi vero terra, quæ arbores peperit omnigenas, quando creata eſt, in ipſa mundi juventute,& hilaritudine, vitem non protuliſſet, hilaritudinis datricem, & juventutis inſtauratricem: Adamus autem inſignis agricola, plantationem vineæ neglexiſſet, agricolationis partem ſuaviorem, & vinum deſeruiſſet, quod Scriptura ipſa teſte, *lætificat Deum & homines*.

Prodigium ſed enim hominis, non hominem faciunt; qui Melchiſedek revera fuiſſe putant, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque vitæ finem habentem: eo ſolo, quod Moſes nullibi meminerit, vel parentum, vel liberorum, vel natalium, vel mortis Melchicedeci. Non illi reputant, quod ſubtiliter admodum animadvertit doctiſſimus, & acutiſſimi ingenii Theologus, Ioannes Camero. Myſtice hæc prætermiſſa fuiſſe à Moſe, & myſtice notata ab Apoſtolo; ut ſignificaretur, Melchiſedeci ſacerdotium fuiſſe æternum, ad ſimilitudinem ſacerdotii Chriſti: non temporale ad inſtar legalis & Moſaici: quod patribus ortum Sacerdotibus, liberos genuit Sacerdotes: & à Moſe inceptum, Chriſto deſiit. Melchiſedeci autem Sacerdotium, neque à patribus derivatum Sacerdotibus, neque in filios deductum Sacerdotes: at neque principium cognitum habuiſſe, neque finem cognitam habiturum. Hæc vero ſic intelligi debuiſſe ratio & fides ſuadent: ne ſilentii myſterium naturæ evertat ordinem: ſecundum quem Melchiſedek, patre & matre naturaliter genitus, gignere potuit naturaliter li-

liberos: nec non ortum & interitum naturaliter & revera habere debuit. At, inquiunt, hæc non ſcripſit Geneſis ita ſe habuiſſe. Ergo non ſunt. Verum è contra aio ego. Hæc eadem non ſcripſit Geneſis vera non fuiſſe: hæc eadem Geneſi non adverſantur: hæc eadem ratione & fidei congruunt: hæc eadem Geneſim produnt myſteria ſcripſiſſe, non monſtra. Hæc eadem ergo ita ſunt, quia ita intelligenda ſunt.

Eadem prorſus oſcitatione creditur, nullos homines extitiſſe ante Adamum, quia nullus prior legitur apud Moſem. Neque advertitur, inſtitutum Moſis fuiſſe in Adamo deſcribendo, memoraviſſe, non auctorem generis humani, ſed primum Iudæorum patrem: quorum ſcilicet peculiarem, non gentium omnium, ſcripturus eſſet hiſtoriam. Incipit certe apud Moſem Iudæum, atque apud Ioſephum Iudæum, & rerum Iudaicarum ſcriptorem, Iudæorum origo ab Adamo. Poſtquam nimirum enarravit Moſes idem, ab initio Geneſeos, hominum & gentilium omnium originem, ab ipſa Mundi origine. Atque adeo gentiles origine & ſtirpe diſtantes ab origine & ſtirpe Iudæorum conſtituit. Gentiles, inquam, creationis divinæ fœturas, à principio: Iudæos autem, formationis divinæ filios, in Adamo.

CAPVT III.

Erratur, quoties generalius accipitur quod ſpecialius debuit intelligi. Tenebræ in morte Domini, factæ fuerunt ſuper totam terram Iudæorum: non ſuper univerſum terrarum orbem. Stella quæ apparuit Magis, facula fuit in aëre; non ſtella in cælo.

PEccatur non raro in lectione ſacrorum codicum, quoties generalius accipitur, quod ſpecia-

cialius debuit intelligi. Quale eſt de Adamo, quem Moſes primum Iudæorum patrem fecit: quemque καθ' ὑπερβολὴν, primum omnium hominum parentem vulgo ſtatuimus.

Ejuſdem abollæ eſt, quod creditur de tenebris illis, quæ factæ fuerunt in morte Domini. Illas enim Theologorum turba fuiſſe putat per totum terrarum orbem diffuſas: eo quod Euangeliſtæ tres uno ore conſentiant, factas fuiſſe ſuper omnem, & *univerſam terram*: ἐπὶ πᾶσαν, vel ὅλην τὴν γῆν. Quod meliores tamen notæ interpretes vertere, *ſuper univerſam terram Iudæorum*. More Hebræorum, inquiunt, qui nomine Terræ, Palæſtinam intelligunt. Neque vero ſine myſterio miraculum. Tempus enim fuerat, quo, jubente Moſe, nox atra univerſæ Ægyptiorum terræ incubuerat: ubicunque autem filii Iſrael habitarent, lux eſſet. Dies venerat, qua, moriente Chriſto, lux Euangelii oriretur gentilibus: tenebris vero incredulitatis Iudæorum terra, & Iudæi ipſi obducerentur.

Accedat huc ſtella illa, quæ Magis apparuit in nativitate Domini; quamque, vulgare & tralatitium eſt, cœlo inter alias poſuiſſe. Quod nuſquam fuiſſe, & nuſquam fieri potuiſſe, vincitur his argumentis. Vidiſſent nempe illam in cœlo ceteri homines præter Magos. Vidiſſet illam inter primos Herodes, turbatus hoc nuntio; quem ſcilicet expreſſius phænomenon hoc petere videbatur. Atqui, neque viderat, neque videbat illam Herodes. *Clam enim vocatis Magis*, ait Euangeliſta, *exquiſivit ab eis quo tempore ſtella apparuiſſet*. Patet ergo, ſtellam illam neque fuiſſe in cœlo, neque in conſpectu omnium poſitam, ut vulgo exiſtimatur. Sed τοῦτον ἀστέρα, ignem illum, particulariter tantum Magis illuxiſſe, quo duce

Bethlemam devenirent; quemque præeuntem Magi ſequerentur, ſtellæ, ſive facis ad inſtar; ut adoratum irent Regem Iudæorum: neque Herodi, neque ceteris apparuiſſe. Talis fuerat exercitus ille igneus, ad auxilium Eliſæi, de cœlo miſſus; quem videbat Propheta, neque videbat juxta Prophetam miniſter ejus. Simile, quamvis diſſimili ſpecie, miraculum. Non enim videbat unus homo innumeros ignes quos videbat Eliſæus. Videbant Magi tres ſtellam unam, quam non videbant innumeri homines.

Probatur vero, ſtellam illam non fuiſſe in cœlo poſitam, ex Euangelio ipſo, his verbis. *Ecce ſtella præibat iis, donec venit, ſtetitque ſuper locum in quo erat puerulus.* At ſi ſtella illa fuiſſet in cœlo poſita, qua ratione potuiſſet ſtare ſuper locum illum in quo erat puerulus? Qua ratione item potuiſſent Magi deducere perpendicularem lineam, à puncto ſtellæ illius, ad locum in quo erat puerulus, quem perpendicularis illa diſtincte notaviſſet, ut ſcriptum eſt? Potuiſſent certe Magi illi exquiſitiſſima inſpectione decernere, cui regioni terrarum reſpondiſſet cœli plaga, in qua ſtella illa ſita eſſet. Sed loculum illum, præſepe ipſum in quo jacebat puerulus, inſpectione vel ratione ulla, deprehendere; non erat ſolertiæ Magorum, non ſagacitatis humani ingenii. Conſtat ergo, ſtellam illam, ſive igniculum, ſive faculam illam vocitem; ſicut ſcriptum eſt Apocalypſeos 8, *Cecidit è cœlo ſtella ardens ſicut lampas*; conſtat, inquam, ſtellam illam Magis prælucentem miſſam fuiſſe de cœlo, ad particularem tantum Magorum uſum: qua præeunte Magi ambularent: qua ſtante ſupra locum in quo erat puerulus, ſtarent & ipſi; ut inventum adorarent quem quærebant Ieſum Chriſtum.

Quodſi

Quodſi licet ſtellæ illi parvæ, majus lumen componere: Talis erat nubes illa ad ſpeciem columnæ, die albicantis, & nocte ignicantis, quæ præibat Hebræo populo in deſerto: quamque nullus aſſeruerit, Phænomenon fuiſſe toti hemiſpærio conſpicuum. Particulariter enim caſtris Iudæorum incubabat: particulariter Tabernaculum ſanctum operiebat: ad motum particularem nubis illius proficiſcebantur; ſtante illa, ſtabant Iſraelitæ. Quale de Magis, & de ſtella ſua credendum eſt.

Tum, ſi ſtella illa, cœlo inter ceteras fuiſſet affixa, præiiſſet ut Magis, ita & ceteris hominibus facientibus iter ab oriente in occidentem. Quod non ſcriptum eſt: imo tantum, *præiſſe Magis*. Cucurriſſet porro illa ad numeros & curſus aliarum ſtellarum, quæ ferebantur juxta Tropicum, ab ortu ad occaſum: At, quis potuiſſet ſequi tanta celeritate præeuntem? Si demum, ſtella hæc fuiſſet in conſpectu hominum omnium poſita, meminiſſent ejus hiſtorici celeberrimi, qui memoranda ſeculi & temporis illius notaverunt: quod nullus tamen fecit.

Evictum ergo abunde eſt; allucinari, non omnes & prudentiores Interpretes; ſed eos qui putant ſtellam illam apparuiſſe omnibus hominibus in cœlo: quæ revera illuxerit Magis tantum: tribus, ut fides eſt, hominibus. Allucinati, inquam, eo quod generaliter acceperint ſtellam in cœlo; quæ ſpecialiter debuit intelligi de lampade vel facula ardente, quæ Magis ſolis apparuit.

CAPUT IV.

In miraculo Ezechiæ ægrotantis, non retroceſſit Sol in cœlo, ſed in horologio Achas.

VVlgata minus, & paulo majora ſunt, quæ dicam de miraculo quod fecit Deus, in ſanando Rege Ezechia ægroto: quale extat apud Reges, libro 2, capite 20. *Signum daturus Iſaias Propheta, à Domino, Regi Ezechiæ ægrotanti, ſanatum eum iri, & aſcenſurum die tertia templum Domini; invocavit Dominum. Et reduxit Dominus umbram per lineas, quibus jam deſcenderat in horologio Achas, retrorſum decem gradibus.* Quod ſcriptum eſt apud Iſaiam, capite 38, his verbis. *Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas deſcenderat in horologio Achas, in Sole. Et reverſus eſt Sol decem lineis, per gradus quos deſcenderat.*

Vulgo receptum eſt; miraculo hoc, Solem retroceſſiſſe in cœlo. Ponitur ſcilicet in Sole, & cœlo miraculum, quod fuit in horologio Achas. At quia reducta fuit umbra retrorſum in horologio, oportuit Solem retroceſſiſſe in cœlo? nec potuit Deus facere miraculum in horologio Achas, quin violenta commotione cœlum totum averterit, & retroabierit generaliſſimus ordo rerum? Hoc eſt ſane, ludere bonam mentem ludo illo, quo aliquis poſtularet focum & caminum removeri, qui ſe igni propius admoviſſet. Recedat ipſe ne amburatur: ſtabit autem focus ſuo loco, nec fatiſcet domus propter amotum caminum. Ponatur miraculum in horologio ipſo, in horologio Achas, ut vult Scriptura; ſtabit miraculum ſuo loco: ſtabit natura ſuo ordine, nec faſcinabitur intellectus præ-

ſtigiis,

ſtigiis inanibus. Qualis enim eſt, Deus bone! larva hæc, quæ plures & celebres luſit homines imaginibus uſque adeo vanis, ut putaverint, ex hac lectione intelligendum, Solem ipſum retroceſſiſſe?

Si retroceſſit Sol, vel retroceſſit ſolus in Zodiaco: vel immoto gradu illo Eccliptica, quem die illo peragebat, retroiit primum mobile, & cum primo mobili, verſæ itidem fuere retro Sphæræ inferiores omnes; inter quas Sol etiam verſus retro abierit. Alterutrum ponere, incidere eſt in abſurdiſſima. Si ponimus Solem retroceſſiſſe ſolum in Zodiaco, & dextante Zodiaci; eadem proportione, qua retroiiſſe dicitur dextante horologii, in horologio Achas: oportuit Solem plura ſigniferi Zodia, quæ anno eodem emenſus fuerat, remenſum; præteritos menſes, imo & tempeſtates anni elapſas, horæ momento reduxiſſe. Quod monſtrum confuſionis & abſurditatis eſſet horrendum. Quam vero abiere ipſi retrorſum, non dicam à vero, ſed à tota veri conjectura, qui retro abiiſſe volunt cœlos omnes, ut retrocederet umbra in horologiolo? Illud ſane interturbare fuit naturam univerſam: inconciliare rerum ordinem & ſeriem: conturbare ortus & interitus ſyderum: evertere Ephemeridas, & tabulas Aſtronomicas: & confundere Aſtronomiam totam. At, quis unquam turbarum tantarum, quis inverſionis, quis confuſionis hujus meminit? quis tale unquam rerum omnium, ut ita dicam, petaurum notavit? Extat enim rerum geſtarum memoria apud gentiles, tempore Ezechiæ.

Ad quid porro cenſendum eſt majus miraculum in morbo Ezechiæ, quam fuit in morte Chriſti? Tenebræ factæ fuerint per regionem

tantum Hieroſolymitanam, in morte Domini; Sol plus ſolito illuxerit toti Mundo in morbo Ezechiæ! Chriſtus moriebatur; Ezechias ægrotabat tantum! Chriſtus moriendo peragebat redemptionem totius Mundi; Ezechias ægrotabat, ſibi, & ſuo populo! Quam male ſe habent quæ ſic comparantur! Ponatur vero miraculum, ut debet, in horologio Achas, non in cœlo: quadrabunt apprime omnia cum horologio illo. Comparatur enim recte, vita hominis, umbræ: imo umbræ horologii. Vltima periodus vitæ, & horologii, vocatur hora ultima. Comparatur rurſus appoſite vita Regis, horologio regio. Retroceſſit umbra quæ cadebat in horologio quod fecerat Achas: Retroceſſit vita quæ cadebat in Ezechia quem genuerat Achas. Neque ullum potuit convenientius augurium dari de ſanitate Ezechiæ, miraculo hoc. Quod eapropter ſignum peculiare datum fuerat Ezechiæ: juxta illud Paralipomenon 2, capite 32. *Ægrotavit Ezechias uſque ad mortem: Et dedit ei Deus ſignum.* Dedit ei, non omnibus. Accidit autem ſignum hoc ſuper terram Iudaicam, non ſuper alias terras. Quod notandum eſt, & vincitur per eundem locum Paralipomenon, ubi legitur: Miſſos fuiſſe principes Babylonios Legatos: *Qui interrogarent de portento quod acciderat ſuper terram.* Non in cœlo, quod nota, ſed ſuper terram. Terram vero intellige illam, Iudaicam. Nil enim tale Babylone acciderat. Neque neceſſe fuiſſet Babyloniis, interrogare Judæos de portento, ſi vel Babylone accidiſſet, vel ſi Sol in cœlo retroceſſiſſet. Vidiſſent quippe illud & ipſi portentum.

Reducendum ergo eſt miraculum ad horologium Achas. Imo illud ipſum evidentiſſime voluit,

voluit, & expreſſim ſignificavit, Scriptura ſacra, utroque loco, Regum & Iſaiæ: ſi verba utriuſque loci, rite ut par eſt trutinentur. Verba Regum ſunt. *Reduxit Dominus umbram, per lineas quibus jam deſcenderat in horologio Achas, retrorſum decem gradibus.* Nota hic, ſignari expreſſim miraculum, *in horologio Achas*. Verba Iſaiæ ſunt. *Et reverſus eſt Sol decem lineis, per gradus quos deſcenderat.* His locis, *reductio umbræ*, & *reverſio Solis*, idem ſunt: quia non potuit reduci umbra, quin Sol reverſus ſit: neque viciſſim reverti Sol, quin umbra reducta fuerit. Et hoc eſt quod dixerat Iſaias verbis proxime antecedentibus. *Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas deſcenderat in horologio Achas, in Sole:* vel cum Sole. quod idem eſt. Sol, ibi ſumitur, non pro Sole ipſo; ſed pro lumine quod effundit in ſuperficia quæ feritur. Quale effunditur in horologia omnia: & quale effuſum fuiſſe in horologium Achas credendum eſt. Lineæ porro illæ, quarum meminere his locis, tum Reges, tum Iſaias; deſcriptæ erant ſuper area horologii, ab umbra ſtyli, qui ſecundum artem, ex area ipſa horologii excitabatur. Linearum vero illarum præcipuæ notatæ erant duodecim; quæ totidem horologii, ſive gradus, ſive horas indicarent: cum interim umbra ſtyli, percurrendo aream totam horologii, innumeras deſcriberet alias lineas, quibus minutiſſima & ipſa horarum, ſive graduum, momenta ſignarentur. Promiſcue ſed enim vocantur lineæ illæ his locis, *Vmbra*, & *Sol*: quia revera deſcribuntur, & componuntur in horologiis omnibus, ex umbra, & Sole: ſalvis Geometrarum principiis, qui definiunt ſuas lineas, puras; non compoſitas longitudines. Neque illas utique lineas, præciſe

umbram, nec præciſe Solem; ſed verius, extremitates & diſtinctiones individuas Solis & umbræ, nominaverim. In illis enim; ultima pars Solis, prima eſt umbræ; nec non, ultima pars umbræ, prima eſt Solis. At, quis unquam Mathematicus tales ſibi finxit lineas in cœlo; ſi verba Regum & Iſaiæ ſumantur his locis, pro Sole ipſo, non autem pro lumine quod effundebat in horologium Achas?

Adverte autem, Iſaiam vocaviſſe promiſcue, umbram & ſolem; quod Reges ſimpliciter & ſemper eo loci, *umbram*, nuſquam vero *Solem*, appellavere. *Vis ut aſcendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias. Facile eſt umbram creſcere decem lineis: nec hoc volo ut fiat; ſed ut revertatur retrorſum decem lineis. Invocavit itaque Iſaias Propheta Dominum; & reduxit umbram per lineas, quibus jam deſcenderat in horologio Achas, retrorſum decem gradibus.* Verſabatur, ut videre eſt, totum miraculi hujus negotium, in area horologii Achas. Facile autem factu, dicebat Ezechias, ſi creſceret umbra horologii. Non quod revera facile foret, umbram creſcere horæ momento decem gradibus, qui non niſi decem horis exactis confici poterant. Sed quia facilius apparebat, umbram currere, quam recurrere, in horologio; petiit, quod minus facile, & miraculum majus videbatur; ut reverteretur retrorſum decem lineis. Miraculi certe hujus, vis tota erat in horologio Achas: ſecundum mentem ipſam Ezechiæ ægrotantis, & Iſaiæ precantis. Petierat enim Iſaias. *Vis ut aſcendat umbra, an ut revertatur? Revertatur*, inquit Ezechias. *Et reducta eſt umbra in horologio Achas.* Non agebatur hic ſecundum mentem Ezechiæ, &

preces

preces Iſaiæ, de reverſione Solis in cœlo, ſed de reverſione umbræ in horologio. Factumque revera eſt miraculum, volente rege, & precante Propheta, non in cœlo, ſed in horologio. Neque vero retro verſa fuiſſet miraculo umbra in horologio, ſi retro verſus fuiſſet Sol in cœlo. Sequitur enim umbra in horologio motum Solis in cœlo; natura, non miraculo.

Adeo quinetiam certum eſt; ſplendorem Solis qui feriebat horologium Achas, ſumi debuiſſe pro Sole ipſo: ut Strato Sydonius, Rex ſalutatus & renuntiatus ſine controverſia fuerit; qui fulgorem Solis, non Solem ipſum, primus Sydoniorum, ſummo civitatis faſtigio, orientem contra, oſtendiſſet, *& Solis ortum in occidente inveniſſet.* Expectantibus fruſtra aliis, orientem verſus, ut Solem ipſum aſpicerent. Quod ex Trogo Pompeio, Iuſtinus retulit, lib. 18.

Militant ergo recta ratio, & probata auctoritas, cum his locis, & verbis ſacris; ut intelligatur miraculum hoc de horologio tantum Achas. In quo, currente Sole, ut ſolet; ſtante horologio ſuo ſitu; & immoto horologii ſtylo: contra ordinem, & naturalem effectum Solis & umbræ; miraculo, & modo hominibus incognito, umbra reducta fuerit retrorſum decem gradibus. Decipi illos qui putant, cœlum, & Solem, retroceſſiſſe. Decipi, inquam; eo quod miraculum hoc univerſale in cœlo, & ſole, poſuerint; quod particulare fuit, & ſpecialiter de horologio Achas intelligi debuit.

CA-

umbram, nec præciſe Solem; ſed verius, extremitates & diſtinctiones individuas Solis & umbræ, nominaverim. In illis enim; ultima pars Solis, prima eſt umbræ; nec non, ultima pars umbræ, prima eſt Solis. At, quis unquam Mathematicus tales ſibi finxit lineas in cœlo; ſi verba Regum & Iſaiæ ſumantur his locis, pro Sole ipſo, non autem pro lumine quod effundebat in horologium Achas?

Adverte autem, Iſaiam vocaviſſe promiſcue, umbram & ſolem; quod Reges ſimpliciter & ſemper eo loci, *umbram*, nuſquam vero *Solem*, appellavere. *Vis ut aſcendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias. Facile eſt umbram creſcere decem lineis: nec hoc volo ut fiat; ſed ut revertatur retrorſum decem lineis. Invocavit itaque Iſaias Propheta Dominum; & reduxit umbram per lineas, quibus jam deſcenderat in horologio Achas, retrorſum decem gradibus.* Verſabatur, ut videre eſt, totum miraculi hujus negotium, in area horologii Achas. Facile autem factu, dicebat Ezechias, ſi creſceret umbra horologii. Non quod revera facile foret, umbram creſcere horæ momento decem gradibus, qui non niſi decem horis exactis confici poterant. Sed quia facilius apparebat, umbram currere, quam recurrere, in horologio; petiit, quod minus facile, & miraculum majus videbatur; ut reverteretur retrorſum decem lineis. Miraculi certe hujus, vis tota erat in horologio Achas: ſecundum mentem ipſam Ezechiæ ægrotantis, & Iſaiæ precantis. Petierat enim Iſaias. *Vis ut aſcendat umbra, an ut revertatur? Revertatur*, inquit Ezechias. *Et reducta eſt umbra in horologio Achas.* Non agebatur hic ſecundum mentem Ezechiæ, & preces

preces Iſaiæ, de reverſione Solis in cœlo, ſed de reverſione umbræ in horologio. Factumque revera eſt miraculum, volente rege, & precante Propheta, non in cœlo, ſed in horologio. Neque vero retro verſa fuiſſet miraculo umbra in horologio, ſi retro verſus fuiſſet Sol in cœlo. Sequitur enim umbra in horologio motum Solis in cœlo; natura, non miraculo.

Adeo quinetiam certum eſt; ſplendorem Solis qui feriebat horologium Achas, ſumi debuiſſe pro Sole ipſo: ut Strato Sydonius, Rex ſalutatus & renuntiatus ſine controverſia fuerit; qui fulgorem Solis, non Solem ipſum, primus Sydoniorum, ſummo civitatis faſtigio, orientem contra, oſtendiſſet, *& Solis ortum in occidente inveniſſet*. Expectantibus fruſtra aliis, orientem verſus, ut Solem ipſum aſpicerent. Quod ex Trogo Pompeio, Iuſtinus retulit, lib. 18.

Militant ergo recta ratio, & probata auctoritas, cum his locis, & verbis ſacris; ut intelligatur miraculum hoc de horologio tantum Achas. In quo, currente Sole, ut ſolet; ſtante horologio ſuo ſitu; & immoto horologii ſtylo: contra ordinem, & naturalem effectum Solis & umbræ; miraculo, & modo hominibus incognito, umbra reducta fuerit retrorſum decem gradibus. Decipi illos qui putant, cœlum, & Solem, retroceſſiſſe. Decipi, inquam; eo quod miraculum hoc univerſale in cœlo, & ſole, poſuerint; quod particulare fuit, & ſpecialiter de horologio Achas intelligi debuit.

CAPUT V.

Qua ratione in miraculo Ioſuæ, Sol ſteterit in Gabaon. Longa dies illa non debuit extendi extra regionem Gabaonitidem.

EXperiamur, numquid tale intelligi debeat de miraculo Ioſuæ: *In cujus iracundia Sol impeditus eſt.* Eccleſiaſtici cap. 40. Nec non, *ſtetit, & voci hominis paruit.* Ioſuæ 10. Conturbaverat Deus Amorrhæos à facie Iſrael: qui fuſi ab excelſis Gabaon, in declivia Bethoron, effugium quærebant in vallibus. Decreverat autem delere illos Ioſue ad internecionem. Quos ne ferro & ultioni ejus nox ſubtraheret: dixit ille in conſpectu filiorum Iſrael. *Sol, contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon. Steteruntque Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* Et ibidem. *Stetit itaque Sol in medio cæli. Et non feſtinavit occumbere, ſpatio unius diei.*

Nemo eſt quin primo intuitu hæc legens, aſſeveret ſolem ipſum ſtetiſſe in cœlo. Verum, ſi quis attentius vim miraculi expendat, & miraculum ipſum intra fines ſuos contineat; facile deprehendet, lumen & fulgorem ſolis, non ſolem ipſum hoc loco intelligendum eſſe: ſicut in miraculo Ezechiæ demonſtratum eſt. Auctoritatem & confidentiam conjecturæ adjicit, quod ſcriptum eſt. *Solem ſtetiſſe in medio cæli.* Sol enim occiduus cœlo præcipitabat, quando illum Ioſue ſtare juſſit. Neque Sol ſtare tunc poterat in medio cœli in quo non erat. Diſtat enim occaſus, toto cœli quadrante, à medio cœli. Accipiendum ergo ita eſt miraculum hoc: ut cum Sol ipſe revera occumberet; neque ceſſaret interea cœleſtis

leſtis & naturalis rerum ordo: fulgor Solis, ſine Sole ipſo, & miraculo maximo, ſupereſſet in Atmoſphæra, vel regione vaporum illa, quæ civitati Gabaonicæ, cœli & aëris medio, incubabat: Solis vero fulgor, civitatem Gabaonicam, & montem Gabaon verberaret: ita ut reverberati ex fulgore illo radii, jacentes undequaque convalles illuſtrarent, at enim fuſi & fugati Amorrhæi imminentem illis Ioſue effugere non poſſent: quæ miraculi cauſa erat.

Incidi in hanc cogitationem, cum in valle amœniſſima, mediis Cadurcorum montibus, olim degerem: Vnde cœli ſpatium breve patens, Solem conſpicuum, per diei horas circiter ſex, menſibus æſtivis, in valle eadem admitteret. At vero interea Sol,qui mihi temporius occiderat, per hiatus & intervalla montium, excelſum & oppoſitum valli montem feriebat: quo fulgore vallis tota accendebatur; donec Sol ſub horizontem ipſum cecidiſſet. Videbam ergo in monte oppoſito ſolem ſine ſole, per plures horas: quod mihi inſtar miraculi erat. Toties autem ſubibat miraculi Ioſuæ recordatio. Potuiſſe nempe Deum retinere ſplendorem ſolis, ſine ſole, in Gabaon: miraculo majore, quo videre mihi datum erat ſolem, ſine ſole,in monte mihi oppoſito.

Quantum vero meum erat ratiocinium, evaſiſſe ad conjecturam mihi videbar: quia ſcriptum erat, *Sol contra Gabaon, ne movearis*. Sol enim occiduus, oppoſitum montem Gabaon, ut conjicere eſt, illuminabat; neque omnes proinde horizontis plagas: quas haud dubie conſpexiſſet, ſi vere ſol in medio cœli ſtetiſſet. Retinuit ergo Deus in monte Gabaon,non in locis omnibus horizontis, miraculo memorando, ful-

fulgorem eundem, quo Sol occiduus in monte illo, & locis adjacentibus, rutilabat. Sive illud ſatius fuerit crediſſe, ratione Atmoſphæræ, & refractionum quæ in illa fiunt: ſolis occidui ſpeciem, ſuper horizontem apparuiſſe, poſtquam ſol occidiſſet. Argumento eodem; quo Hollandi in nova Zembla, poſt noctem continuam duorum menſium & ſemiſſis, ſolem recuperaviſſe memorant, aliquot diebus maturius, quam merito illum expectarent. Quia nimirum Atmoſphæra, ſolis ſpeciem, ante ſolem ipſum, evexiſſet. Atque illis propterea, ſolis ſpecies aliquot diebus, pro ſole ipſo illuxiſſet. Quod retulit & ſignate animadvertit Vir ſummus, PETRUS GASSENDUS, & fama ſuper orbem Philoſophicum notiſſimus, libro 1, capite 19, Inſtitutionis ſuæ Aſtronomicæ.

Scriptum eſt porro in Ioſue. *Et non feſtinavit Sol occumbere, ſpatio unius diei.* Quod explicatur Eccleſiaſtici capite 46. *Et una dies facta eſt quaſi duo.* Spatium ergo unius diei, quod notavit Ioſue, non integrum, ſed quaſi integrum, intelligendum eſt. Evanuit ſcilicet paulatim fulgor Solaris ille, qui in monte Gabaon rutilabat: Et ſplendor Lunari ſimilis, in valle Ajalon, Solari ſucceſſit; donec inimicos ſuos omnes ultioni mactaviſſent Iſraelitæ. Quo ſenſu capienda ſunt Ioſuæ illa. *Luna contra vallem Ajalon ne movearis.*

Additur loco eodem Ioſuæ. *Non fuit antea, nec poſtea erit, tam longa dies.* Et vere. Dies enim illa una, facta eſt quaſi duo. Brevis erit mora, neque non moræ pretium erit; ſi hoc loco narravero certamen magnum quod erat Mathematicus egregius, cum Theologo minorum proſeucharum. Demonſtrabat Mathematicus, dies

dies dari plurium dierum, ſecundum Sphæræ obliquitatem: imo ſex menſium perpetuum, ſub parallela degentibus: Excanduit ad hæc verba Theologus: impium clamitans, & lamina candente qua hæretici uſtulantur, expiandum; aſſerere, potuiſſe dari majores dies, die illa quæ fuit in miraculo Ioſuæ, quæque una facta fuit quaſi duo. Præſertim, cum diſerte ſcriptum eſſet. *Non fuit antea, nec erit poſtea tam longa dies.* Quo nihil expreſſius, nihil clarius apparebat. Manifeſtas autem mendacii teneremus, aiebat ille, Scripturas ſacras (cogitatu nefas, & horrendum) ſi vera eſſent quæ demonſtraret Mathematicus. Ac proinde optime caviſſe Imperatores, qui Mathematicos cœlo Chriſtiano interdixiſſent. Ne ſævi, parve Sacerdos; reſpondit Theologo Mathematicus. *Fallit te incautum pietas tua.* Nam & verbum Dei verum eſt: & ratio Matheſeos vera eſt. Verum eſt, neque fuiſſe antea, neque futuram poſtea tam longam diem, in regione Gabaonitide; qualis fuit præcipiente miraculum Ioſue. Sed non extende miraculum illud, & longitudinem diei illam, extra Gabaonem, ad regiones alias. Verum enim eſt, neque illo verius dari poteſt: in regionibus polaribus, longiores multo fuiſſe & futuras dies, die illa, qua jubente Ioſue, Sol non feſtinavit occumbere ſubter Gabaonem, ſpatio unius diei, quæque una dies facta eſt tantum quaſi duo. Dantur enim manifeſtiſſime ſub polo habitantibus, dies, non quaſi duarum dierum; ſed revera, centum octuaginta duo dierum, & ultra. Quod argumentis ineluctabilibus evincebat Mathematicus. Victus vero fruſtra contendebat Theologus. Sed & unde digreſſa eſt, illuc revertatur oratio; Ponendum reapſe eſt miraculum

culum Solis retenti à Ioſue non in cœlo, ſed in terra. Neque vero in terris omnibus: ſed in regione ſola Gabaonitide. In qua, neque fuit antea, neque erit poſtea, tam longa dies. Vltra enim, citraque, nequiret illud aſſeri.

Non deerunt malignæ opinationis homines: qui vel me ſuſpicione impleant, de miraculorum fide male ſentientis; vel qui me lymphatum prædicent; meamque dicant integram audaciam: quod tam longe lateque à vulgata opinione recedam, fixum ratumque habentium, Solem, dicto Ioſuæ, ſubſtitiſſe in cœlo; ut revera credunt retrorſum abiiſſe in morbo Ezechiæ. Obtrectabunt ſcilicet conjecturis meis; atque illas tanquam male natas infamabunt; quæ nebulas verbis ſacris ſpargere prætendant, ubi tam clare, & ſine ambage loquuntur: Solem, edicente Ioſue, *ſtetiſſe in medio cœli*: nec non Iſaia precante, *reverſum decem lineis*. Nimirum illi ſunt, quibus religioſum & divinum in primis eſt, quicquid non creditur: Et quo magis incredibilia, hoc ſanctiora apud illos reputantur miracula: tum (quod & ipſum monſtrum eſt) quo magis ſuperant fidem, hoc magis fidem illis adhibent. Fateor autem ingenue, me nomen non profiteri meum inter abnormes miraculorum aſſertores, qui rationem omnem denormant. Rationalis ſum, & rationi conveniens nihil à me alienum puto. Miracula illa Ioſuæ & Iſaiæ credo; Deumque in illis maxime veneror. Sed non illa credo, majora veris, & rationi congruis. Continui ergo illa intra limites ſuos. Et ſuſpendat oro mentem ſuam Lector benevolus, in meditatione eorum quæ ſcripſi ſuper his. Scripſi autem, ambitione procul: non ut vulgatos errores triumpharem, ſed ut de illis amore veritatis in-

inquirerem. Et judicent de animadverſionibus meis, quibus rationis & veri benigna vena erit.

CAPUT VI.

Vbi ſit miraculum de non attritis Judæorum veſtimentis in deſerto: Et de calceamentis eorum vetuſtate non conſumptis.

Eiuſdem notæ eſt, portentum, non miraculum; quod intelligitur Deuteronomii capite 29. Vbi Moſes miraculum, & beneficium Dei hoc, Iudæis commemorat. *Adduxit vos*, inquit, *Dominus quadraginta annis per deſertum. Non ſunt attrita veſtimenta veſtra, nec calceamenta pedum veſtrorum vetuſtate conſumpta ſunt*. Itur vulgo in hanc ſententiam; Veſtimenta Iſraelitarum non ideo fuiſſe attrita in deſerto: quia Deus virtutem incorruptam pannis indidiſſet, ut nunquam attererentur: nec non latentis incrementi facultatem; ut quas primum induti fuiſſent veſtes Iſraelitarum filii, creſcentibus his, creſcerent illæ. Quod de calceamentis eorum itidem dejerant: Nulla unquam vetuſtate fuiſſe conſumpta: Atque adeo, ubi primum induxiſſent calceos infantibus; creſcentibus infantum pedibus, creviſſe eorum calceos.

Hæc illi opinantur, quia non cogitant, vim miraculi hujus ſitam fuiſſe, non in futilibus illis, & puerorum næniis: ſed in mirabili providentia, qua Iſraelitas Deus adduxerat, quadraginta annis, per deſerta omnium egena; quibus tamen omnium copia tanta ſuppetiiſſet, ut nulla eis materia defuiſſet, qua veſtibus & calceis induerentur. Non attritas fuiſſe eorum veſtes, quia mutatorias habuiſſent quamplures: nec calceamenta

menta pedum ſuorum vetuſtate conſumpta, quia vetera & laxa novis mutaviſſent. Mille illos pecudum greges paviſſe in deſerto: quorum lanis pannos texuiſſent, & veſtimenta ſarciſſent: tum pellibus eorum, & coriis, calceamenta conſuiſſent. Neque illis præterea, vel textores, vel ſartores, vel coriarii, vel ſutores, defuiſſent.

Addidit Deus Iſraelitis eo loci. *Panem non comediſtis. Vinum & ſiceram non bibiſtis in deſerto, ut ſciretis quia ego ſum Dominus Deus veſter.* Pluerat Iſraelitis manna de cœlo: fluxerat eis aqua de ſaxo: utrumque miraculo Dei, ut manna & aquam, vice panis, vini, & ſiceræ, ederent & biberent. Miraculo etiam Dei factum fuerat; ut & greges eorum inveniſſent, quo paſcerentur, & biberent in deſerto ſterili & ſicco. Nimirum, ut quibus eſus & potus ſatias fuiſſet; veſtium utique & calceorum copia redundaviſſet; & nihil Deus illis, in ſolitudine arenoſa & inferctili, per quadraginta annos deſieri paſſus eſſet.

Vim igitur totam miraculi hujus poſuit Moſes; ut oſtenderet, nihil defuiſſe Iudæis in deſerto per quadraginta annos: Quod variis loquendi figuris, ſed eodem ſemper ſignificatu expreſſit. Explicavit apertius mentem ſuam Deuteronomii capite 2. *Novit Dominus iter tuum, quomodo tranſieris ſolitudinem hanc magnam, per quadraginta annos, habitans tecum Deus. Et nihil tibi defuit.* Quo intellectu accipe Deuteronomii ejuſdem caput 8. *Veſtimentum tuum quo operiebaris, nequaquam vetuſtate defecit: & pes tuus non eſt ſubtritus. En quadrageſimus annus eſt.* Potuit ſcilicet inveteraſcere veſtimentum Iſraelitarum, ſed non deficere vetuſtate: Deo non ſinente, ut deſieret illis veſtimentum novum, quod veteri ſubſtitueretur. Potuit itidem

laxus

laxus eorum calceus hiare; ſed non pes eorum atteri; quia corii illis abunde fuiſſet in deſerto, ut neque laxo, neque pittaciis conſuto calceo attererentur.

Simili modo intellige, quod de Iudæis iiſdem legitur, Iſaiæ 48, *Non ſitiviſſe in deſerto.* Potuerunt ſiquidem Iudæi ſitire in deſerto: ſed aqua eis non defuit, qua ſitim ſuam ſedarent. Imo, quicquid ſonent verba Iſaiæ, ſitiverint neceſſe eſt Iudæi in deſerto: alioqui non bibiſſent in deſerto. Nullus enim niſi ſitiens, aquam potat.

Flumine vicino ſtultus ſitit.

Id eſt, ſitim patitur. Eodem ergo ſenſu dixit Iſaias, non ſitiviſſe Iudæos in deſerto; quo dixerat Moſes, veſtimenta eorum non fuiſſe attrita, neque calceamenta vetuſtate conſumpta: quia enim ſuppeditaverat eis Deus, & quo ſitim explere, & quo veſtes & calceos mutare poſſent. Potuerat revera Deus, quibus pollet miraculis, præſtare illa; neve eſurirent, neve ſitirent Iudæi; neve attererentur eorum veſtes, neve conſumerentur vetuſtate eorum calcei in deſerto. Atque hæc miracula opus fuiſſent, ſi & cibo & potu caruiſſent Iudæi, ſi neque lanis & coriis abundaviſſent. Sed nihil horum illis deficbat. Neque adeo miracula illa opus erant. Imo defectum veſtium & calceorum, quo laboraviſſent Iudæi, manifeſto arguiſſet miraculum; ſi veſtium & calceorum penuria, & virtute miraculi, eaſdem ſemper induti fuiſſent veſtes, quæ non attererentur, & eoſdem ſemper geſtaviſſent calceos, qui non vetuſtate conſumerentur. Copiam è contra, qua ſuperfluebant Iudæi, veſtium & calceorum, indicavit manifeſtiſſime, quod neque veſtes, neque eorum calcei inveteraverunt; quia utroſque creberrime mutaverunt.

Refer

Refer etiam ad providam illam curam Domini, qua ſuppetebant quæ neceſſaria erant Iudæis in deſerto; quod eos per regiones quandoque amœnas, & fertiles circumduxit: à quorum habitatoribus (*Deuteronomii 2, & alibi paſſim*) *cibos emebant pecunia, & comedebant: nec non aquam emptam hauriebant, & bibebant.* Quam nimirum gratiam habuerunt Iſraelitæ Idumæis, & Moabitis. Atque illo rerum uſu prohibente eos Rege Sehon, percuſſerunt eum cum omni populo ſuo, cunctaſque urbes ejus: *Et prædam, & ſpolia urbium ceperunt.* Deuteronom. cap. 2. Deleverunt quin etiam, capite 3, Og, regem Baſan. *Tuleruntque in illo tempore terram de manu duorum Regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem.* Dixiſſet Moſes ipſe, *cis Iordanem*: quod nota. Atqui inter prædam & ſpolia duorum illorum Regum & veſtes & calceos inventos, tum materiæ plus ſatis, qua veſtes & calceos conficerent, quis dubitabit? Eadem conjice de Amalecitis, victis à Iudæis, cap. 17. Exodi, ante legem latam in Sinai. Adjunge his: quod per plures annos circuiverunt Iudæi montem Seir, Idumæis habitatum, à quibus cibos & aquam emerunt; quod dudum demonſtravi: & à quorum urbibus, veſtes & calceos pretio redimere potuerunt.

CAPVT VII.

Diluvium Noacicum non fuiſſe effuſum ſuper univerſum terrarum orbem, ſed ſuper terram Iudæorum. Vt Iudæos perderet, non ut omnes homines obrueret.

EXtremum hoc concedatur diſcuſſiſſe miraculum, de cataclyſmo Noæ: qui terrarum plagas omnes, pluviis undique effuſiſſimis ob-

obruiſſe creditur: quemque Palæſtinam & Iudæorum terram tantum inundaviſſe, veriſimilius multo exiſtimaverim. Conjecturam præcipue movent, cauſæ ipſæ diluvii illius: quas hic ab alto petam.

Demonſtravi ſupra; Iudæos formatos in Adamo, & *filios Dei* peculiariter habitos, ſeparatos fuiſſe ab aliis gentibus, quas Deus in principio creaverat. Gentes vero illas, *Filios hominum*, codicibus ſacris indigitatas, pluribus oſtendi. Separaverat quin etiam Deus Iudæos à gentibus, quo tempore illos collocaverat in terra ſancta & ſua, tanquam in horto concluſo, cujus aditus non pateret gentibus: ad quas utique gentes nefas eſſet Iudæis accedere. Iudæos ergo vetuerat Deus mixturam ullam facere cum gentibus. Maxime vero averſatus erat, filios ſuos matrimonio contaminari cum filiabus hominum. Contra Dei vetitum, admiſerant Iudæi ad terram ſuam gentiles homines: *Qui cum cæpiſſent multiplicari*, ait Geneſis, *ſuper terram*, (intellige Palæſtinam) *& filias procreaviſſent; videntes filii Dei, filias hominum, quod eſſent pulchræ*: vel quod idem eſt: videntes filii Adam, qui deinceps Iudæi dicti ſunt, filias gentilium eſſe pulchras; *acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant*. Concubitu porro illo prognati ſunt Gigantes. Etenim cum vegetes & fortes Iudæi, à recenti formatione, qua Deus optime habitos compegerat; *ingreſſi eſſent ad filias hominum*: ratione illa qua fortes creantur fortibus; & divinum humano commiſtum, heroas generat: creavere filii Dei, filiabus hominum commiſti, Gigantes; id eſt, heroas, & viros fortes: quales explicantur loco eodem, per *potentes* & *viros famæ ſeculo ſuo illuſtres*.

Iratum vero Deum propter Iudæorum nefas, pœnituit feciſſe hominem, & terram perdepſuiſſe qua Adamum formaverat: unde Iudæi nati eſſent, lutulentum & corruptum hominum genus: *quorum cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum*, *omni tempore*, ait Geneſis. *Omni tempore*; id eſt, à prima ſui origine: tum in Adamo, primo eorum patre, qui Dei pactum tranſgreſſus erat: tum in ſe ipſis, qui fœdus utique divinum ruperant.

Delebo, adjecit Deus eo loci, *hominem quem creavi, à facie terræ: ab homine uſque ad animantia: à reptili uſque ad volucres cœli. Pœnitet enim me feciſſe eos.* Adverte hic, terræ nomine, Palæſtinam intelligi: more Hebræorum, qui nomine terræ ſimpliciter dictæ, Palæſtinam intelligunt. Quale ſupra adnotavi, de tenebris in morte Domini factis. Hominem igitur quem creaverat, decernit Deus delere à facie terræ illius. Per *hominem quem creaverat*, intellige Iudæos Adami filios: Adami inquam illius, quem Deus creaverat; id eſt formaverat. Idem enim eſt hoc loci creaverat, quod, formaverat. Per *animantia* vero gentiles etiam intellige, Iudæis permiſtos, & peccati Iudæorum cauſas: ſecundum illa quæ fuſius ſupra enarrata ſunt; ubi demonſtravi, Iudæos, *homines* ſimpliciter dici, qua gentilibus comparantur; gentiles è contra, Iudæis hominibus collatos, *animantes* dictos, & *populum non populum* habitos, apud auctores ſacros. Certe, neque homines tantum, Iudæos & gentiles, delere decrevit Deus: ſed quæ ejus fuit ira qua excanduit, hominibus omnibus terræ illius delendis animantia revera ipſa omnia terræ ejuſdem, à reptili uſque ad volucre, addere voluit. Noë Iudæo excepto, qui

Ar-

Arcam mandato Dei texuit; qua ſalvus ab aquis evaderet.

Rupti ergo *ſunt omnes fontes abyſſi magnæ*, inquit Geneſis; *& cataractæ cœli apertæ ſunt, & facta eſt pluvia ſuper terram, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Factumque eſt diluvium ſuper terram: & multiplicatæ ſunt aquæ: & elevaverunt Arcam in ſublime à terra: vehementer enim inundaverunt; & omnia repleverunt in ſuperficie terræ. Et aquæ prævaluerunt nimis ſuper terram. Opertique ſunt omnes montes excelſi, ſub univerſo cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes quos operuerat. Conſumptaque eſt omnis caro, quæ movebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniumque reptilium quæ reptant ſuper terram. Vniverſi homines, & cuncta in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra, mortua ſunt. Et delevit omnem ſubſtantiam quæ erat ſuper terram, ab homine uſque ad pecus, tam reptilia, quam volucres cœli; & deleta ſunt de terra. Remanſit autem ſolus Noë, & qui cum eo erant in Arca.* Quæ omnia oratione prophetica, & dicendi genere entheo, exaggeravit Geneſis; ut ſignificaret, homines & beſtias omnes terræ Iudaicæ periiſſe diluvio illo, quo Palæſtina tota immerſa eſt. Quæque, ſi ad verba ſola ſpectes, ſonare videntur; Terras omnes, qua Sol utrumque reſpicit hemiſphærium, cataclyſmo illò fuiſſe involutas.

Neque vero me movet quod ſcriptum eſt; *Ruptos fuiſſe omnes fontes Abyſſi magnæ; & Cataractas cœli apertas.* Abyſſus enim magna illa, mare ipſum Palæſtinorum fuit; à quo fontes Palæſtinæ omnes ſcaturiunt. Quos ruptos hic nobis exhibuit Geneſis; ut repræſentaret, Palæſtinam totam in aquas liquefactam, exſudaviſ-

ſe quicquid humorum habuiſſet in venis. At enimvero, qui mos eſt vim addere hyperbolice dictis & ſcriptis: ſunt qui *Cataractas cæli apertas*, interpretentur Cœlum ipſum aqueum, in terras undequaque effuſum. Quæ ſunt gerræ maximæ. Hæc enim luxuriante ſtylo ſcripta fuerunt; ut exprimerent vim pluviæ, qua Iudæorum terra diluvio illo inundata eſt. *Operti vero montes excelſi omnes, ſub univerſo cælo*: intelligi debent de montibus Palæſtinorum excelſis omnibus. Nec non *univerſum cælum* hoc loco dictum eſt, quod Palæſtinis patuit. Tralatitium enim eſt, cœlum ſuum regioni cuique aſſignari. Senſu eodem accipe caput Deuteronomii 2. ubi Deus metum incutiens populis omnibus terræ ſanctæ, ad quam Iſraelem ſuum intromittebat, hortabatur illum his verbis. *Hodie incipiam mittere metum atque formidinem tuam in populos qui habitant ſub omni cælo*. Omne cœlum hoc loco intelligendum, quod imminebat terræ ſanctæ. Neque enim terrorem Iudaici nominis immittebat Deus tunc temporis in populos qui habitabant ſub cœlo, vel Sinenſi, vel Americano, vel Auſtrali, vel Groenlandico.

Quodſi non ad verba ſola, ſed ad rem ipſam diligentius attendimus: Diluvium illud, Iudæorum terræ, non toti Mundo, ingruiſſe, manifeſtum erit. Tum ex cauſis diluvii ipſius, quas dudum attigi; quaſque peccata fuiſſe Iudæorum oſtendi. Tum ex Noë Iudæo, & filiis ejus, Iudæorum reliquiis. Tum denique ex loco ipſo in quo Arca ſtetit, corrivatis aquis diluvii: *Super montes Armeniæ*, ait Geneſis. Qui ſcilicet montes Armeniæ, qua Palæſtinam reſpiciunt, partem Syriæ conſtituunt, Palæſtinæ conterminam.

At,

At, certe diluvium illud peculiare Iudæorum fuiſſe, intellexit Ioſephus, ubi contra Appionem libro 2, auctores omnes gentilitios recenſet, qui Iudæorum meminiſſent: interquos Beroſum laudat. *Beroſus*, ait ille, *ſcripſit de Arca; in qua generis noſtri Princeps ſervatus eſt.* Non dixit, *In qua generis humani Princeps ſervatus eſt:* ſed *in qua generis noſtri*, id eſt Iudaici, *princeps ſervatus eſt.* Agitur enim eo loci de Iudæis: quos *ſuos*, & *genus ſuum*, vocavit Ioſephus, Iudæus ipſe. Princeps, inquam, populi Iudaici à diluvio: cum Ioſephus idem, primam Iudæorum ſtirpem traxerit ab Adamo, ante diluvium. Quibus, Sole meridiano lucidius patet; generis Iudaici reliquias tantum, Ioſepho auctore, ſervatas fuiſſe in Arca: Et genus itidem Iudaicum reparatum fuiſſe à Noë; ſecundo, à reſtauratione cataclyſmi, Iudæorum principe.

CAPUT VIII.

Probatur idem quod in ſuperiori capite, per columbam à Noa emiſſam, & per aquarum naturalem decurſum.

FIdem facit, diluvium hoc peculiare Iudæorum fuiſſe, non univerſale gentium omnium; quod ſcriptum eſt de Columba, quam Noë emiſit, & veſpere ad illum rediit: *Portans*, ait Geneſis, *ramum olivæ, virentibus foliis, in ore ſuo.* Nimirum ramus ille virentibus foliis, quem matre ſua avulſum retulit Columba, non erat ex Oleis illis, quas diluvium obruerat, & per annum emenſum limoſa palude obduxerat: quarum idcirco folia, limo gravata, limi rubigine emarcuerant. Probabilius ergo erit dixiſſe: Columbam è montibus Armeniæ

 emiſ-

emiſſam, aquas diluvii omnes tranſvolaviſſe; & in campis ſuperioris Aſiæ elatioribus, legiſſe ex Olea quadam, cataclyſmi & limi pura, ramum illum virentibus foliis; quo virentem nec marcidam ſalutis ſpem Noæ oſtentaret.

Quod ut clarius percipiamus, retractemus animo, & recogitemus apud nos; impetum illum, quo diluvii imbres, immenſis aquarum agminibus, eruperint; & terram totam, per quadraginta dies, & quadraginta noctes, nec mora, nec requie, verberaverint. Reputemus, quot & quantas cœnoſas aquas præcipitati montibus torrentes in valles devolverint. Tum vero diluvium ipſum, torrentibus illis concitatum, & conflatum, nil niſi aquam fuiſſe, limo, & cœno, delibutam. Quæ deinde cum per annum liquatur, quo montibus altioribus incubuit, & quindecim cubitis ſupra fuit; fæx limi in fundum decidens, ramis arborum ſubſedit, foliiſque hæſit ſuper omnibus. Docemur nempe hoc quotidiano experimento; ubi torrentes turbidi, & ſuperflui, ripas ſuas inundaverunt. Exſuctis enim poſtmodum aquis, cernimus & arundines, & arbores, quibus ripæ illæ conſitæ ſunt, limi pondere marginibus ſuis peſſum preſſas, & cœno immundiſſimo turpatas. Quale exemplar fuerat Olearum omnium diluvio Noacico immerſarum. Oleas quinetiam ipſas, per annum ſolidum, quo diluvium illas obruiſſe legitur, nullo Sole eas vegetante, cœnoſis aquis omnino corruptas, & interfectas, putruiſſe tandem, credibile eſt.

Campos vero ſuperioris Aſiæ, montibus Armeniæ, quos diluvium operuerat, elatiores, hoc pacto concipio. Quod terrarum omnium depreſſiores illas puto, quæcunque ad oras mariti-

mas

mas jacent. Elatiores autem, quæ à mari longius abſcedentes, altius itidem in ſuperum & convexum terræ globum aſſurgunt. Quod in oculos noſtros incurrit, quoties videmus nominatos, & rapidos fluvios, per longiſſimos terrarum tractus in mare devolvi: ratione illa, qua de ſupero in declive terræ convexum deferuntur. Neque vero me pigebit, hoc loco retuliſſe, quæ mihi olim experientiſſimus geometra memorabat: Exploraviſſe ſe declivitatem qua fluvius Garumna ab agro Tholoſano, per agrum Burdigalenſem, in Oceanum influit: Et centum perticis emenſis, perticam unam declivitatis ab illo multoties fuiſſe interceptam. Propter hanc ſcilicet terræ ad mare inclinationem, mihi perſuadebam, *rapidum Garumnam* inſigniri ab Auſonio, in Moſella:

Lenis Arar, Rhodanuſque celer, rapiduſque Garumna.

Quodſi tam prona non admittitur inclinatio, qua Geometra ille Garumnam in Oceanum rapi voluerat: ponatur Danubius, famoſiſſimus & rapidus fluvius, qui per ſexcenta declivis terræ convexi milliaria, à fonte ſuo in Pontum Euxinum delabitur. Deturque explorata ejus declivitas, non centum, ſed ſexcentis perticis emenſis; pertica una declivitatis intercepta: nec non ſexcentis milliaribus emenſis, milliare unum declivitatis interceptum. Qua ratione Danubii fons, Ponti Euxini ora, milliari uno excelſior deprehendatur. Conſtituatur porro declivitas illa, nullis montibus interrupta, & nullis obicibus ſalebroſa, per æquor continuum deduci, quale cernitur in globo, vel ex metallo, vel ex ebore, apprime æquato, & expolito: ita ut nihil valeat aquas, per læve illud fluentes, morari.

 Fin-

Fingatur demum, Ponti Euxini ora diluvio tanto immerſa; ut profunda ejus aquæ vis, à terra in altum, milliari uno perpendiculariter exciteтur. Quæ altitudo duplo ſuperet altiorum montium altitudinem. His poſitis: ratione illa, qua, ut dixi, Danubii fons ponti Euxini ora milliari uno excelſior datus eſt: compertum foret, diluvium illud, quod ab ora Euxina, in ſuperum & læve illud convexum aſſurgeret; fontem Danubii libaturum tantum; neque terras illas prætergreſſurum, quæ cis fontem illum poſitæ, aquis intactæ, & ſicco ſuo illibatæ perſtarent.

Idem judicium eſto de diluvio Noæ. De cujus aquis facile colligeretur, quantum agri Aſiatici emenſæ eſſent, ſupra montes Armenios, ſi comperta foret altitudo montis Ararat, qui inter altiores numeratur; & in cujus vertice arca ſubſederat. Tum quos montes, quos gibbos & obices, convexus terræ illius Aſiaticæ globus, effuſis deſuper aquis objectaviſſet. Deſuper; id eſt, quindecim cubitis, quibus aqua, ſecundum Geneſim, altior fuerat ſuper montes quos operuerat.

Facile certe mihi perſuaderem, aquas diluvii Noacici, centum vel circiter milliaribus in ſuperum Aſiæ convexum fuiſſe evectas; hac ratione: quod globi illius convexitas ſalebroſa, & verrucoſo; imo ad Taurinos tractus dorſis immanibus exſurgens, curſus aquarum, ut credibile eſt, fregerit; & rupibus interjectis, ne longius & latius vagarentur, valide obſtiterit.

Centum vero, vel circiter, milliaria, emenſam & remenſam die uno Columbam; ut virentem ramum oleæ roſtro legeret & referret, hinc maxime conjicio; quod emiſſa mane revenit veſpere. Conjicio, inquam, longius avolaviſſe; tum ex

ex pernicitate alarum, qua, innata celeritate, rapitur Columba: tum quod ducente & ferente Deo, quæſitum ierat pacis teſſeram; qua Deus, in Noë, Iudaicæ genti conciliabatur. At vero, non ita longe volatum deſtinaviſſet; ſi marcidum, & turpatum limo termitem, carpere illi ſatis fuiſſet: proſtabant enim juxta arcam innumeri.

CAPUT IX.

Probatur idem, per hiſtoriam filiorum & nepotum Noæ. Per Euſebium in Chronico. Particulares fuere cataclyſmi. Ægyptus nunquam diluvio obruta. Referuntur; Strabo, de Turdetanis Hiſpanis. Scaliger & Servius de Trojanis. Solinus de Indis. Sanchoniato, Iombal.

QVa ratione creditur, genus hominum omne, diluvio Noacico fuiſſe immerſum: convenienter etiam ſtatuitur, genus hominum omne, à filiis Noæ fuiſſe reparatum. Et ſi vere conſtaret ex hiſtoria Geneſeos, terrarum omnium populos, à Noaci filiis, diluvio ex illo, fuiſſe propagatos: nihil cauſæ eſſet, quare victas non dederem manus opinantibus, terras omnes diluvio eodem fuiſſe obrutas. Legatur vero diligenter caput 10 Geneſeos; unde reparatio illa hominum omnium ex filiis Noæ deducitur; nec non diviſio terrarum omnium, ab iiſdem facta inducitur: Et luce clarius patebit, diviſas & poſſeſſas fuiſſe poſt diluvium, à filiis Noæ, non terrarum omnium plagas omnes, ſed regiones tantum terræ ſanctæ: quales eo loci deſcribuntur, vel revera regiones ipſæ terræ ſanctæ, vel terræ illi conterminæ. Principium regni Nemrod, capite illo, Babylon fuit. Aſſur vero

ædificavit Niniven. Nihil autem, præter Babylonem & Niniven, memoratur toto capite, aut diviſum, aut poſſeſſum à filiis Noæ, vel ultra Euphratem, vel ultra fluvium Ægypti, vel ultra mare rubrum, vel ultra mare Palæſtinorum: quos poſui ſupra limites terræ ſanctæ; quique illam undequaque concludunt.

Imo vero, prognatos legas capite illo; ex filiis Cham, Philiſtæos, Hethæos, Iebuſæos, Amorrhæos, Gergeſæos, Hevæos, Sinæos, Aradios, Samaræos, & Amathæos: populos omnes terræ ſanctæ. Quod perſpicue apparet ex locis, & ex terræ ejuſdem itineribus. Scriptum enim ibidem eſt. *Factique ſunt termini Chanaan* (filii Cham) *venientibus à Sydone Geraram, uſque Gazam; donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham; & Adamam & Seboim, uſque Leza.* Quæ ſunt vel urbes, vel regiones terræ ſanctæ. Additur vero ſeriatim. *Poſt hæc diſſeminati ſunt Chananæi.* At de illis non dubitatur, quin fuerint notiſſimi & præcipui terræ electæ populi. Deinde hinc ſcriptum legas. *Hi ſunt filii Cham, in cognationibus, & linguis, & generationibus, terriſque, & gentibus ſuis.* Quæ ſi incautius legas, imaginoſo te impleant; linguas, generationes, terras, & gentes illas, tertiam terrarum omnium partem complexas. Adverte autem nomina illa grandia; linguas, generationes, terras, & gentes, filiorum Cham, intelligendas omnes, ſuas ſibi regione terræ ſanctæ, quales illo cap. 10. deſcribuntur, diviſas & conceſſas habitantes. Nota etiam obiter, *linguas*, locis omnibus hujus capitis, præpoſtero ordine ſcriptas. Erat enim tunc temporis *Terra labii unius & ſermonum eorundem*, atque adeo linguæ ejuſdem: ut ſcriptum eſt capite 11, & ſequenti, Geneſeos. Neque dum enim

facta

facta fuerat linguarum confuſio, quæ ſequitur capite eodem 11. in ædificatione turris Babel. Enumerantur filii Sem: qui pater fuit filiorum Heber. *Natique ſunt Heber*, ait Geneſis, *filii duo. Nomen uni Phaleg: eo quod in diebus ejus diviſa fuerit terra. Et nomen fratris ejus Iectan.* Terra autem diviſa illa, terra ſancta intelligenda eſt. Additur enim de fratribus illis. *Et facta eſt habitatio eorum, de Meſſar pergentibus, uſque Sephar montem Orientalem.* Quod terræ ſanctæ itinerarium merum eſt. Habetur pro coronide, capite eodem 10. *Hæ familiæ Noæ, juxta populos, & nationes ſuas. Ab his diviſæ ſunt gentes in terra, poſt diluvium.* Id eſt, ab his diviſæ ſunt provinciæ terræ ſanctæ. Vel, ab his diviſi ſunt incolæ regionum terræ ſanctæ. Terram enim ſimpliciter dictam, interpretantur Hebræi, terram ſuam. Quod ſupra, & plus una vice monui. Intelligatur vero hoc loci, totus terrarum orbis, per terram in diebus Phaleg diviſam: Poſſibilene vel factu, vel creditu erit; tantam ſuppetiiſſe hominum copiam, intra quintam generationem filiorum Noæ, (quintus enim numeratur Phaleg, à Sem, generis ſui auctore) ut & Sinam, & Americam & terram Auſtralem, & Groenlandiam, & quicquid inter illas undequaque interjacet, dividere & habitare potuerint? Reſtringendum ergo erit, hoc loci, terræ nomen, ad terram ſolam electam. Quæ, ſi res ipſa curioſius attenditur; ne vix quidem intra decimam generationem, juſto habitatorum ſuorum numero, filiorum Noæ propagine, impleri, & dividi potis fuit.

Conjicitur autem, & incaute conjicitur; Terrarum omnium plagas omnes, à filiis Noæ fuiſſe diviſas & habitatas; ex opinione, ut prædixi,

illa, quæ omnium fere animos prior occupavit; homines terrarum omnes, diluvii aquis Noacici fuiſſe demerſos. Tum etiam ex nominibus quæ geſſerunt quidam ex filiis Noæ: quæque nomina, conjecturis alii minus invitis; plerique, invitis omnino, ad ſimilitudinem nominum quorundam, quibus vel noti ſunt hodierni populi, vel noti fuere antiqui, obtorto veluti collo inflexerunt: populoſque illos omnes, à filiis Noæ, propter nominum ſuorum imaginem, imaginoſis ſcilicet conjecturis oriundos ſtatuerunt.

Ecce aliæ ſuſpiciones. Scripum aiunt, capite illo 10 Geneſeos, de filiis Iaphet. *Ab his diviſæ ſunt Inſulæ gentium, in regionibus ſuis: unuſquiſque ſecundum linguam ſuam, & familias ſuas, in nationibus ſuis.* Inſulas nempe illas gentium quidam interpretantur, ſparſas per æquor omne; tum Mediterraneum, tum Ægeum; tum quas Oceanus circumalluit, Britanniam, Hiberniam, Hebridas, Orcadas, Thulen ultimam; & quæ ſuperſunt, cognitæ vel incognitæ. Tanta ſcilicet hominum propagine luxuriaviſſe volunt filios Noæ, in diebus nepotum Iaphet; ut non ſe capientibus, in continenti terrarum omni, habitatoribus; effuſi fuerint in Inſulas omnes, adjacentes, & ſemotas, Inſulaſque illas ipſas, trudentibus ſe coloniarum copiis, *in regionibus ſuis*, ut hoc loci ſcriptum eſt, diviſerint, & habitaverint. Quod an fieri potuerit, intra tertiam generationem filiorum Iaphet, viderit cui pectus ſapit. Sunt qui inſularum, eo loci, nomine, Terras omnes intelligant, quæ ſunt ultra Palæſtinum mare poſitæ: qualemque Europam ſpeciatim, inſulam nomine dictam volunt, Hebræis auctoribus. At ſi filios Iaphet conjiciunt Europam transfretaviſſe,

taviſſe, & immenſiſſimos terrarum tractus, quos illa pars Mundi celeberrima vaſtiſſimo ambitu complectitur, ſibi diviſiſſe, intra tertiam generationem filiorum Iaphet, quod nota; recenſetur enim hic tertius tantum aſcendendo; à filiis illis ſuis Iaphet: Imo ſi conjiciunt, filios illos tertiæ generationis Iaphet, non ſolum Europam inſulam ſibi aſſignaviſſe; ſed etiam inſulas omnes alias, & gentium omnium diviſiſſe; propter hoc ipſum ſolum, quia Europa Hebræis inſula nuncupata eſt; tum quia ſcriptum eſt hoc loci, *inſulas gentium ab his filiis Iaphet fuiſſe diviſas, in regionibus ſuis, ſecundum linguas ſuas & familias ſuas, in nationibus ſuis*: quam amabo parum certam fidem ſtruunt illi, ſuper conjecturis adeo incertis. In primis autem ſuper more loquendi Hebraico, qui tam variæ & multiplicis ſignificationis, nec non inſolens uſque adeo eſt, ut nihil fere ubique niſi tropos loquatur.

At, ſi qua fides conjecturis eſt, crediderim veriſimilius multo; inſulas gentium illas in regionibus ſuis, à filiis Iaphet diviſas, *unoquoque*, ut ſcriptum eſt, *ſecundum linguam ſuum*, *& familias ſuas, in nationibus ſuis*, Regiones ipſas fuiſſe terræ ſanctæ; quas ſibi filii Iaphet, ſecundum gentes, linguas, & familias ſuas, in nationibus ſuis diviſerunt. Quia enim eadem intelligenda ſunt, eo loci, de filiis Iaphet, quæ dicuntur infra de filiis Cham, & de quibus ſupra egimus. *Hi ſunt filii Cham, in cognationibus, & linguis, & generationibus, terriſque, & gentibus ſuis.* Filios ſiquidem Iaphet opinandum eſt ſedes ſuas in regionibus terræ ſanctæ poſuiſſe; quales pedem fixiſſe in terra eadem filios Cham, notum eſt. Etenimvero! ſi filii Cham reprobi, ſortes ſuas acceperunt in terra ſancta, quæ terra Domini erat:

quid ni filios Iaphet, partes ſuas in terra eadem Domini ſortitos fuiſſe crederemus? quorum ſcilicet patrem electum,& ſibi dilectum, Dominus habuiſſet. Funes certe filiorum Sem, ut & filiorum Cham, cecidiſſe in terra eadem, ſupra demonſtratum eſt. Quare ergo ſoli filiorum Noæ, filii Iaphet, exhæredes ſe feciſſent terra ſancta & ſua? aut quo elogio exhæredes terra illa renunciati fuiſſent à fratribus ſuis? Attende autem ſerio ad verba illa de filiis Iaphet. *Ab his diviſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis.* Inducerer enim ut crederem, *inſulas & regiones*, idem ſignificaviſſe hoc loci. Et regiones ſingulis gentibus habitatas, *inſulas* dictas; quia conterminis gentibus circumfluuntur: qua ratione inſulas domorum appellant, quæ vicis conterminis circumambiuntur. Quid vero prohibuit inſulas gentium conceſſiſſe, ſi concedimus inſulas domorum jure optimo uſurpatas?

Non levis cauſa eſt cur mihi perſuadeam, diluvium Noacicum peculiare Iudæorum fuiſſe. Euſebius in Chronico: ubi ad tempora naſcentis Abrahami hæc ait. *In hujus Nini imperii quadrageſimo tertio anno, apud Hebræos natus eſt Abrahamus. Apud Ægyptios autem, decima ſexta poteſtas erat, quam vocant Dynaſtiam. Quo tempore regnabant Thebæi, qui præfuerunt Ægyptiis, annis* 190. Atqui ſecundum Iudæos Helleniſtas, nondum erant exacti trecenti anni, à diluvio Noæ, ad natum Abraham. Quomodo ergo fieri potuit, ut intra annos trecentos, nobiliſſimum ſub Nino Aſſyriorum imperium, ſtatutum fuerit, & ſtabilitum per quadraginta tres annos? Nini, inquam, cujus origo tam alte petita fuit; ut non ſolum ad fabuloſa, ſed & incognita

gnita recurrerit tempora. Nino autem antiquiores poſuit Iuſtinus, libro 1. regnatorem Ægypti Vexorem, & Scythiæ regem Tanaum. Qua ratione etiam ordinari & inſtaurari potis fuit per idem tempus Thebanorum regum præfectura illa in Ægyptios: quam tempore illo, nonaginta & centum annis invaluiſſe retulit hoc loco Euſebius? At, quod magis mirabere; credibilene eſt, intra annos trecentos (tempus adeo breve) elapſas fuiſſe dynaſtias quindecim, & inchoatam decimam ſextam apud reges Ægyptios: ſi reputamus, tres tantum numerari dynaſtias apud reges Francos, ab origine regni Francici, per ducentos, plus minus, ſupra mille annos? Notum porro eſt ex hiſtoria ipſa Geneſeos, quæ plurimum favet Euſebio, Abraham Ægyptum petiiſſe, ſub Pharaonum dynaſtia: quæ vigebat item Ioſephi tempore Abrahami pronepotis; quæque viguit quadringentis poſt Ioſephum annis, tempore Moſis: cujus Pharao novus ignorabat Ioſephum, quem Pharao vetus tam bene noverat. Imo quæ Pharaonum dynaſtia, Cæſarum dynaſtiæ duratione æquiparanda, Salomonis claruit ſeculo: *affinitate enim conjunctus eſt Pharaoni regi Ægypti Salomon; duxitque filiam ejus uxorem*, Regum 1, capite 3.

Particulares porro datos fuiſſe regionum cataclyſmos, teſtatur Ogygæ diluvium, quod Bœotiam totam inundavit: nec non Deucalionea illuvio, quæ Theſſaliam totam hauſit: quamque plures alias, illaſque particulares, præceſſiſſe retulit Plato, ex Sacerdote Ægyptio, in Timæo. Cataclyſmum quinetiam ſuum jactant Sinenſes, ſuum Americani: utrumque vero, ex eorundem computo, à Noacici diluvii temporibus longe diſtantem. Quidni autem & ſuam par-

particularem concedemus Palæſtinæ illuvionem?

Imo negant & pernegant Ægyptii, Palæſtinorum ipſorum contermini; diluvio unquam ullo labefactatam fuiſſe Ægyptum. Alluiſſe quidem Nilum, & fœcundaviſſe quotannis terram ſuam: nuſquam vero obruiſſe illam aſſeverant diluvium. Quod validiſſimis argumentis, & probatiſſimis hiſtoriarum ſuarum monumentis demonſtrabat Sacerdos Ægyptius, ſupra laudatus, apud eundem Platonem, Timæo eodem.

Non erit incommodum, Platoni Strabonem attexere, libro 3 Geographiæ ſuæ; ubi hæc de Turdetanis Bæticæ Hiſpaniæ incolis. *Hi omnium*, inquit, *Hiſpanorum doctiſſimi judicantur: utunturque Grammatica, & antiquitatis monumenta habent conſcripta: ac poëmata, & metris incluſas leges, à ſex millibus ut aiunt annorum*. Habuere ergo Turdetani leges ſuas, longe ante diluvii Noacici tempora; ſi Strabonis ſeculo, à ſex annorum millibus habuere conſcriptas. Quas ſcilicet diluvio illo intactas, intacti & ipſi, per totos ſex mille annos ex ordine tenuerunt; illiſque jugi obſervantia aſſueverunt.

Celebratam quinetiam refert Scaliger Olympiadem primam, anno mundi 3074. Troiæ vero excidium, quadringentis octo vel circiter annis fuiſſe ante primam Olympiadem. Atqui notavit Servius ad illud Virgilii de Troia;

Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos.
Antiqua, inquit, *vel nobilis: vel quia duobus millibus octingentis annis regnaviſſe dicitur*. Ponendum ergo erit regni Trojani principium ante ipſam mundi originem. Et ſi regnata fuit Troia, continua ſerie, per duo mille & octingentos annos; ſtatuenda erit Phrygia, ut Bætica, diluvio

vio Noacico intemerata. Eadem conjice de India, quam Liber pater primus ingreſſus eſt. *Ab hoc*, inquit Solinus capite 52, *uſque ad Alexandrum Magnum, numerantur annorum ſex millia, quadringenti quinquaginta unus; additis & amplius tribus menſibus: habita per Reges computatione, qui centum quinquaginta tres tenuiſſe medium ævum deprehenduntur.* Reponit hunc numerum apud Plinium, Plinii reſtitutor in Solino, mendorumque Averruncus Salmaſius.

Semiramidem porro mille annis excidium Troiæ anteceſſiſſe, auctor eſt idem Scaliger; illamque intra ſeculum diluvii primum locavit. Sanchoniatonem vero, tempore Semiramidis vixiſſe, idem voluit. Sanchoniatone autem vetuſtiorem poſuit Iombalem: nec non ab illo multa accepiſſe Sanchoniatonem, retulit ex Porphyrio. Tum etiam Euſebius Sanchoniatonem eundem memorat in arcana quædam Ammonæorum volumina incidiſſe, quæ ex interioribus templorum penetralibus, ubi antea jacuerant, eduxerat. At, qua ratione aptari illa poterunt diluvii Noacici temporibus? Adjunge his: quod neque Sanchoniato, neq; Sanchoniatone vetuſtior Iombal, numerantur inter filios Noæ. Et extra Arcam jacuerint & conſervata fuerint, neceſſe ſit, volumina Ammonæorum illa, in quæ Sanchoniatonem incidiſſe, teſtatus eſt Euſebius.

Huc demum refer quæ notavi ſupra enucleatius: incongruum omninò ſtatutum fuiſſe tempus, quod numeratur ab Adamo, vel ad Abrahamum Chaldæum, vel ad Moſem Ægyptium; quodque ſufficiens incogitanter putatum eſt, ad aſſequendas diſciplinarum illarum notitias, quas Abrahamus & Moſes ad amuſſim calluerunt. Incongruum ſedenim ſupra incongruum

Duas porro ſignificationes Æternitatis comperio in lectione ſacrorum codicum. Primam, qua Deus dicitur æternus,ante ſecula, & ante res omnes creatas. Alteram, qua æternitas deſignatur à ſeculis, & rerum creatarum principio. Significationes æternitatis hæ jugiter comprehenduntur loco illo Proverbiorum, quo introducitur Sapientia loquens his verbis. *Deus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret. Ordinata ſum*, vel ſecundum alios, *Principatum habui ab æterno, à capite, ab initiis terræ*; ſive, *à creatione Mundi.*

Duplex ibi cernitur initium, ſive principium. Vnum, ante ſecula, ante terram creatam. Alterum, à ſeculis, ab initiis terræ, ſive à creatione mundi. Diſtinguitur primum à ſecundo: quod in primo dicitur Deus ſimpliciter poſſediſſe Sapientiam: in ſecundo, ordinaviſſe ſive inauguraviſſe illam, ut principatum obtineret ſuper res omnes creatas. Vtrumque ergo principium, æternum: ſed antiquius primum ſecundo. Primum principium, æternum per ſe: æternum ante æternum. Secundum principium, æternum ab æterno: æternum reſpectu noſtri; quatenus intellectus noſter non poteſt aſſequi illius numerum.

Docuit nos illud clariſſime Paulus Apoſtolus, capite ultimo epiſtolæ ad Romanos: tum capite 3 epiſtolæ ad Epheſios; nec non capite 1 epiſtolæ ad Coloſſenſes: quando vocavit locis illis Euangelium, *Patefactionem myſterii, quod tacitum & abſconditum fuerat, à ſeculis, & temporibus æternis.* Epiſtola vero prima ad Corinthios, cap. 2. definiverat illud, *Sapientiam Dei occultam, quam præfinierat Deus ante ſecula.* Secunda item ad Timotheum, cap. 1. *Gratiam*

qua

quæ nobis data fuerat in Chriſto, ante tempora æterna. Tum epiſtola ad Titum. *Spem vitæ æternæ quam promiſerat Deus ante tempora æterna.* D. Petrus eadem referens, epiſtola ſua catholica prima, capite 1, dixit. *Chriſtum præcognitum fuiſſe ante jacta mundi fundamenta.* Quibus locis deprehenditur evidenter, differentia illa Æternitatum quam notavi. Primo, æternitatem dici, ante ſecula, & ante tempora æterna. Secundo, æternitatem dici, à ſeculis, & à temporibus æternis. Æternitatem illam quæ eſt ante æternitatem, ante ſecula, & ante tempora æterna; eandem eſſe quam vocavit D. Petrus, *ante jacta mundi fundamenta.* Ergo, idem eſſe æternum à jactis mundi fundamentis; quod à temporibus æternis. Ergo, fundamenta mundi jacta fuiſſe à temporibus æternis, vel ab æterno, reſpectu noſtri: vel à temporibus & ſeculis nobis incognitis: ſive à principio illo cujus nulla nobis datur determinata ſcientia. Æternitas vero hæc mundi, non divina illa, ſed divinæ illius imago, vel imitatio eſt: juxta Mercurii illud in Aſclepio. *Deus æternus*, ait ille, *mundum non natum intra ſe habuit. At quatenus mundus Dei imago eſt, æternitatis etiam imitator eſt.*

Caput XI.

De æterno ultra æternum. De æterno uſque in æternum. Regnum Meſſiæ qua ratione æternum.

Qua ratione dictus eſt Deus, æternus ante æternum; dictus idem eſt, æternus poſt æternum, & ultra æternum. *Regnabit Dominus in æternum, & ultra*; dicebat Moſes in Cantico. Quoties autem Scriptura ſacra ſignificare vult quid ſemper duraturum: non æter-

gruum aſſignaretur ſpatium à diluvio Noacico, ad eoſdem vel Abrahamum vel Moſem, ſi craſſiore negligentia, competens exiſtimaretur, ad eaſdem diſciplinas conquirendas. Præcipue vero Aſtrologiam, Theologiam, & Magiam Chaldæorum. Quas floruiſſe tempore Abrahami celebri indicio eſt, quod Vr Chaldæorum quam habitabat Abrahamus, *Camarina* dicta fuit Euſebio: Camarina autem urbs eadem eſt quæ Aſtrologorum civitas. Et Camarini dicti ſunt Chaldæi; iidem qui Aſtrologi & Magi. Chaldæorum enim nomen, gentis & artis fuit. De Camarinis porro Magis ſcriptum eſt Iob capite 41, *ſuſcitare illos Leviathan*: qui Dæmon eſt. Leviathan autem terreſtrem & aqueum dari conſtat: vel quod idem eſt, Dæmones dari terreſtres & aqueos. A quibus ſcilicet derivatos ſubtiliſſime cenſuit doctiſſimus idemque linguæ Hebraicæ peritiſſimus, PHILIPPVS CODVRCVS Commentario ſuper Iob, Spiritus illos quos vernacule appellamus *Luithons* vel *Luthins*. Theoremata vero Magiæ, nec non horrenda Deoque exoſa carmina illa, quibus ſuſcitabant Magi ſpiritus, nefas eſſet cogitaviſſe condita fuiſſe in Arca, ne diluvio immergerentur. At enimvero dixiſſe, inventam artem, vel de integro reparatam, à diluvio ad Abrahamum; impoſſibile eſſet probare, juxta cum mage impoſſibilibus.

CAPVT X.

De æterno ante æternum. De æterno ab æterno.

ALlucinantur in diſpenſatione & aſſignatione rerum geſtarum à diluvio Noacico, qui autumant, diluvium ipſum Noacicum univerſale fuiſſe gentium omnium. Longiſſime

giſſime & illi falluntur in diſpenſatione & aſſignatione rerum geſtarum à Mundo condito; qui Mundum conditum ſtatuunt cum Adamo formato. Tum vero, qui Mundum nupere natum, mox etiam moriturum arguunt. Principium illi & finem rerum tam anguſtis hinc atque hinc coarctavere temporum ſpatiis; ut nullo modo ad cancellos illos quadrare poſſint, quæ de Mundo creato ab æterno, & de Mundo in æternum duraturo, leguntur, non dicam apud Hiſtoricos & Philoſophos gentiles, ſed apud Prophetas & Apoſtolos At enimvero! ſpatiis illis iniquis, quæ tempora illa duo æterna, præteritum & futurum, tam anguſte & incommode amplexantur, quam bene convenit quod de Pallio brevi, ſub quo duo jacebant, memorat Iſaias, cap. 28. *Pallium breve*, inquit, *utrumque operire non poteſt.*

Scriptum eſt, quod profiteor, *Deum creaviſſe cælum & terram* IN PRINCIPIO. Illud certe audacter aſſeveraverim, nos non noviſſe Principium illud. Suus eſt, fateor, ergo determinatus numerus ſtellarum in firmamento. Suus eſt, fateor, ergo determinatus numerus calculorum arenæ in littoribus. Suus eſt, fateor, ergo determinatus numerus ſeculorum, quæ computantur ab illo principio uſque ad nos. At enim, ſtellarum firmamenti omnium, calculorum arenæ omnium, ſeculorum quæ fuere à principio omnium, ſummam conficere; non exiſtimo talem unquam numerationem competiiſſe Arithmeticæ noſtræ, vel humano computo. In numeris illis neque eſt numerus, neque refert illos numero comprehendere. Satis ſit, Deum noviſſe nomen & numerum ſtellarum omnium quas creavit. *Ab omnipotente non ſunt abſcondita tempora*, ait Iob, cap. 20. Duas

gruum aſſignaretur ſpatium à diluvio Noacico, ad eoſdem vel Abrahamum vel Moſem, ſi craſſiore negligentia, competens exiſtimaretur, ad eaſdem diſciplinas conquirendas. Præcipue vero Aſtrologiam, Theologiam, & Magiam Chaldæorum. Quas floruiſſe tempore Abrahami celebri indicio eſt, quod Vr Chaldæorum quam habitabat Abrahamus, *Camarina* dicta fuit Euſebio: Camarina autem urbs eadem eſt quæ Aſtrologorum civitas. Et Camarini dicti ſunt Chaldæi; iidem qui Aſtrologi & Magi. Chaldæorum enim nomen, gentis & artis fuit. De Camarinis porro Magis ſcriptum eſt Iob capite 41, *ſuſcitare illos Leviathan*: qui Dæmon eſt. Leviathan autem terreſtrem & aqueum dari conſtat: vel quod idem eſt, Dæmones dari terreſtres & aqueos. A quibus ſcilicet derivatos ſubtiliſſime cenſuit doctiſſimus idemque linguæ Hebraicæ peritiſſimus, PHILIPPVS CODVRCVS Commentario ſuper Iob, Spiritus illos quos vernacule appellamus *Luithons* vel *Luthins*. Theoremata vero Magiæ, nec non horrenda Deoque exoſa carmina illa, quibus ſuſcitabant Magi ſpiritus, nefas eſſet cogitaviſſe condita fuiſſe in Arca, ne diluvio immergerentur. At enimvero dixiſſe, inventam artem, vel de integro reparatam, à diluvio ad Abrahamum; impoſſibile eſſet probare, juxta cum mage impoſſibilibus.

CAPVT X.

De æterno ante æternum. De æterno ab æterno.

ALlucinantur in diſpenſatione & aſſignatione rerum geſtarum à diluvio Noacico, qui autumant, diluvium ipſum Noacicum univerſale fuiſſe gentium omnium. Longiſſime

giſſime & illi falluntur in diſpenſatione & aſſignatione rerum geſtarum à Mundo condito; qui Mundum conditum ſtatuunt cum Adamo formato. Tum vero, qui Mundum nupere natum, mox etiam moriturum arguunt. Principium illi & finem rerum tam anguſtis hinc atque hinc coarctavere temporum ſpatiis; ut nullo modo ad cancellos illos quadrare poſſint, quæ de Mundo creato ab æterno, & de Mundo in æternum duraturo, leguntur, non dicam apud Hiſtoricos & Philoſophos gentiles, ſed apud Prophetas & Apoſtolos. At enimvero! ſpatiis illis iniquis, quæ tempora illa duo æterna, præteritum & futurum, tam anguſte & incommode amplexantur, quam bene convenit quod de Pallio brevi, ſub quo duo jacebant, memorat Iſaias, cap. 28. *Pallium breve,* inquit, *utrumque operire non poteſt.*

Scriptum eſt, quod profiteor, *Deum creaviſſe cælum & terram* IN PRINCIPIO. Illud certe audacter aſſeveraverim, nos non noviſſe Principium illud. Suus eſt, fateor, ergo determinatus numerus ſtellarum in firmamento. Suus eſt, fateor, ergo determinatus numerus calculorum arenæ in littoribus. Suus eſt, fateor, ergo determinatus numerus ſeculorum, quæ computantur ab illo principio uſque ad nos. At enim, ſtellarum firmamenti omnium, calculorum arenæ omnium, ſeculorum quæ fuere à principio omnium, ſummam conficere; non exiſtimo talem unquam numerationem competiiſſe Arithmeticæ noſtræ, vel humano computo. In numeris illis neque eſt numerus, neque refert illos numero comprehendere. Satis ſit, Deum noviſſe nomen & numerum ſtellarum omnium quas creavit. *Ab omnipotente non ſunt abſcondita tempora*, ait Iob, cap. 20. Duas

gruum aſſignaretur ſpatium à diluvio Noacico, ad eoſdem vel Abrahamum vel Moſem, ſi craſſiore negligentia, competens exiſtimaretur, ad eaſdem diſciplinas conquirendas. Præcipue vero Aſtrologiam, Theologiam, & Magiam Chaldæorum. Quas floruiſſe tempore Abrahami celebri indicio eſt, quod Vr Chaldæorum quam habitabat Abrahamus, *Camarina* dicta fuit Euſebio. Camarina autem urbs eadem eſt quæ Aſtrologorum civitas. Et Camarini dicti ſunt Chaldæi; iidem qui Aſtrologi & Magi. Chaldæorum enim nomen, gentis & artis fuit. De Camarinis porro Magis ſcriptum eſt Iob capite 41, *ſuſcitare illos Leviathan:* qui Dæmon eſt. Leviathan autem terreſtrem & aqueum dari conſtat; vel quod idem eſt, Dæmones dari terreſtres & aqueos. A quibus ſcilicet derivatos ſubtiliſſime cenſuit doctiſſimus idemque linguæ Hebraicæ peritiſſimus, PHILIPPVS CODVRCVS Commentario ſuper Iob, Spiritus illos quos vernacule appellamus *Luithons* vel *Luthins*. Theoremata vero Magiæ, nec non horrenda Deoque exoſa carmina illa, quibus ſuſcitabant Magi ſpiritus, nefas eſſet cogitaviſſe condita fuiſſe in Arca, ne diluvio immergerentur. At enimvero dixiſſe, inventam artem, vel de integro reparatam, à diluvio ad Abrahamum; impoſſibile eſſet probare, juxta cum mage impoſſibilibus.

CAPVT X.

De æterno ante æternum. De æterno ab æterno.

ALlucinantur in diſpenſatione & aſſignatione rerum geſtarum à diluvio Noacico, qui autumant, diluvium ipſum Noacicum univerſale fuiſſe gentium omnium. Longiſſime

giſſime & illi falluntur in diſpenſatione & aſſignatione rerum geſtarum à Mundo condito; qui Mundum conditum ſtatuunt cum Adamo formato. Tum vero, qui Mundum nupere natum, mox etiam moriturum arguunt. Principium illi & finem rerum tam anguſtis hinc atque hinc coarctavere temporum ſpatiis; ut nullo modo ad cancellos illos quadrare poſſint, quæ de Mundo creato ab æterno, & de Mundo in æternum duraturo, leguntur, non dicam apud Hiſtoricos & Philoſophos gentiles, ſed apud Prophetas & Apoſtolos At enimvero! ſpatiis illis iniquis, quæ tempora illa duo æterna, præteritum & futurum, tam anguſte & incommode amplexantur, quam bene convenit quod de Pallio brevi, ſub quo duo jacebant, memorat Iſaias, cap. 28. *Pallium breve,* inquit, *utrumque operire non poteſt.*

Scriptum eſt, quod profiteor, *Deum creaviſſe cælum & terram* IN PRINCIPIO. Illud certe audacter aſſeveraverim, nos non noviſſe Principium illud. Suus eſt, fateor, ergo determinatus numerus ſtellarum in firmamento. Suus eſt, fateor, ergo determinatus numerus calculorum arenæ in littoribus. Suus eſt, fateor, ergo determinatus numerus ſeculorum, quæ computantur ab illo principio uſque ad nos. At enim, ſtellarum firmamenti omnium, calculorum arenæ omnium, ſeculorum quæ fuere à principio omnium, ſummam conficere; non exiſtimo talem unquam numerationem competiiſſe Arithmeticæ noſtræ, vel humano computo. In numeris illis neque eſt numerus, neque refert illos numero comprehendere. Satis ſit, Deum noviſſe nomen & numerum ſtellarum omnium quas creavit. *Ab omnipotente non ſunt abſcondita tempora*, ait Iob, cap. 20. Duas

gruum aſſignaretur ſpatium à diluvio Noacico, ad eoſdem vel Abrahamum vel Moſem, ſi craſſiore negligentia, competens exiſtimaretur, ad eaſdem diſciplinas conquirendas. Præcipue vero Aſtrologiam, Theologiam, & Magiam Chaldæorum. Quas floruiſſe tempore Abrahami celebri indicio eſt, quod Vr Chaldæorum quam habitabat Abrahamus, *Camarina* dicta fuit Euſebio: Camarina autem urbs eadem eſt quæ Aſtrologorum civitas. Et Camarini dicti ſunt Chaldæi; iidem qui Aſtrologi & Magi. Chaldæorum enim nomen, gentis & artis fuit. De Camarinis porro Magis ſcriptum eſt Iob capite 41, *ſuſcitare illos Leviathan*: qui Dæmon eſt. Leviathan autem terreſtrem & aqueum dari conſtat: vel quod idem eſt, Dæmones dari terreſtres & aqueos. A quibus ſcilicet derivatos ſubtiliſſime cenſuit doctiſſimus idemque linguæ Hebraicæ peritiſſimus, PHILIPPVS CODVRCVS Commentario ſuper Iob, Spiritus illos quos vernacule appellamus *Luithons* vel *Luthins*. Theoremata vero Magiæ, nec non horrenda Deoque exoſa carmina illa, quibus ſuſcitabant Magi ſpiritus, nefas eſſet cogitaviſſe condita fuiſſe in Arca, ne diluvio immergerentur. At enimvero dixiſſe, inventam artem, vel de integro reparatam, à diluvio ad Abrahamum; impoſſibile eſſet probare, juxta cum mage impoſſibilibus.

CAPVT X.

De æterno ante æternum. De æterno ab æterno.

ALlucinantur in diſpenſatione & aſſignatione rerum geſtarum à diluvio Noacico, qui autumant, diluvium ipſum Noacicum univerſale fuiſſe gentium omnium. Longiſſime

giſſime & illi falluntur in diſpenſatione & aſſignatione rerum geſtarum à Mundo condito; qui Mundum conditum ſtatuunt cum Adamo formato. Tum vero, qui Mundum nupere natum, mox etiam moriturum arguunt. Principium illi & finem rerum tam anguſtis hinc atque hinc coarctavere temporum ſpatiis; ut nullo modo ad cancellos illos quadrare poſſint, quæ de Mundo creato ab æterno, & de Mundo in æternum duraturo,leguntur,non dicam apud Hiſtoricos & Philoſophos gentiles, ſed apud Prophetas & Apoſtolos At enimvero! ſpatiis illis iniquis, quæ tempora illa duo æterna, præteritum & futurum,tam anguſte & incommode amplexantur, quam bene convenit quod de Pallio brevi, ſub quo duo jacebant, memorat Iſaias, cap. 28. *Pallium breve,* inquit, *utrumque operire non poteſt.*

Scriptum eſt, quod profiteor, *Deum creaviſſe cælum & terram* IN PRINCIPIO. Illud certe audacter aſſeveraverim, nos non noviſſe Principium illud. Suus eſt, fateor, ergo determinatus numerus ſtellarum in firmamento. Suus eſt, fateor, ergo determinatus numerus calculorum arenæ in littoribus. Suus eſt, fateor, ergo determinatus numerus ſeculorum, quæ computantur ab illo principio uſque ad nos. At enim, ſtellarum firmamenti omnium, calculorum arenæ omnium, ſeculorum quæ fuere à principio omnium,ſummam conficere; non exiſtimo talem unquam numerationem competiiſſe Arithmeticæ noſtræ, vel humano computo. In numeris illis neque eſt numerus, neque refert illos numero comprehendere. Satis ſit,Deum noviſſe nomen & numerum ſtellarum omnium quas creavit. *Ab omnipotente non ſunt abſcondita tempora*, ait Iob, cap. 20.

Duas

Duas porro ſignificationes Æternitatis comperio in lectione ſacrorum codicum. Primam, qua Deus dicitur æternus,ante ſecula, & ante res omnes creatas. Alteram, qua æternitas deſignatur à ſeculis, & rerum creatarum principio. Significationes æternitatis hæ jugiter comprehenduntur loco illo Proverbiorum, quo introducitur Sapientia loquens his verbis. *Deus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret. Ordinata ſum*, vel ſecundum alios,*Principatum habui ab æterno, à capite, ab initiis terræ*; ſive, *à creatione Mundi.*

Duplex ibi cernitur initium, ſive principium. Vnum, ante ſecula, ante terram creatam. Alterum, à ſeculis, ab initiis terræ, ſive à creatione mundi. Diſtinguitur primum à ſecundo: quod in primo dicitur Deus ſimpliciter poſſediſſe Sapientiam: in ſecundo, ordinaviſſe ſive inauguraviſſe illam, ut principatum obtineret ſuper res omnes creatas. Vtrumque ergo principium, æternum: ſed a tiquius primum ſecundo. Primum principium, æternum per ſe: æternum ante æternum. Secundum principium, æternum ab æterno: æternum reſpectu noſtri; quatenus intellectus noſter non poteſt aſſequi illius numerum.

Docuit nos illud clariſſime Paulus Apoſtolus, capite ultimo epiſtolæ ad Romanos: tum capite 3 epiſtolæ ad Epheſios; nec non capite 1 epiſtolæ ad Coloſſenſes: quando vocavit locis illis Euangelium, *Patefactionem myſterii, quod tacitum & abſconditum fuerat, à ſeculis, & temporibus æternis.* Epiſtola vero prima ad Corinthios, cap. 2. definiverat illud, *Sapientiam Dei occultam, quam præfinierat Deus ante ſecula.* Secunda item ad Timotheum; cap. 1. *Gratiam*

quæ

quæ nobis data fuerat in Chriſto, ante tempora æterna. Tum epiſtola ad Titum. *Spem vitæ æternæ quam promiſerat Deus ante tempora æterna.* D. Petrus eadem referens, epiſtola ſua catholica prima, capite 1, dixit. *Chriſtum præcognitum fuiſſe ante jacta mundi fundamenta.* Quibus locis deprehenditur evidenter, differentia illa Æternitatum quam notavi. Primo, æternitatem dici, ante ſecula, & ante tempora æterna. Secundo, æternitatem dici, à ſeculis, & à temporibus æternis. Æternitatem illam quæ eſt ante æternitatem, ante ſecula, & ante tempora æterna; eandem eſſe quam vocavit D. Petrus, *ante jacta mundi fundamenta.* Ergo, idem eſſe æternum à jactis mundi fundamentis; quod à temporibus æternis. Ergo, fundamenta mundi jacta fuiſſe à temporibus æternis, vel ab æterno, reſpectu noſtri: vel à temporibus & ſeculis nobis incognitis: ſive à principio illo cujus nulla nobis datur determinata ſcientia. Æternitas vero hæc mundi, non divina illa, ſed divinæ illius imago, vel imitatio eſt: juxta Mercurii illud in Aſclepio. *Deus æternus*, ait ille, *mundum non natum intra ſe habuit. At quatenus mundus Dei imago eſt, æternitatis etiam imitator eſt.*

CAPUT XI.

De æterno ultra æternum. De æterno uſque in æternum. Regnum Meſſiæ qua ratione æternum.

QUa ratione dictus eſt Deus, æternus ante æternum; dictus idem eſt, æternus poſt æternum, & ultra æternum. *Regnabit Dominus in æternum, & ultra*; dicebat Moſes in Cantico. Quoties autem Scriptura ſacra ſignificare vult quid ſemper duraturum: non

æter-

æternitate illa qua Deus durat; ſed æternitate illa qua mundus permanet: exponere illud ſolet per æternitatem Solis, & ordinem Lunæ & ſtellarum ſempiternum. Tale illud eſt de pacto æterno, quo Deus Iudæos in populum ſuum ſibi in æternum elegerat, Ieremiæ 31. *Hæc dicit Dominus, qui dat Solem in lumine diei, & ordinem Lunæ & Stellarum in lumine noctis. Si defecerint leges illarum coram me; tunc & ſemen Iſrael deficiet, ut non ſit gens coram me.* Fœdus autem illud cum Iudæis pactum, vocatur *fœdus ſempiternum.* Geneſeos 17. Iſaiæ 55. Ierem. 32. Ezechielis 37. & aliis locis innumeris. Sempiternum, inquam, & æternum; quod idem eſt. Sol ergo, & Luna, & ſtellæ, ponentur cum Iſraele, in ſempiternum & æternum. Æternum vero illud accipe, non ultra æternum; ſed uſque in æternum. Quo ſenſu intelligendus eſt Eccleſiaſtes. *Terra autem in æternum ſtat.*

Regnum Meſſiæ in æternum duraturum evincit Deus hoc argumento, Ieremiæ 33. *Si irritum,* inquit, *poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non ſit dies & nox in tempore ſuo: & pactum meum irritum eſſe poterit cum David ſervo meo.* Quod non verbis iiſdem, ſed intellectu eodem repoſuerat Pſalmus 72. *Et permanebit cum Sole & Luna in generatione & generatione.* Vbi nota, Solem & Lunam reſpondere diei & nocti Ieremiæ. Explicatur Pſalmi illud 72. *in generatione & generatione*: Pſalmo 88. *Semel juravi in ſancto meo, ſi David mentiar. Semen ejus in æternum manebit: & thronus ejus ſicut Sol in conſpectu meo; & ſicut Luna perfecta in æternum; teſtis in cœlo fidelis.* Vbi teſtis fidelis, idem eſt qui permanens & æternus. Palam illud idem elocutus eſt Pſalmus 10. *Dominus regna-*

regnabit in æternum. Iuxta illud capitis 6 Paralipomenon 1, *Firmabo ſolium ejus uſque in æternum.* Tum Danielis 6, *Regnum ejus non diſſipabitur. Et poteſtas ejus uſque in æternum.* Nempe illud fuit, quod ſcriptum eſt Euangelii Ioannis cap. 12. *Chriſtus manet in æternum.* Sed regnum Meſſiæ ſempiternum & æternum futurum, exhibuit omnium expreſſiſſime Angelus, Virginem ſanctam ſuper Filio ſuo & Chriſto alloquens. *Et regni*, inquit, *ejus non erit finis.*

Atqui revera finis erit regno Meſſiæ. Docente nos illud inconcuſſe D. Paulo, Corinthiorum 1, capite 15. *Deinde finis*, inquit, *cum tradiderit regnum Deo & Patri.* Tum paullo poſt: *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus.* Ceſſabit igitur regnare Meſſias, cum poſuerit Deus omnes inimicos ſub pedibus ejus. Æternitas ergo regni Meſſiæ, locis ſupra laudatis omnibus intelligi debet illa tantum, quæ ſecundo modo accepta, uſque in æternum erit, neque ultra æternum durabit. Cujus æterni, finis non erit, reſpectu noſtri: ſicut reſpectu eodem, principii æterni, nullum itidem principium fuit.

Regnum illud Meſſiæ æternum, quale fuerit, & quale futurum ſit, ſynopſi clara percipiemus ex capite Proverbiorum ſupra laudato, nec non ex loco hoc Corinthiorum D. Pauli. Hæc dicit Sapientia patris, quæ Meſſias & Chriſtus eſt, Proverbiorum 8. *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio. Nondum abyſſi erant, & ego jam concepta eram: nec dum fontes aquarum eruperant: nec dum montes gravi mole conſtiterant. Ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ.* Quæ

de

de æternitate Chriſti ante æternitatem, intelligenda ſunt. De æternitate inquam illa, quæ erat ante ſecula, ante tempora æterna, & ante jacta mundi fundamenta. *Ab initio ordinata ſum*, ait ibidem eadem illa; ſive, *principatum habui, à capite, ab initiis terræ. Quando præparabat cælos, aderam: quando certa lege & gyro vallabat abyſſos: quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſilirent fines ſuos: quando appendebat fundamenta terræ. Cum eo eram cuncta componens.* Quæ de æternitate Chriſti, per quem omnia facta ſunt, omnia itidem moderantis, & regnantis ſuper omnia, intelligenda ſunt. De æternitate inquam illa, quæ à ſeculis fuit, à temporibus æternis, & à jactis mundi fundamentis. Regnum ergo Meſſiæ incepit à creatione mundi, à jactis mundi fundamentis, & à temporibus æternis. A principio illo fuit quod ſine principio eſt. Deſinet regnum idem fine illo æterno, qui ſine fine erit: quo mundus qui principium habuit à ſeculis & temporibus æternis, in temporibus itidem æternis, & ſeculorum fine, haurietur. *Deinde finis*, ait D. Paulus, *cum tradiderit regnum Deo & Patri.* Fuit regnum Chriſti à ſeculo & æterno. Deſinet idem in ſeculum & æternum. *Facta ſuere* hacpropter *per Chriſtum ſecula.* Hebræorum 1. Et *Rex ſeculorum* dictus eſt Chriſtus, Timothei 1, capite 1. Imo & regnum Chriſti, *Regnum omnium ſeculorum* claruit Pſal. 144. Qua ratione vocavit D. Paulus Chriſtum, *Benedictum in ſecula ſuper omnia.* Regnabat Deus-pater ante ſecula, ante tempora æterna, antequam ordinaviſſet Sapientiam, & Principatum illi dediſſet ſuper omnia. Regnabit Deus-

Deus-pater, idem poſt ſecula; poſtquam Sapientia, quæ & Chriſtus-filius eſt, regnum Patri tradiderit in fine ſeculorum. Regnabat Deus-pater ante æternum, & regnabit ultra æternum. Regnavit Deus-filius ab æterno, & regnabit uſque in æternum. Quo ſenſu accipe pſalmi illud 90. *A ſeculo & uſque in ſeculum tu es, Deus.* Nec non quæ David idem canebat Paralipomenon 4. cap. 16. *Benedictus Dominus Deus ab æterno uſque in æternum.*

CAPVT XII.

Æternum ſignificari ſolet in ſacris literis, per durationem Solis & Lunæ & Mundi. De Ævo. De temporibus æternis. D. Paulus explicatus. Æternum indeterminatum eſt.

ÆTernitatem legis & federis illius quo Deus Iudæos in æternum ſibi aſſumpſerat; nec non æternitatem pacti illius quod Deus cum David ſervo ſuo & Meſſia pepigerat; ut ſignificaret Ieremias, per res indubitatiſſimas, utique & notiſſimas; expreſſit illam his verbis. *Si*, inquit; *defecerint leges Solis, & Lunæ, & ſtellarum, coram Domino; tunc & ſemen Iſrael deficiet coram eo.* Et rurſus. *Si irritum poterit fieri pactum Dei cum die & nocte; Pactum Dei irritum eſſe poterit cum David ſervo ejus.* Vtraque igitur indubitata & immota conſtituuntur: æternitas ſeminis Iſrael, & regni Meſſiæ: nec non æternitas Solis & Lunæ, ſtellarum, dierum & noctium. Atque ut convenienter copulantur, convertuntur etiam convenienter hoc modo. Nunquam deficiet ſemen Iſraël coram Deo: nunquam etiam deficient leges Solis & Lunæ, & ſtellarum, coram eo. Impoſſibile

eſt pactum Dei irritum unquam futurum quod pepigit cum David ſervo ejus; futurum nempe illum, & permanſurum uſque in æternum: impoſſibile etiam eſt, irritum unquam futurum pactum quod Deus pepigit cum die & nocte, futuros nempe illos in æternum, & perenniter uſque duraturos. Impoſſibile illud legis Dei unquam interituræ; nec non pacti ejus in irritum unquam abituri, intellexit Dominus ipſe capite 6 Euangelii ſecundum Lucam, ubi ait, *Facilius eſſe cælum & terram præterire, quam legis unum apicem decidere.* Legis, id eſt, federis quod Deus cum Iſraele & Meſſia ſuo pepigit. Mundus autem totus per cœlum & terram hoc loco intelligitur. Impoſſibile autem hoc, per illud æque impoſſibile demonſtravit. Nunquam ſcilicet decidet legis divinæ apex vel minimus: neque unquam præteribit mundus. Ejuſdem momenti & illud eſt quod legitur Pſalmo 72. *Permanebit Meſſias cum Sole & Luna in æternum.* Quod ita convertere in promptu erit. Permanebunt etiam Sol & Luna cum Meſſia in æternum.

Scriptum eſt Geneſeos 1, *Faciamus luminaria in firmamento cœli, & dividant diem & noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos.* Quod auctor Eccleſiaſtici retulit his verbis, capite 43. *Sol & Luna oſtendunt tempus, & ſignant ævum.* Componuntur ſcilicet tempora, diebus & noctibus, menſibus, annis, & ſeculis; quæ Sol & Luna dividunt, diſpenſant, & menſuram eorum conſtituunt. Præcipue vero Sol, qui per excellentiam, ſeculorum genitor, & pater temporis, ab antiquis inſignitus eſt. Qua de cauſa & ſancti codices æternitatem ſeculi cum Sole metiuntur.

Vulga-

Vulgare eſt apud auctores ſacros, numerari annorum hebdomadas, dari annorum menſes, annorum annos & faſciculos. Cumulantur & apud eoſdem creberrime ſeculorum ſecula, quæ innumeras annorum myriadas amplectuntur, quibus ævum conſtat. Ævum, inquam, idem quod æviternum & æternum. Quem magnum annum, & annum mundi, vere vocaveris. Cujus tempora & ſecula innumerabilia putata ſunt. Quod non mirabere, ſi reputaveris ex Scriptura ipſa ſacra, diem dierum, annum annorum, ſeculum ſeculi, & ſecula ſeculorum omnia, à temporibus æternis manaviſſe, & in tempora uſque æterna duratura. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Supputavi dies qui fuerunt à principio.* dicebat David, pſalmo 76. Cogitavit & ſupputavit dies illos, ſed illorum computum aſſequi nequivit Propheta-rex. *Nulla* enim eſt *priorum memoria*. Eccleſiaſtæ capite 1. Et vere. Memoria enim hominum finita & caduca, extendi nullo modo poteſt ad cognitionem priorum illorum, quæ infinito conſtant, & ab annis æternis derivantur.

Quaſi vero D. Paulus, locis illis quos ſuperiori capite laudavi; ubi dixit, myſterium Euangelii abſconditum fuiſſe à ſeculis & temporibus æternis: ut rem retro longiſſime abſtruſam ſignificaret, voluiſſet abſconditam fuiſſe à mundo nato tantum cum Adamo. A quo, uſque ad Apoſtolum, intercedebant anni plus minus quatuor mille. Fuiſſet hoc certe immittere quatuor guttas aquæ mare in medium, vel in ejus littus quatuor calculos arenæ: ſecundum illud quod ſcriptum eſt Eccleſiaſtici capite 18. *Qualis gutta aquæ maris, & ſicut calculus arenæ; ſic exigui anni mille, in die ævi.* Voluit nimirum auctor

Eccleſiaſtici eo loco, ut quæ proportio datur guttæ ad totum mare, nec non calculi arenæ ad totum littus; eadem eſſet mille annorum ad diem ævi; qui principium & finem rerum omnium creatarum, æternis annorum voluminibus amplectitur. Ævum enim hoc loco ſumitur, pro æternitate illa ſecundo modo accepta, quæ à temporibus æternis eſt, & perſtabit uſque in tempora æterna. Quæ ſcilicet tempora æterna componuntur ſeculis, quæ ſecula computantur annis.

Neve putes, ævum hic intelligendum eſſe de æternitate illa prima & pura, quæ nullam annorum diſtinctionem admittit, nullam recipit compoſitionem; nullam utique comparationem, cum æternitate hac ſecunda, ſeculari, & compoſita. Quamvis enim auctor Eccleſiaſtici ſumpſiſſe hoc videatur ex Pſalmo 89; ubi dicitur; Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna quæ præteriit: Notandum tamen eſt, Pſalmiſtam eo loci voluiſſe, nullam conſtitui poſſe proportionem, ſive comparationem, inter mille annos & æternitatem Domini. Quos ſcilicet mille annos comparavit cum die quæ præteriit, cum eo quod non eſt. Non entis enim ad ens nulla datur proportio. Sed hoc loco auctor Eccleſiaſtici poſuit abſolutam proportionem inter mille annos & diem ævi; cum gutta aquæ, & toto mari; cum calculo, & tota arena. Sunt enim homogenea, gutta aquæ & totum mare, calculus & tota arena, mille anni & dies ævi; qui annorum corpus & compoſitum homogeneum eſt. Comparantur quinetiam hæc invicem ſecundum illam habitudinem numeri & menſuræ qua referuntur inter ſe. At nulla poteſt conſtitui proportio inter mille annos & æternitatem

tatem Domini, quia ſunt diverſi generis. Heterogenea ſunt, mille anni, & æternitas illa pura, quæ nullis annis conſtat, nullis ſeculis & temporibus componitur. Tum neque inter ſe comparari poſſunt, ſecundum ſuas habitudines & menſuras, quia nullas habent inter ſe.

Tot & tantis teſtimoniis ſacris de principio rerum, & de Mundo creato à ſeculis & temporibus æternis, optime conveniunt quæ libro ſuperiore ex Diodoro Siculo repoſui. Antiquos tum Phyſiologos tum hiſtoricos ſtatuiſſe Mundum æternum, nec non hominum genus affirmaviſſe ab æterno. Quod Diodorus idem de Chaldæis loquens, ita explicavit. Mundi naturam ſempiternam crediditſſe illos, quæ *non certum* principii ſui ortum haberet. Non enim negavere illi principium Mundi, ſed incertum & incognitum exiſtimavere, juxta Eccleſiaſtæ illud, *Priorum non eſt memoria.*

Æternitas illa, incerta, & indeterminata fuit. Quapropter & in Bibliis, æternum perſæpe indeterminatum eſt. Tale illud quod legitur Geneſcos 6. *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum.* Æternum eo loci, longinquum indeterminate eſt. Quod ex ſequentibus patet. *Eruntque dies ejus, centum & viginti annorum.* Fixit ſcilicet Deus in centum & viginti annis ætatem hominum, quæ antea longior multo & indeterminata fuerat. Intelligendum idem eſt de Servo illo, cui Dominus ſubula aurem perforaverat, Deuteronomii 15. *Serviet tibi uſque in æternum.* Id eſt, indeterminate, & quam diu vivet. Innumeros ejuſdem argumenti locos alios prætereo.

Conſtet ergo, creationem Mundi quæ à ſeculis & temporibus æternis fuiſſe traditur, ab

utriuſque fœderis auctoribus nullo modo definiri potuiſſe ab Adamo formato, ſecundum utramque æternitatis ſignificationem. Sive æternum à ſeculis & temporibus innumerabilibus petatur. Sive illud pro indefinito & indeterminato accipiatur. Compertum enim eſt, tempora non eſſe innumerabilia quæ à nobis ad Adamum uſque computantur. At neque indefinita & indeterminata in illo ſunt. Definiuntur enim & determinantur tempora in Adamo, noto ſeculorum computo. Differentia porro maxima eſt inter priora quæ fuerunt ab Adamo, & priora quæ fuere à principio rerum. Priorum horum nulla neque datur memoria neque notitia. Priorum ab Adamo, memoria & notitia certiſſima eſt.

CAPUT XIII.

De ætatibus animantium deſcriptis ab Heſiodo & Auſonio. Quare ignoratæ hiſtoriæ primorum hominum. Ex Platone. Ex mutatione epocharum. Terrarum Aborigines ignorantur.

SÆpenumero miratus ſum ætates animantium illas, quas Heſiodus recenſuit. Ætatem juſtam hominum, annorum eſſe nonaginta ſex. Cornicum, octingentorum ſexaginta quatuor. Cervorum, trium millium quadringentorum quinquaginta ſex. Corvorum, decem millium tercentorum ſexaginta octo. Phœnicis, nonaginta trium millium, trecentorum & duodecim. Nympharum, nongentorum triginta trium millium centum & viginti. Ætates nempe illas verſibus Græcis incluſerat Heſiodus, ex traditione Heſiodo antiquiore multo, ut conjicere eſt, quam erat antiquus Heſiodus Auſo-

Auſonio; qui ex illo ætates eaſdem verſibus latinis longo poſt tempore comprehendit. Fabuloſa ſed enim credidit Plinius, quæ de Phœnice & Nymphis ſcripſit Heſiodus. Eſto, fabuloſa fuerint. Sed & illa eadem ex fabuloſa, id eſt retroantiquiſſima traditione hauſiſſe Heſiodum evincunt. Traditione ſcilicet illa, quæ ætates cornicum, cervorum, & corvorum, de quibus non dubitavere antiqui, tam juſtis & definitis ſpatiis diſcluſerat. Quaſque non niſi pluribus, & multoties vel repetitis vel auditis experimentis, circumſcribere potuerat. Neque vero tam ineptas nænias verſibus eximiis deſcribere dignati eſſent; tum Heſiodus, ſenex doctiſſimus & elegantiſſimus; tum Auſonius, poeta venuſtiſſimus & acutiſſimus; ſi putaviſſet uterque, rerum principium deducendum fuiſſe ab Adamo: à quo uſque ad Heſiodum, neque dum elapſa erat Cervi unius ætas.

Has ætates, & hos fines, cohibere fata animantium voluere Vates illi. Cæteras vero ætates; Mundi puta, cœli, & ſyderum, noviſſe Deum Ævi arbitrum. Ævi, inquam, quod *ſecretum* eo loci vocavit Auſonius, utpote Deo ſolo notum. Seculorum ſcilicet æternorum quæ fuere à principio, notitia abſcondita fuit hominibus, conſilio Dei illo, quo non omnia poſſe & ſcire homines voluit. Quoque in primis, occaſiones & diſpenſationes temporum ignorare illos, ſapientiæ ſuæ conducibile putavit. Secundum illud Domini ipſius ad cœlum jam jam aſcenſuri. *Non eſt veſtrum noviſſe tempora quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Actorum capite I.

Cauſas inſcitiæ illius referebant Ægyptii, auctore Platone, ad varia hominum exitia, quorum maxima igni & aqua fiebant, minora vero

innumeris modis aliis. Eorum quæ circa terram & in cœlo volverentur, emanare aiebant illi, longorum temporum curriculo, commutationes quaſdam atque evariationes. Vnde vel regiones excelſiores nimio igni inflammatæ conſumerentur, vel depreſſiores nimia imbrium effuſione immergerentur. Ægyptios autem conflagrationum & inundationum exortes eſſe, Nilo eos à conflagratione ſervante. Atque illam eſſe regionis ſuæ temperiem, ut nullus imber deſuper effuſus, vel illos unquam irrigaret, vel unquam irrigaviſſet. Neque illos alia unquam aqua perlui, quam illa quæ vel è Nilo ſuperflueret, vel è terræ viſceribus ſcaturiret. Proinde, cum neque incendio ingenti flagrarent, neque aqua nimia obruerentur; apud illos, licet alias pauciores, alias plures, ſemper tamen homines ſervarentur, neque eorum vaſtities tota eſſet. Quamobrem apud illos antiquiſſima rerum monimenta ſervari. Tumque ſua & aliarum nationum geſta, ſi quæ audiviſſent memoratu digna, diligenter in templis ſuis fuiſſe deſcripta & curioſe recondita. Græcos autem & ceteros populos, lue cœlitus immiſſa, vel aqua vel igni conſumptos, certis temporum curriculis, & literis & cognitione rerum orbatos, tanquam à primis rerum elementis repueraſcere, neque ſcire quid vel apud ſe, vel apud exteros geſtum ſit, niſi per nebulam aut fabulam. Ab illo itaque principio quod notitiæ ſuæ principium eſt, caput rerum manaviſſe putant; illudque tranſdere poſteris unice ſatagunt. Hactenus Plato.

Adde his longinquam ævi vetuſtatem, quæ omnia mutat & conſumit: à cujus ingluvie neque ſe Ægyptii vindicare potuerunt. Quamvis enim plurima illi oſtentarent rerum ſuarum &

ex-

exterarum monimenta, à permultis retro-annorum millibus conſcripta: perierant tamen apud illos tempora Vulcani Dei, Regis ſui; tum ſolis filii ejus. Adjunge diluviis, incendiis, & helluoni ævo, craſſam illam ignorantiam; quæ aliis atque aliis ſeculis per totum terrarum orbem graſſata; ignibus, aquis, & tempore ipſo potentius, rerum anteactarum memoriam deleverat, hauſerat, & conſumpſerat. Huc etiam revoca malignas hominum mentes, & diras Regum quorundam libidines. Nabonaſſari puta Chaldæi, à quo uſque ad mortem Alexandri, anni fuere quadringenti viginti quatuor. Ille omnium ante ſe Regum facta curaverat abolenda: ut à ſe novum principium rerum & regnantium duceretur. Vnde & Nabonaſſari æra ducta eſt. Retulit autem Alvarez à Semedo Luſitanus in hiſtoria ſua Sinenſi, Regem quendam nomine *Tein*, juſſiſſe edicto comburi Sinenſium libros omnes, ſolis Medicorum libris exceptis. Imo & tantam calamitatem tam anxie procuraviſſe per quadraginta annos quibus regnavit, ut & literas & literatos ſui ſeculi omnes penitus everterit. Quinimo illa fuit victorum Principum ambitio, quæ rationem temporum maxime interturbavit; cum mutaverunt epochas, temporum titulos nominibus ſuis notari voluerunt. Hinc noti illi indices, Alexandri, à morte ejus: Auguſti, à clade Actiaca; & quæ Diocletiani Epocha dicta eſt. Veteres vero Ægyptii renovabant annorum ſuorum intervalla, quoties à novis Regibus & victoribus legem accipiebant. Quod eos ſæpius factitaſſe aſſerit Scaliger libro 3. de emendatione temporum.

Vt variis & multiplicibus ruinis oppreſſæ fuerunt terrarum plagæ omnes: ſucceſſive tamen & alter-

alternis, quod ſtatuendum eſt, neque uno omnes impete & tempore. Vt homines in his regionibus perditos, ſarcire illis oportuit, qui in terris aliis generationis luxurie redundaverant. Vt variis fortunis & caſibus hinc atque hinc disjectum fuit hominum genus, neque ſemper nativis ſuis ſolis ſtare potuerunt terrarum incolæ. Accidit hinc quod neque terrarum ulla ſuis ſe Aboriginibus veris jactare poſſit: id eſt, natis ex primis illis hominibus, qui à principio rerum & creationis germine, hac & illac undequaque prodierant. Atque hinc fit quod nullam fidem adhibeam, vel Ægyptiis, vel Æthiopibus, vel Scythis, ubi ſe vel Aborigines, vel populorum antiquiſſimos gloriantur.

Chriſtiani patres qui primis à Chriſto ſeculis vixerunt, quos & *Filios lucis* appellare fas eſt: ut neque prudentiores fuerunt filiis ſeculi in generationibus ſuis, ita neque illis in generationibus iiſdem diſquirendis ſagaciores & perſpicaciores fuerunt. Sapuere illi ſcilicet quæ cœli erant & creationis ſecundæ: neglexere quæ terræ erant & creationis primæ. Atque ut lectioni ſacrorum codicum mordicus adhæſerunt, fabulas generationum gentilium, qui ſe Aborigines putabant, optime utique rejecerunt. Sed parte alia, negligenter nimis, pace illorum dixerim, in Adamo ſolo morati ſunt; eumque primum hominum omnium parentem cenſuerunt, eo ſolo quod Adamum primum hominum legerunt apud Moſem.

Negligentia quæ primos occupavit, ſequentes habuit Chriſtianos Antiſtites, qui non alios noverunt quam Adamo genitos homines. Quin & hæreticos pronunciavere illos, qui Adamo genitis hominibus oppoſuerant antichthones,

&

& adverſipedes: non alio argumento quam quod ex alio quam Adamo credendi eſſent oriundi. Vellem vero viverent D. Auguſtinus & Lactantius, qui Antipodas & vulgatam de illis opinionem ludibriis inſectati ſunt. Miſereſceret eos non dubio ſui ipſius, ſi viderent vel audirent quæ de Americanis & Auſtralibus, ſeculo hoc oculatiore, detecta & cognita fuerunt: tum & terras plures incognitas, hominibus plenas, ad quas nulla fama eſt Adami nepotes unquam permeaviſſe.

CAPUT XIV.

Falluntur qui origines omnium hominum deducunt à Noaci nepotibus. Refellitur Grotius de origine Gentium Americanarum.

OMnibus hic mos eſt qui origines Gentium exquirunt, deducere illas à diluvio ex Noaci nepotibus, qui fuere nepotes Adami. Illud autem ſtudio tanto ſolicitant Viri magni, (quos & maximi facio, & honore meo ſemper celebro) ut nihil intentatum relinquant, quo origines ſuas omnes ex ſtipite illo exſculpant. Atque ut ex antiquis monumentis, vel ex traditione vetuſta, vel ex nominis cujuſdam obſoleti, & intorti ſimilitudine, vel ex aliqua alia conjectura, quoſdam imaginantur, qui ad has vel illas terrarum partes appuliſſe creduntur; eoſdem ilicet conditores, genitores, & patres gentium illarum ſtatuunt. Quaſi vero Italus, verbi gratia, qui in Italiam aufugit, & nomen Provinciæ dedit, genitor & pater habitatorum omnium Italiæ fuerit; neque ante Italum homines ſuos terra illa habuerit. Quaſi vero Franci, auctores & primi patres totius gentis Gallicæ

putandi ſint, neque ante Francos Galli fuerint; quia Franci Galliam occupaverunt, & nomen Provinciæ mutaverunt, Franciamque ex Gallia fecerunt. Quaſi vero denique Peruani è Sinenſibus orti exiſtimandi ſint; quia fragmentum cimbulæ, Sinenſium cimbis ſimile, in ripis Peruanorum repertum eſt. Qui talia conjiciunt, ſimiles mihi videntur diobolari Medico illi, qui ægrotum quem curabat, comediſſe aſinum conjiciebat: nimirum, quia clitellas aſini ſubter lecto ægroti deprehenderat.

HUGO GROTIUS diſſertationem ornaverat de origine gentium Americanarum, quas ducebat à Norvagis; qui abhinc annis circiter octingentis, in Iſlandiam traducti fuerant; ab Iſlandia vero in Groenlandiam trajecerant: quoſque ex Groenlandia per adjacentes terræ illi inſulas, ad Americam ſeptentrionalem tranaviſſe conjectabat. Refutaverat conjecturam Grotii Latius. Vindicavit ſe à Latio Grotius: & quæ refutaverat Latius, redintegrare hoc (quod putavit) abſurdo niſus eſt. *Quodſi*, inquit, *Americani Germanici non ſunt*: (Germanici & Norvagici, perinde illi fuerunt) *jam à nulla gente orti erunt. Cui conſequens eſt ut credantur; aut ab æterno fuiſſe, cum Ariſtotele; aut ex terris orti, ut de Spartanis fabula eſt; aut ex Oceano, ut voluit Homerus; aut aliquos ante Adamum fuiſſe conditos homines, ut nuper aliquis in Gallia ſomniavit. Si hæc credantur*, pergit ille, *magnum video periculum pietati*.

Legerat paulo ante Grotius Exercitatiunculam de Præ-Adamitis, indigeſtam & palimpſeſto relatam, quam ille, benevoli animi ſpecie, per amicum interpretem à me petierat; quaque illum communicaveram, benigne & liberaliter, non

ut me contumelioſe traduceret. Neque verò meum eſt hoſtire,& ſepultis manibus inclementer dicere. Ille ſuam ſecum habeat contumeliam, ſervetque ſepulchro. Hoc ſatago, ne tanti viri imago, quæ graditur ſuper terras, cum magna opinione multiplicis & reconditæ ſcientiæ, plures deludat qua pollet eloquii illecebra, & veriſimilis phalera conjecturæ.

Argumentum tale inſtituerat Grotius. Appulere Norvagi ad Groenlandiam. Itur porrò ex Groenlandia in Americam. Fuere igitur Norvagi, auctores & patres gentium Americanarum. Concedamus Grotio, rectam eum argumentandi rationem iniviſſe, & recte proceſſiſſe quæcumque ſuper illo præſtructo conſtruxit. Certe, ſi propaganda fuerat America ex ſemine hominum Groenlandico, quod foret indidem Norvagicum: Probandum illi erat ex profeſſo, & ante omnia; Norvagos, qui Groënlandiam primi tetigerunt, reperiſſe illam mutam & vacuam, & ſolos ventos deſertis terræ illius frondibus adſpiraviſſe: ut inde concluſionem hanc eliceret; primos hominum Norvagos Groenlandiam hominibus conſeviſſe; qui deinde effuſi per oras finitimas, plantaria hominum eadem per Americam diſſeminaviſſe crederentur. Atque hinc Americanos utique, & Groenlandos, à Norvagis revera oriundos. Probare inquam debuerat, Groenlandos ortum duxiſſe à Norvagis; priuſquam conjicere inſtitueret, Americanos, à Groenlandis propagatos, originem eandem retuliſſe Norvagicam.

Certum vero & comprobatum eſt; Norvagos, qui arena Groenlandica primo potiti ſunt, in partibus ad Orientem ſitis, deſertis & aſperis, quas Norvagi vocabant Oſtrebug, ubi partes

occidentis cultiores explorare voluerunt, quas illi Weſtrebug dicebant, inveniſſe illas armentis & quadrupedibus omnigenis fœtas; tum hominibus plagæ illius incolis refertas, quos *Schlegringos* nuncupabant, quique irruentes Norvagos finibus ſuis non ſine clade repulerunt. Cujus rei vera & ſincera exponitur narratio in Chronico Groenlandico Danice conſcripto, quod penes illuſtriſſimum GAUMINUM eſt, in omnibus linguis omniſcium: quodque ipſe apud Danos ipſos didici. Adventores igitur, non parentes Groenlandorum, fuere Norvagi. Multo minus ergo Americanarum gentium conditores.

Phantaſmata porro ſunt Grotii, ad oſtentationem reconditæ literaturæ concinnata, quæ retulit: multa reperiri apud Americanos vocabula cum Germanis congruentia: tum mores Americanorum quamplurimos Germanorum moribus, ut lac lacti eſt, ſimillimos. Quod variis nempe exemplis ambitioſe demonſtravit, ut oſtenderet, Americanos mores illos habuiſſe à Norvagis, qui eoſdem primo à Germanis hauſerant. Miſſam vero faciamus primordialem catenam illam, qua Germanos, Norvagis, Norvagos Groenlandis, Groenlandos Americanis, & gentem genti, propagationis nexu inſertare voluit Grotius. Res vera eſt, & toti Hafniæ Danorum metropoli notiſſima, quamque ipſe in urbe eadem à Danis ipſis accepi: degiſſe Hafniæ Groenlandos barbaros à Danis captos, abhinc triginta plus minus annis: imo duos per ſpatium duodecim annorum tanquam Danos habitos; qui Danicam tamen linguam nulla unquam ratione ediſcere potuerunt; quippe nullam prorſus cum Norvagis, neque vocabulorum, neque morum, haberent communitatem. Illa autem pluribus enar-

enarravi in relatione Groenlandica, quam Gallico ſermone edidi. At, ſi nihil Groenlandis commune fuit cum Norvagis, vel in ſermone vel in moribus; alio certe quam per Groenlandiam transfretaviſſe Norvagos in Americam oportuit, ut vocabula & mores Germanorum Americanis inderent.

Quid vero haberet quod diceret Grotius, ſi viveret, & legeret in Chronico Groenlandico, Schlegringos Groenlandiam habitaviſſe antequam Norvagi ad illam adventarent? Qui genus, unde domo, conjiceret homines illos? Statueretne, vel ab æterno fuiſſe, vel ex Groenlandia ipſa ortos, vel ab Oceano in terram illam ejectos, vel ab alio quam Adamo conditos? *Si hæc crederentur*, ait ille, *magnum video periculum pietati.* Periculum autem magnum illud quod vidit, in hoc præcipue fuit; quod inde putavit eversum iri funditus peccati Adamici rationem: quia, non niſi ex traduce Adami potuiſſe in omnes homines pervadere & omnibus hominibus imputari peccatum illud, vulgatus eſt Theologorum omnium conſenſus.

Hoc ergo jam agendum mihi eſt, & probandum unice incumbit; non opus fuiſſe Adamo genitore, & Adami traduce, ad imputationem & participationem peccati Adamici: ratione eadem qua non opus utique fuit Chriſto genitore, & Chriſti traduce, ad imputationem & participationem gratiæ quæ in morte Chriſti eſt. In his autem totus erit liber ſequens; cujus principium à fine hujus erit.

S y-

SYSTEMATIS THEOLOGICI

LIBER QUINTUS.

CAPUT I.

Mori debuerunt homines, qui immortales evadere debuerunt. Moriuntur homines in Chriſto. Debuerunt prius peccare & condemnari in Adamo. Moriuntur homines in Chriſto ſpiritaliter, & ratione myſterii. De fictionibus & myſteriis juris. De myſteriis divinis; quæ fuere vel fictiones, vel parabolæ, vel ſimilitudines myſticæ. Morimur ſpiritaliter ad ſimilitudinem mortis Chriſti. Peccavimus ſpiritaliter ad ſimilitudinem peccati Adamici.

Repetenda ſunt quæ à principio Syſtematis hujus, & in anteceſſum, poſui. In novam formam vertendi erant homines, qui ſecunda creatione reficiendi erant. Quod non niſi prioris formæ deletione, & primæ creationis extinctione confici potuit. Idem ſcilicet hominibus corruptis & mortalibus contingere debuerat, quod decrepito & capulari Peliæ, quem Medea occidit & in fruſta ſecuit, ut ejus ſenectutem juventute mutaret. Mori debuerant corrupti & mortales homines; ut corruptionem incorruptione, & mortem immortalitate rependerent. Sed atrox viſa eſt Deo ſtrages illa; qua homines omnes tanquam in mortario pinſitaret, ut illos denuo effingeret. Medicare maluit quos tundere noluit. Et myſterio perfecit, quod piſtillo & du-

riori

riori manu conficere, non ſibi conveniens exiſtimavit. Mori homines decrevit in morte unius hominis, qui pro illis piacularis foret. Neque vero in morte unius hominis, ſimpliciter hominis, ſed hominis-Dei. Dei ſcilicet & Spiritus illius, qui ex Deo eſt incorrupto & immortali, incorruptus & immortalis ipſe. Quique ad ſimilitudinem carnis corruptæ & mortalis fieret; ut per hanc ſimilitudinem, corruptos & mortales homines, incorruptione & immortalitate donaret.

Decrevit Deus homines mori in morte hominis illius Dei, qui Chriſtus eſt. Sed (quæ fuit ratio diſpenſationis divinæ & myſticæ, hominibus incognita) mortem hominum anteire debuit decretum mortis; quæ condemnatio mortis in illos eſſet. Condemnationem vero hominum præceſſura erat condemnationis cauſa; quæ reatus ex peccato illorum fuit. Reos igitur fieri homines oportuit ex peccato ſuo; antequam peccati damnarentur, & capite ex peccati condemnatione plecterentur. Reatus autem ille eſt Apoſtolo, *condemnatio peccati in carne*; hoc eſt peccati illius naturalis, quod nullam imputationem & nullum reatum, atque adeo nullam condemnationem contraxerat ante legem. *Peccatum* enim *in carne* idem eſt, quod peccatum carnale, materiale, & naturale.

Iuſtus eſt, & juridice agit Deus cum hominibus. Nihil autem contra Deum peccaverant homines, cum fervor ille pectoris qui homines tentat, naturæ imperfectæ corruptela, rapuerat eos in præceps à perfecto creationis, ad imperfectum materiæ ſuæ. Nullus utique cenſeri potuerat reatus à Deo judice, nulla legitima decerni damnatio, nulla mors juridice infligi hominibus, ex deflexu illo ſolo, quo homines ſui juris ante

legem,

legem, & nullo mandato cohibiti, converſi fuerant à rectitudine creationis divinæ in pravum figmenti ſui. Quo igitur decreto myſtico voluit Deus homines omnes mori in uno homine Deo: eodem myſterii ratione conſtituit omnes peccare, reos fieri,& ex lege condemnari in uno homine: homine autem non Deo, ſed ſimpliciter homine. Mori omnes voluit Deus in Chriſto: peccaviſſe omnes in Adamo.

Obumbravit virtus altiſſimi; qui Deus eſt, virginem intactam; & natus eſt Chriſtus, in quo omnes homines morerentur: Victima pura ex Virgine pura, & genere ſata Iudaico. Nimirum, ut à Iudæis, & Iudæorum ſemine Chriſto, ſalus eſſet omnibus hominibus. Quæ fuit ratio Electionis myſticæ, apud Deum abſcondita. Finxit Deus Adamum, Iudæorum patrem, ex terra communi & immunda, corruptibilem & ipſum; cui daret legem ſuam: quam ſi violaret ille, omnes homines ſe in illo impiarent, rei in illo fierent, & ex lege in illo condemnarentur. Nimirum, ut à Iudæis viciſſim, & Iudæorum patre Adamo, damnatio eſſet omnibus hominibus. Ceterum, neque naſci debuerant homines ex traduce Chriſti, ut in illo morerentur; neque itidem naſci neceſſe erat homines omnes ex Adami traduce, ut in illo peccarent. Totum illud myſterium, ſalutis & damnationis hominum, in Chriſto & Adamo, perfecit myſterium ipſum: Id eſt, ſpiritalis & divina ratio, quæ ſupra naturam fuit; quæque omnibus hominibus intellectu & myſterio, non natura, ingeneratur.

Facilius autem vim myſterii illius concipiet, quicunque intellexerit rationes fictionum juris, quæ juris fuere myſteria: quorum virtute, capite minuebantur homines, immutabantur & reſti-

tuebantur eorum ſtatus: quibus itidem rata fiebant pacta illorum conventa; & quorum formulis acquirebantur olim, imo etiam nunc acquiruntur pleraque rerum dominia. Poterant certe hæc omnia ſortiri ſuos effectus, & vim ſuam naturalem exerere, nudo pacto, & nudo conſenſu, nullis adhibitis fictionibus. Sed vim majorem & meliorem quaſi indolem addidiſſe naturæ viſi ſunt legumlatores, qui legitima ſuæ artis rebus illis quæ naturaliter aguntur, inſeruerunt. Qua ratione ſolent generoſiores ſurculi inoleſcere, qui ramis agreſtibus, & quos ſponte ſua creavit tellus, ſecundum artem inſiti ſunt.

Qui degeneres creationis ſuæ perfectæ homines regenerare Deus inſtituit: noluit opus hoc perficere directo illo & naturali ordine, quo pleræque res geruntur apud homines: ſed per ſinuoſos myſteriorum anfractus, per rationes, per applicationes, & ſpiritales quaſi inſitiones, longe ei ſatius viſum eſt rem illam totam abſolvere. Myſteriorum illorum cauſas adorare liceat, ſi ſcrutari non licet. Vocaverim vero lubens myſteria illa, vel *Fictiones ſacras*, vel *Parabolas & ſimilitudines*. Quales vocavit Apoſtolus loco illo capitis undecimi epiſtolæ ad Hebræos; ubi fingitur Iſaacus, figura Chriſti, animam poſuiſſe ſub cultro patris ſui: & poſt mortem illam parabolicam, ſive aſſimilatam morti Chriſti, fingitur idem reſurrexiſſe ad ſimilitudinem reſurrectionis Chriſti. Vbi fingitur, inquam, Abrahamus immolaviſſe filium ſuum; & rurſus accepiſſe illum, ἐν παραβολῇ, ſive in ſimilitudine reſurrectionis. Quod de induſtria, & mirum in modum ſubtiliter, notavit loco illo divinus Apoſtolus.

Mori homines in morte Chriſti ad parabolam

&

& ſimilitudinem mortis ejus, docuit nos D.Paulus capite 6. epiſtolæ ad Romanos. Quo loco diſerte demonſtravit, ingenerari hominibus per baptiſmum, non ſolum ſimilitudinem mortis Chriſti; ſed etiam inoleſcere iiſdem, ſacramento eodem, ſimilitudinem reſurrectionis ejus. Εἰ γὰρ, ait ille, *σύμφυτοι γεγόναμεν τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ ἀναστάσεως ἐσόμεθα.* Atqui docuit nos Apoſtolus idem capite 5. ejuſdem epiſtolæ, homines peccaviſſe, reos factos, & damnatos fuiſſe in Adamo, quicunque peccaverant ad ſimilitudinem transgreſſionis ejus; *ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ.* Eadem ergo parabola & ſimilitudo, non naturæ propagatio, intelligenda eſt, in eo quod homines omnes peccaverunt in Adamo: quæ intelligitur parabola & ſimilitudo, non naturæ propagatio, in eo quod homines omnes mortui ſunt in Chriſto. Quod ut plenius intelligatur, agendum eſt plenius de peccato ipſo Adami: quod *peccatum originis* vulgo dicitur.

CAPUT II.

De peccato originali. Eſt inhærens. Eſt imputatum. Quid ſit imputare. Imputatur quod communione quadam junctum eſt cum eo cui imputatur. De communionibus & conjunctionibus rerum, phyſicis, politicis, & myſticis. Chriſtus myſteriorum omnium finis. Referri debuit Adamus ad Chriſtum: non vice verſa Chriſtus ad Adamum. Imputari debuit Adamus hominibus, qua ratione Chriſtus imputatur hominibus: ſpiritaliter & myſtice.

QVæ ſuper peccato originis præſtruam, adſtipulatores habebunt Theologos omnes orthodoxos. Conſideratur peccatum

tum illud dupliciter. Vel quatenus vitium eſt: vel quatenus reatus eſt. Quatenus vitium eſt, naturaliter inhæret hominibus. Quatenus reatus eſt, aliunde eiſdem advenit; & ab Adamo in illos tranſiit. Proprium illud hominum omnium: alienum & Adamicum hoc dicitur. Primum, materiale; ſecundum, formale peccati eſt. Peccatum materiale, proprium, & inhærens; definitur, *Morbus hæreditarius, ſive labes, in qua homines omnes concipiuntur & naſcuntur.* Iuxta illud Pſaltis. *In peccato concepit me mater mea.* Peccatum formale, quod alienum & reatus eſt: *Inobedientia Adami eſt, quatenus omnibus hominibus imputata fuit.* Iuxta illud Apoſtoli. *Per inobedientiam unius, peccatores conſtituti ſunt multi.* Materiale peccati, quod peccati lues & vitium eſt proprium & inhærens; propagatione fit, ex materia & natura hominum corruptioni dedita. Formale peccati, quod peccati reatus eſt alienu; & tranſiens; imputatione ortum habuit, ex tranſgreſſione legis quam Adamus violavit.

Imputare alicui peccatum alterius, eſt, eundem eodem loco habere, ac ſi ipſe peccatum illud commiſiſſet. In quo requiritur, ut perſonarum altera peccatum illud actualiter non commiſerit. Alioqui jam non alienum peccatum, ſed ſuum ſibi imputaretur. Imputatur porro peccatum perſonæ unius perſonæ alteri, quæ illi communione quadam juncta eſt: Ita ut habeat cum illa cujuſdam corporis & ſocietatis rationem & ſimilitudinem. Qualis enim fumus igni admotus concipit flammam, propter ſimilitudinem & aptitudinem quam habet fumus ad flammam: Tales etiam communione & conjunctione inter ſe res affectæ, ſuſcipiendis imputationibus ido-

idoneæ ſunt; propter ſimilitudinem & aptitudinem quam illæ ad has habent.

Communiones & conjunctiones rerum, propter ſuam ſimilitudinem imputationibus habiles, triplices ſunt. Phyſicæ, Politicæ, & Myſticæ. Imputatur filiis patrum ſuorum crimen; propter communionem & ſimilitudinem Phyſicam, qua filii patribus ſuis geniti, cum illis phyſice & naturaliter conjuncti ſunt. Cenſentur ſcilicet filii peccaviſſe in lumbis patrum ſuorum, ratione eadem qua Levi decimatus dicitur in lumbis Abrahami. Hebræorum 7. Nec non argumento eodem quo Iudæi omnes dicti ſunt apprehenſi à Deo, in manu Abrahami patris eorum. Iſaiæ 41. Imputationum, propter communionem & ſimilitudinem naturalem ſtatutarum, leges extant, tum divinæ, tum humanæ. Divinæ ſunt, quibus Deus *viſitare dicitur iniquitates patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* Et ſecundum leges illas, *filiorum dentes obſtupuiſſe dicuntur, quorum patres comediſſent omphacem.* Humanæ leges ſunt: quibus pœnæ in ipſos perduellium filios ex patrum ſuorum reatu decretæ ſunt. Exempla vero, tum divina, tum humana proſtant, flagitiorum patrum filiis ſuis adſcriptorum. Luculentum inter divina illud eſt, ſeptem filiorum Saul: quos reſpondente & jubente Deo, David piaculares tradidit in manus Gabaonitarum; qui illos crucifixerunt in monte, *coram Domino*, ait Samuel; quia Saul pater eorum fidem olim fefellerat Gabaonitis, & plures eorum crudeli exemplo trucidaverat. Legitur vero Alexander, velut ultor publicæ ſecuritatis, Tyro expugnata, cruci affixiſſe Tyrios omnes prœlio ſuperſtites, proavis & mancipiis illis editos, qui longo ante tempore populum omnem

Tyri

Tyri liberum, cum dominis, immaniter, & conſpiratione facta, interfecerant.

Imputavit Deus populo Iudaico numerationem quam juſſerat David, & ſeptuaginta eorum millia peſte conſumpſit, propter peccatum Regis ſui: ratione illa communionis & conjunctionis Politicæ, qua Regnum totum res quædam unica & continens cenſetur; Animalis inſtar, cujus caput Rex eſt. Atque ut manu patratum homicidium, non imputatur ſoli manui, ſed toti homini: ſic in corpore politico, quod facit caput, quatenus caput, hoc toti corpori imputatur. *Iovis opus eſt*, inquit Heſiodus, *commune ſupplicium urbibus inferre, propter delicta Magiſtratuum.* Ita propter violatum ab Agamemnone Sacerdotem Apollinis, totus fere Græcorum exercitus peſtilentia exhauſtus eſt. Et quicquid delirabant Reges, Achivi plectebantur. Neque ſolum quod facit civitatis caput, ſed quod peccat corporis illius membrum aliud, populum omnem reatu obſtringit. Quale de Achan legitur, qui de anathemate uſurpaverat, & in cujus ſacrilegio totus Iſrael peccaviſſe dicitur. Ioſuæ 7. Nec non quod ſcriptum eſt Iudicum 19, de concubina Levitæ, quam habitatores Gabaa de tribu Benjamin, uſque ad mortem moluerant. Quorumque flagitium toti Tribui ad rigorem adeo imputatum eſt; ut tota Tribus propter illud nefas, extincta & deleta pene fuerit. Neque vero talem imputationis ſpeciem ignoraverunt Ethnici. Teſtis Heſiodus. *Multoties*, inquit, *tota civitas ob malum virum punitur.* Tum Horatius. *Sæpe Dieſpiter Neglectus, inceſto addidit integrum.*

Imputationum quæ propter alienum peccatum ex communione politica contrahuntur; aliæ

ſunt

ſunt Iuris gentium, Iuris civilis aliæ. Imputatum fuit Iure gentium Iudæis omnibus Sedeciæ Regis ſui perjurium; propter quod victi & dediti, Babylonem captivi ducti ſunt. Iure eodem gentium imputatur Reipublicæ aut Regno, quicquid Legati eorum tranſegerunt: tum obſidibus, quicquid patratur ab eis qui eos dedere obſides. Imputatur Iure civili toti Populo, quicquid Syndicus egit pro populo: Mandatoribus, quicquid geſſere Procuratores vel defenſores eorum: Municipio & collegio, quicquid Actores municipii & collegii pro illis advocaverunt. Pupillis porro & Minoribus imputatur, quicquid Tutoribus & Curatoribus, ſuis auctoribus, in illos judicatum eſt.

Sunt & corpora Myſtica, quæ propter communionem & ſimilitudinem Myſticam, ſuas ſibi imputationes alliciunt. Tale illud eſt corpus myſticum, quo homines omnes propter ſuam cum Chriſto ſimilitudinem, quodam veluti ferrumine myſtico cum illo conjunguntur. Non enim Angelum ſed hominem Deus induit; ut per omnia ſimilis fieret hominibus, abſque peccato. Vt compati poſſet hominibus, & pro illis piacularis foret; Ratione illa communionis & ſocietatis Myſticæ, qua mors ejus omnibus hominibus imputari valuit. Talis & illa eſt communio & ſocietas Myſtica, propter quam fides Abrahami imputata fuit fidelibus omnibus. Et filii Abrahami dicti ſunt fideles omnes; non filii naturæ; ſed filii adoptionis & ſimilitudinis Myſticæ, quæ naturam imitata eſt. Secundum eandem omnino communionem & ſocietatem Myſticam, imputatum fuit peccatum Adami omnibus hominibus. Quamvis enim formatus fuerit Adamus ipſiſſimis Dei manibus; formatione præ-

ter

ter alios homines peculiari & electa: compegerat tamen illum Deus, quod alias notavi, eodem luto, eadem terra communi, nec non eadem materia corruptioni obnoxia, qua ceteri homines ſubacti ſunt. Et per omnia ſimilis factus eſt Adamus omnibus hominibus cum peccato ipſo. Imo, quatenus peccatum vitium fuit naturale inhærens & proprium Adamo ipſi, utique & omnibus hominibus. Tum quatenus propter illam communionem & ſocietatem peccati, idonei fuere homines ſuſcipiendæ imputationi, ex tranſgreſſione Adamica.

Creditur vulgo; imputatum fuiſſe Chriſtum mortuum hominibus, quia eiſdem imputatus fuerat Adamus peccator. Fruſtra ſunt qui illud putant. Imo è contra; imputatus fuit Adamus peccator hominibus, ut eiſdem imputaretur Chriſtus mortuus. Non enim referri debuit Chriſtus ad Adamum; ſed vice verſa, referri debuit Adamus ad Chriſtum. Tendunt ſcilicet omnia ad finem ſuum propter quem ſunt omnia. Myſteriorum vero omnium finis fuit Chriſtus. Myſteria ergo omnia fuere propter Chriſtum proprie, neque Chriſtus proprie propter illa. Adamus certe typus fuit Chriſti. Chriſtus vero Adami fuit prototypus. Typus autem refertur ad ſuum prototypum; non è contra, prototypus ad ſuum typum. Neque alia de cauſa peccatum Adami imputatum fuit hominibus, quam ut mors Chriſti quæ hominum peccata procuraret, & recreationem eorundem faceret, imputata illis foret. Prima ergo fuit in conſilio Dei imputationis ratio in morte Chriſti. Secunda in peccato Adami. Scriptum hac propter legas Apocalypſeos 13. *Chriſtum agnum fuiſſe à Mundi conſtitutione occiſum.* Imo & myſterium ſan-

guinis ejus effuſi *præcognitum ſive decretum fuiſſe ante ipſam Mundi conſtitutionem.* 1 Petr. capite 1. Quod de Adamo nuſquam reperias. Propter illud ſcilicet; quod Adamus referri debuit ad Chriſtum tanquam ad principale Dei decretum & primum ſuum typum.

At quæ prima fuere in decreto & conſilio Dei; non ideo fuere prima in ordine quo decretum & conſilium Dei ad ſuum finem perdu-ctum eſt. Hinc adeo contigit quod peccatum Adami anteceſſit mortem Chriſti. Atque hinc etiam factum eſt, quod imputatio peccati Adamici cauſa putata fuerit imputationis mortis Chriſti: licet revera propter imputationem mortis Chriſti, imputatum fuerit peccatum Adami. Imo quod proprie & reapſe, per peccatum Adami ſtraverit Deus viam ad fœdus gratiæ quæ in Chriſto eſt. Primigenia igitur imputationum illarum ratio, in morte Chriſti fuit: cujus naturam ſequi debuit ſecundaria peccati Adamici imputatio. Et qua ratione imputatus fuit Chriſtus, non natura, ſed puro puto Dei myſterio: ſimili prorſus argumento, imputari debuit Adamus hominibus, non natura, ſed pura puta divini illius myſterii diſpenſatione.

CAPUT III.

De duobus imputationum myſticarum primoribus, Adamo & Chriſto. Medius inter illos interceſſit Abrahamus. Itur à peccato Adami, ad juſtitiam Chriſti, per fidem Abrahami. Pœnæ inflictæ ex imputationibus myſticis, myſtice & ſpiritaliter intelligendæ ſunt. Nullus, neque Adamus ipſe, mortuus eſt pro peccato Adami. Solus Chriſtus pro peccato illo mortuus eſt. Intel-

ligun-

liguntur homines omnes mortui in Chriſto, ſpiritaliter & myſtice.

TYpi fuere ſibi invicem Chriſtus & Adamus. Vel potius antitypi, & per diſſimilitudinem ſimiles. Similes, quatenus una eademque fuit imputationis ratio, Chriſti & Adami. Per diſſimilitudinem, quatenus Chriſtus imputatus fuit propter juſtitiam. Adamus autem imputatus fuit propter peccatum. Iuſtitia vero & peccatum, diſſimila ſunt; & diverſa omnino abeunt.

Imputationum myſticarum primores fuere Chriſtus & Adamus. Medius inter illos Abrahamus interceſſit. Imputata fuit omnibus hominibus Adami noxa; ut imputaretur eiſdem noxæ illius expiatio, quæ fuit in morte Chriſti. Imputaretur inquam eis per fidem in Deum, quę in Chriſto eſt: qualem habuit Abrahamus; quæque illi primum imputata fuit ad juſtitiam. Non autem ſcriptum eſt propter ipſum Abrahamum tantum, reputatam ei fuiſſe fidem ad juſtitiam *Sed & propter nos*, ait Apoſtolus. Id eſt, propter homines omnes; *Quibus reputabitur credentibus in eum qui ſuſcitavit Ieſum Chriſtum è mortuis, qui traditus eſt propter delicta hominum, & reſurrexit propter juſtificationem eorundem.* Romanorum capite 4. Imputationis ſcilicet fidei illius origo & caput, Abrahamus fuit. Ratione illa qua *Pater credentium* vocatus eſt, loco eodem Rom. 4.

Myſterium ergo omne regenerationis & recreationis hominum; quæ hominum redemptio, ſanctificatio, & ſalus eſt; tribus his imputationibus Myſticis conſtitit. Imputatione peccati Adamici. Imputatione expiationis peccati illius in morte Chriſti. Et imputatione fidei A-

brahami: quæ vel modus vel medium fuit, quo iretur à peccato Adamico, ad juſtitiam & ſanctificationem illam; quæ à morte Chriſti, & in reſurrectione ejuſdem, hominibus ingeneratur. Vna igitur eademque conſtituta eſt imputationis ſeries, à peccato Adami, ad mortem Chriſti, per fidem Abrahami. Et totum redemptionis humanæ myſterium perfectum eſt, in Adamo, Abrahamo, & Chriſto; tribus Iudæorum capitibus. Ratione eadem qua *ſalus à Iudæis eſt*, gentibus omnibus: ſecundum promiſſum in Abrahamo ſancitum. ***Benedicendas in eo, & ſemine ejus, gentes terrarum omnes.***

Fuit Adamus pater Abrahami ſecundum carnem, & ſecundum imputationem peccati: fuit idem pater Chriſti ſecundum carnem, abſque inquinatione carnis. Fuit Abrahamus pater Chriſti ſecundum ſanguinem, abſque vitio ſanguinis: fuit idem pater Adami ipſius, ſecundum imputationem fidei. Fuit Chriſtus pater Abrahami & Adami, ſecundum redemptionem & expiationem peccati illius, quod ab Adamo fluxit, & Abrahamo imputatum eſt. In hoc autem conveniunt tria illa imputationum myſticarum capita: Quod tres illi Iudæi, patres fuere gentium omnium, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſuam quiſque imputationis myſticæ rationem. At gentiles revera filii ſunt, tum Adami, tum Abrahami, tum Chriſti; non natura; ſed ſua in Iudæis inſitione & adoptione myſtica; ſecundum quam Adamus & Abrahamus Iudæi, imputati fuere gentilibus; ut eiſdem Iudæus item imputaretur Chriſtus.

Imputationes Myſticæ, imputationum phyſicarum & politicarum, ſpecies omnes participant. Communis eſt myſticis & phyſicis imputatio-

rationibus, naturalis corporum conjunctio; quæ propagationis traduce generatur in phyſicis imputationibus: creationis autem & formationis ſimilitudine, in myſtica imputatione concipitur. Ratione illa communionis & conjunctionis myſticæ; Adamus & Abrahamus patres noſtri dicti ſunt, & generari dicimur in Chriſto. Communes enim quædam maſſæ fuerunt hominum omnium, homines illi tres, qui totam ſpeciem ſuppoſuerunt. At, quo argumento Adamus, Abrahamus, & Chriſtus, fuere omnes homines; homines itidem omnes fuere unus homo in eiſdem, Adamo, Abrahamo, & Chriſto. Vnitate ſcilicet ſimilitudinis, & participatione ejuſdem naturæ. Sicut apud Philoſophos, homines omnes participatione ejuſdem ſpeciei, unus homo reputantur. Quin & apud Theologos ipſos tota hominum ſpecies depoſita creditur in tribus illis, Adamo, Abrahamo, & Chriſto. In Adamo, quoad peccatum. In Abrahamo, quoad fidem. In Chriſto, quoad redemptionem.

Commune habent imputationes myſticæ cum imputationibus politicis; quod Adamus, Abrahamus, & Chriſtus, principes fuere, ſyndici, ſponſores, & vades, totius generis humani. Vt quicquid tres illi gererent; Adamus, in negocio legis; Abrahamus, in negocio fidei; Chriſtus, in negocio redemptionis; id nomine omnium hominum ratum habendum foret:

Adamus certe, cujus hic ſermo præcipuus eſt, habuit in negocio legis divinæ, rationem cauſæ univerſalis; qualem habent, vel Princeps pro populo, vel Legati pro regno & Republica, vel Syndici pro univerſitate. Et comparatus eſt Adamus totius generis humani caput, ea conditione; ut quamprimum à præcepto divino

deflecteret, non ipſe tantum peccati ſui reatu obſtringeretur; ſed & reos homines omnes efficeret. Non enim fuit peccatum Adami, *actus perſonalis*, ut loquuntur Theologi; ſed *repræſentationis*. Hoc eſt, non fuit actus perſonæ unius; ſed perſonæ perſonas alias repræſentantis: quatenus ſuſtinuit perſonam univerſi generis humani.

Obligaverat Deus homines omnes ſtipulatione fœderis illius quod cum Adamo iniverat; tanquam ſponſore, procuratore, & defenſore hominum omnium: ut quod ille peccaret, id nomine omnium peccaret. Mandatum vero habuerat Adamus à Deo, non ab hominibus: quo fretus tantum ſibi ſumeret, ut neſciis etiam hominibus res hominum gereret. Rupit Adamus fœdus Dei. Et ratione pœnæ imputativæ quam Deus ex fœdifragio illo hominibus omnibus conſtituerat, rupiſſe fœdus idem illud homines omnes in Adamo putati ſunt. Fuit Adamus, & in illo fuere omnes homines. Peccavit Adamus, & in illo peccavere omnes. Fuit Adamus communis hominum maſſa. Peccaverunt homines in maſſæ illius unione, *communiter*, ut Schola loquitur. Et qua imputationis myſticæ forma Chriſtus fuit Iuſtitia noſtra, eadem omnino imputationis ratione Adamus fuit Peccatum noſtrum.

Notum eſt, pœnas ex imputationibus phyſicis & politicis, non ipſos tantum homines tenuiſſe: ſed in res etiam tum animatas, tum inanimatas, ex peccatis hominum quadantenus pervaſiſſe. Non ut rebus illis imputaretur quod homines patraviſſent: verum ut ex rerum illarum detrimento, quæ prodeſſent hominibus, gravius eis imputaretur quod ipſi deliquiſſent. Ita propter delicta hominum, extinctam legimus

mus diluvio ſubſtantiam omnem quæ erat ſuper terram, ab homine uſque ad pecus, tam reptilia quam volucres cœli. Adde his propter Sodomitarum nefas, tum Sodomitas ipſos, tum ipſorum urbes incendio exuſtas. Quid dicam, propter Iudæorum facinus, terram Iudæorum ferream factam, cœlum in æs obriguiſſe, & accenſos ignes qui conſumerent omnem arborem, & viridem & aridam? Commune illud evaſit cum imputatione myſtica peccati Adamici. Maledicta enim fuit terra propter Adami contumaciam. Maledictus fuit Serpens, inter omnia animantia & beſtias terræ: ſuper pectus ſuum gradi juſſus eſt, & terram comedere cunctis diebus vitæ ſuæ. Et quæ nulla communione naturali cum Adamo conjuncta erant, criminis illius condemnationem ſuſtinuerunt.

Hoc interfuit inter pœnas inflictas ex imputationibus phyſicis & politicis; & pœnas decretas ex imputatione myſtica peccati Adamici: Quod pœnæ illæ, phyſicæ & reales fuerunt; ſecundum naturam imputationum ſuarum, realem & phyſicam. Hæ vero, myſticæ, & ſpiritu intellectæ; ex imputatione ſpiritali & myſtica noxæ Adamicæ. Peccatum certe Adami nihil addidit naturæ hominum peccatrici, præter merum reatum, qui myſtice intelligi debuit. At neque pœnæ ex imputatione peccati illius ſancitæ, hilum addiderunt corruptioni & ſorti naturali omnium hominum, præter condemnationem myſticam quæ intellectu ſolo concipi potuit. Pœna decreta in ſerpentes, nihil addidit naturæ ſerpentum reptili, præter condemnationem mere ſpiritalem & myſticam. Sortito enim creationis & naturæ ſuæ reptilis ſerpentibus acciderat, gradi ſuper pectus ſuum & terram com-

medere cunctis diebus vitæ ſuæ. Quod ſupra oſtendi, & repetere hoc loco expedit. Pœna decreta in terram; germinaturam ſpinas & tribulos; nihil addidit naturali terræ ingenio, præter purum putum condemnationis intellectum. Dicta enim eſt terra proprie & naturaliter, ſpinarum & tribulorum mater. Pœna decreta in homines, eſuros panem ſuum in ſudore vultus ſui; nihil addidit naturali hominum fato, præter nudum condemnationis myſterium. *Homo enim naſcitur ad labores, & avis ad volatum.* Iob. 5. Et tam naturale eſt homini laborare, quam avi volare. Idem reputa de ærumnis, quibus naturaliter premuntur mulieres cum pariunt.

Neque vero condemnatio mortis vibrata in Adamum, & in omnes homines in Adamo, quicquam addidit morti naturali, qua Adamus & homines omnes, lege creationis & formationis ſuæ, mori debuerunt; præter condemnationem ipſam, quæ myſterio & ſpiritu conſtitit. Nimirum intellectus eſt mortuus Adamus, ex condemnatione illa; nec non intellecti fuere homines omnes mortui in Adamo; myſterio, & ratione imputationis illius myſticæ, qua mors Chriſti adſcribi & applicari debuit, tum Adamo tum omnibus hominibus. Neque enim revera mortuus eſt Adamus, neque ullus unquam mortalium mortuus revera eſt: at neque ullus unquam mori revera debuit, ex decreto condemnationis illius. Vnus ſcilicet piacularis Chriſtus debuit & potuit illud, mori revera pro Adamo & pro omnibus hominibus: nec non morte ſua condemnationem decretam in Adamum, & in homines omnes, refigere. Quin & Chriſtus ille qui occiſus eſt ante ipſam Mundi conſtitutionem; cuique Deus partes dederat ſce-

ſcelus Adami expiandi: momento illo quo Adamus peccavit, ſuffectus eſt in locum Adami; nec non in locum hominum omnium, qui momento eodem in Adamo peccaviſſe putati ſunt. Et pœnam mortis ſuſtinuit Chriſtus idem pro Adamo, & pro omnibus hominibus, qui mori debuerant propter peccatum Adami. Quique à momento illo quo Adamus peccavit, intellecti ſunt mortui; non revera & actualiter, neque enim potuerant, quia neque dum adhuc erant: ſed virtute myſterii, & imputationis illius myſticæ; quæ à morte Chriſti ante ipſam mortem Chriſti, & in non natos homines, invaluit.

CAPUT IV.

Non poteſt concipi alieni delicti imputatio; niſi quadam juris fictione. Imputatum eſt peccatum Adami omnibus hominibus, ratione mere ſpirituali, non propagatione naturali. Confundunt naturam & reatum Theologi, quæ ſeparatim conſiderari debuerunt in peccato originali. Natura prior eſt reatu. Reatus non corrupit naturam: imo econtra, natura corrupta effecit reatum. Quod probatur exemplo Adami ipſius, quando peccavit.

FUndatiſſimæ veritatis eſt, de qua Theologos inter orthodoxos non ambigitur: Deum occulta quadam ratione, & mirabili myſterio, hominibus omnibus imputaviſſe quod unus homo peccavit. Quodque univerſa natura generis humani in uno homine extitit; non vere & proprie, ſed myſtice, *& quadam veluti juris divini fictione*, intelligendum eſſe. Quæ ſunt verba non vulgaris Theologi. *Univerſa*, inquit, *generis humani natura,*

in Adamo tanquam in capite extitit. Atque adeo omnes nos, non quidem vere & proprie; non enim vere & proprie per id tempus exiſtebamus; ſed potentia tantùm & virtute; vel quadam quoque Iuris fictione, per Adamicæ prævaricationis actum, Dei legem perfregimus: & teſtamentum ejus, ut loquitur Scriptura, diſſipavimus. Et certe, ſi rem ipſam diligentius attendimus; nulla erit imputatio ex alieno delicto, ſive illa ſit phyſica, ſive illa ſit politica, ſive illa ſit myſtica, ſeu quæcunque alia detur; quæ modo ullo alio quam fictione exiſtat: quæve poſſit ullo alio modo quam fictione concipi. Quod de myſticis imputationibus in primis exiſtimandum eſt: quæ minus, ut ita dicam, corporeæ, & ſpiritales mage ſunt: atque adeo fictionibus mage habiles.

Imputationis myſticæ eſt quod ait Apoſtolus, Romanorum 2. *Præputium legem obſervantibus reputari in circumciſionem.* At, qua ratione potuerunt præputio obvoluti, in recutitos & circumciſos reputari; niſi fictione illa, qua quod revera & corpore non eſt, ſpiritu & mente cogitatur? Factum fuit peccatum Adami peccatum omnium hominum, imputatione; & fictione eadem myſterii; qua intellecti ſunt homines omnes, quotquot fuerunt, quotquot ſunt, & quotquot erunt, fructum ipſum interminatæ arboris, propriis manibus decerpſiſſe, momento eodem quo Adamus illum rapuit; nec non voraviſſe eundem omnes, momento eodem quo Adamus illum glutiit: quaque itidem fictione peccatum illud quod imputatur omnibus hominibus, idem fuiſſe numero reputatum eſt cum peccato unius Adami: in quo fuiſſe homines omnes putati ſunt, ut in illo peccaviſſe idem omnes & mortem eandem contraxiſſe putarentur.

rentur. Neque vero fuere revera & actu in Adamo homines omnes, neque in illo peccavere omnes revera & actu; neque ex illo peccato mortem revera & actu contraxerunt: ſed virtute myſterii, quod ſæpius inculcavi, interpretative, & imputative, ut loquuntur Theologi: quod ex mera fictione fuit.

Atque ea cum ita ſint indubitata, & inconcuſſe credita; nihil video quod doctrinæ Chriſtianæ incommodet, ſi dixero, non opus fuiſſe Adamo patre naturali, & genitore omnium hominum, ut imputaretur peccatum Adami omnibus hominibus. Nihil enim attinuit confundere hic myſticum cum phyſico: & imputationem mere ſpiritalem, cum propagatione mere naturali. Diſtincta quippe ſunt, reatus imputatus qui eſt ex Adamo, & pravitas naturalis, quæ eſt ex traduce, & propagatione generatur.

Confundunt duo illa Theologi, qui peccatum originis, quatenus imputatur, & quatenus naturaliter propagatur, ab uno fonte & ab uno Adamo derivari aiunt. Agnoſcunt illi diſtinctam & realem differentiam quæ eſt inter myſticum & phyſicum; inter imputatum & naturaliter inhærens. Naturaliter item fieri negant quod damnati ſint homines omnes unius Adami culpa. Agnoſcunt aliquid aliud; aliam ſcilicet communicationem quæ fit imputatione, myſterio, & conſilio Dei; præter naturalem propagationis modum, unde peccatum inhæret hominibus. Neminem autem ad admirabile & inſcrutabile Dei judicium relaturum, quod morboſus morboſum generet: illud enim non miraculo, ſed natura & via ordinaria fieri non ignorant. Vocant quinetiam illi peccatum Adami primum illud, quod imputatum fuit omni-

bus hominibus, defectionem, tranſgreſſionem, παράπτωμα, peccatum tranſiens, & actuale. Naturaliter vero inhærens peccatum hominibus, vocant ipſi corruptionem; luem, depravationem, peccatum ortum, permanens, internum, nativum, & habituale. Et quamvis duo peccata illa inter ſe diſtent quantum diſtat myſticum à phyſico, imputatum à naturaliter inhærente, externum & alienum ab interno & proprio, materiale & corporeum à formali & ſpirituali: quod toto cœlo diſtare eſt: Vnum tamen peccatum originis, ex duobus peccatis illis, conflant Theologi: quod duabus partibus conſtare aſſerunt; imputatione, & reali communicatione corruptionis. Nimirum, ex duobus totis, duas partes unius conſtituunt. Imputationem porro primi peccati Adæ, & ingenitam corruptionem, ita indivulſe ſociatas aiunt; ut non plura peccata, ſed unum idemque peccatum efficiant; non plures reatus, ſed unum eundemque reatum integrum: quem per propagationis traducem, ut loquuntur, ad univerſos homines pervenire ſtatuunt.

At enimvero, probare in promptu erit ex Apoſtolo, Romanorum 5. Peccatum quod naturaliter inhæret, origine diſtitiſſe ab illo quod imputatum eſt. Atque adeo, non indivulſe & ſemper ſociata fuiſſe peccata duo illa, neque unum idemque feciſſe peccatum originis. Ait Apoſtolus: *Vſque ad legem peccatum erat in Mundo.* Si uſque ad legem peccatum erat, erat & ante legem; nec non originem ante legem habuerat. Peccatum autem illud quod erat ante legem, non erat procul dubio peccatum imputatum: quia enim peccatum imputatum, non ante legem, ſed à lege & poſt legem fuit: lex

enim

enim ſola imputationem peccato inducere potuit. Atqui duo tantum hic conſiderantur peccata. Imputatum, & naturaliter inhærens. Ergo ſi peccatum imputatum, non erat ante legem: fuerit ante legem neceſſe eſt naturaliter inhærens illud, quod non imputabatur non exiſtente lege. Et ſi rurſus, quod imputatum eſt peccatum, à lege originem duxit: quod naturaliter inhæret, non dubio antiquius imputato fuit; quia ante legem erat. Lex autem ab Adamo fuit, & cum Adamo formato lata eſt. Peccatum ergo naturaliter inhærens antiquius Adamo fuit: & antiquius peccato imputato, quod ab Adamo originem traxit.

Atqui ut vero veriſſimo vincam, & ineluctabili argumento demonſtrem, peccatum quod naturaliter inhæret hominibus, ex vitio innato & corruptione ipſa hominum, antiquius fuiſſe peccato Adami, quod in Adamo omnibus hominibus imputatum fuit: enucleanda nobis eſt curioſius hiſtoria ipſa peccati Adamici. *Vidit mulier*, ait Geneſis, *quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile. Et tulit de fructu illius, & comedit. Deditque viro ſuo, qui comedit.* Vbi vides manifeſto, ſenſus Evæ & Adami fuiſſe corruptos, antequam comederet uterque, & peccaret. Deceptus fuit Adamus pulchritudine fructus, ſuavitate odoris, tactus mollitudine, eloquii uxoris ſuæ illecebra, & guſtus delicio; priuſquam fructum glutiret, & peccaret. Corruperunt ſcilicet Adamum ſenſus Adami corrupti; innato illo corruptionis vitio, quod Adami ſenſibus inhærebat. Vt vidit, ut periit. Peccavit viſu Adamus, antequam peccaret guſtu. Vidit fructum: atque ut illi jecur erat cupiditatibus idoneum, concu-

pivit illum. Concupiſcentia ipſa peccatum fuit. Et ſecundum dictum Chriſti domini. Qui concupiverat Adamus, peccaverat antequam peccaret. Peccaverat concupiſcentia, quæ vocatur corruptio, D. Petri ſecunda, capite 1. ubi nos fugere hortatur *concupiſcentiæ corruptionem.* Tum D. Iacobus capite 1. ſuæ epiſtolæ. *Vnuſquiſque,* inquit, *tentatur; à concupiſcentiis ſuis abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum autem cum conſummatum fuerit, generat mortem.* Vbi nota progreſſionem peccati naturalis, à prima corruptione concupiſcentiæ, uſque ad peccatum ipſum ſolidum, & conſummatam corruptionem, quæ generat mortem. Corruperat ergo Adamum concupiſcentia ejus, antequam corrumperetur peccato illo, quod ex tranſgreſſione legis, non ex corruptione naturæ, imputatum eſt.

Qui peccatum Adami allegorice interpretantur: Serpentem dicunt fuiſſe ſenſum; fœminam, rationem; virum, intellectum. Exſurdavit ſcilicet fervida ſenſus perſuaſio rationem: & occæcavit depravata ratio intellectum. Peccavit ergo corruptus Adami ſenſus, & peccavit diſtorta ejus ratio, priuſquam peccaret alienatus ejus intellectus. Hinc videre eſt quam præpoſtere rerum ordinem invertant, qui volunt, depravatam idcirco fuiſſe rationem Adami, & corruptos ideo ejus ſenſus; quia Adamus fructum vetitum manducaverat. Imo è contrario peccavit Adamus manducando fructum vetitum, quia corrupti prius fuerant ſenſus ejus, & quia depravata prius fuerat ejus ratio. Et bis peccavit Adamus, ſenſibus & ratione; antequam peccaret intellectu & voluntate, peccato illo unico, quod

illi,

illi, & in illo hominibus omnibus imputatum eſt. Nota vero hic vim innatæ & inhærentis corruptionis in Adamo, antequam fructum libato ore attingeret. Cupiditas ejus neque Dei interdictum timuit, neque vitam illi interminatam veritus eſt. Imo, quæ fuit incenſa & furiata ejus natura; mortem ille ipſam vel acuta cruce ſuſtinuiſſet, ut vel orexin vel libidinem ſuam explere poſſet.

Fateor, ſociatas fuiſſe in Adamo, poſtquam legem Dei violavit, imputationem peccati illius quod Adamus patravit, & ingenitam Adamo ipſi corruptionem. Sed non ſemper ſociatæ illæ fuerunt in Adamo. Non erat inita ſocietas illa ante legem Dei, & antequam legem Dei violaret Adamus. Solum ſine imputatione inhærebat Adamo ante legem ingenitum & innatum Adamo vitium. Naturalis corruptio illa peccatum illud fuit, de quo Apoſtolus: *quod erat ante legem*: quod non imputabatur; *quia peccatum non imputatur cum non eſt lex*. Et præceſſit in Adamo ingenita naturæ corruptio, imputationem peccati illius, quam deinceps tranſgreſſio legis fecit. Non ergo mater fuit imputatio peccati, ingenitæ corruptionis: ſed vice verſa, ingenita corruptio mater fuit peccati illius, quod imputationem ipſam peccati genuit. Prius vero & antiquius eſſe debuit peccatum naturaliter inhærens, peccato quod imputatum eſt: ratione illa, qua prior & antiquior fuit natura imputatione & myſterio.

Quo argumento peccatum naturaliter inhærens non imputabatur ex lege, non exiſtente lege: nullus itidem contrahebatur reatus legalis ex peccato illo. Idem enim eſt reatus, quæ imputatio. Neque adeo dici potuit, ſociatas indivulſe

ſub

ſub lege,imputationem legalem & innatam corruptionem, unum ex duabus reatum effeciſſe. Sociatæ quidem fuerunt ſub lege, imputatio legalis peccati Adamici, & innata corruptio. Sed non ita propterea indivulſe & individue ſociatæ fuerunt; ut vel minimam fecerint mixturam & confuſionem reatuum. Nullus enim unquam extitit reatus alieni peccati ex innata corruptione. Ex violata lege ab Adamo,prodiit imputatio legalis reatus Adamici, quæ pervaſit in omnes alios homines. Ex innata corruptione prodiit peccatum naturaliter inhærens: non alienum, ſed cuique homini ſuum ſibi & naturale peccatum: quod non imputatur ex lege, & peccato Adami alieno; ſed natura ipſa peccati inhærentis,& ſuo ſibi innato vitio, hominibus naturaliter adſcribitur. Nimirum, ut mortem quæ ſecundum naturam eſt, ſubeant: neque immortalitatem quæ ſupra naturam eſt, conſequantur.

CAPUT V.

Qui volunt, imputationem peccati Adamici derivatam fuiſſe ex traduce Adami; ex illo putant, quod autumant, Adamum genuiſſe omnes homines. Apoſtolus diſtinxit nec ſociavit peccatum naturaliter inhærens, cum eo quod imputatum eſt. Diſtinxit nec ſociavit mortem naturalem cum ea quæ ex condemnatione legis inflicta eſt. Mors ex peccato Adami, incepit ab Adamo, deſiit in Moſe & Chriſto. Peccatum naturale & mors naturalis fuerunt ante Adamum. Et erunt poſt Moſem & Chriſtum, in finem uſque ſeculorum.

OPinio ut ſolet ex opinione incidit. Qui opinantur, hominum originem fuiſſe ab

Ada-

Adamo; eo ipſo quod non opinione, ſed revera conſtat, originem imputationis peccati fuiſſe ab Adamo: opinantur etiam, innatam corruptionem, & imputationem peccati, adeo indivulſe ſociatas fuiſſe in uno illo homine; ut nullo alio pacto pervenire potuerit imputatio illa in omnes homines, quam propagationis vehiculo, cujus originem ducunt ab Adamo, qui primus peccavit. Et cujus peccati actum, ut loquuntur, dicunt fuiſſe in omnibus hominibus imputative: qualitatem vero peccati ex illo actu inhærentem, realiter. Quod non enodare, ſed innectere; non extricare, ſed intricare fuit.

Opinio porro hæc, ab illa ut prædixi ducta eſt, qua omnium hominum origo ab Adamo fluxiſſe creditur. Opinio vero hæc de Adamo omnium hominum primo, ab illa derivata eſt, qua putatur Moſes ſtatuiſſe Adamum omnium hominum patrem; quia nullum expreſſim nomen hominis, Adamico prius legitur apud Moſem. Quaſi vero nihil extiterit in rerum natura, cujus expreſſim Moſes non meminerit. At, nullibi itidem dixit Moſes, quod D. Paulus primus aperuit; Peccatum intraviſſe in Mundum per peccatum Adami; & mortem ex illo, peccato, & in illo homine, pervaſiſſe in omnes homines. Etſi nullibi hæc dixit, nullibi hæc eadem negavit Moſes. Nullibi etiam dixit ille quod D. Paulus primus demonſtravit: Peccatum fuiſſe in Mundo uſque ad legem, vel ante legem, quod idem eſt. Legem inquam primordialem & primigeniam quam vocant melioris notæ Theologi; quæque hic intelligi debuit: ut pote quam primam ſuarum legum omnium dederit Deus Adamo, & à qua fluxerit imputatio peccati. Sed neque illud etiam negavit

Moſes quod aſſeruit D. Paulus. Inducere igitur ſatius fuerat, ex Propheta non negante, & Apoſtolo innuente, primos homines extitiſſe ante Adamum.

Quemadmodum autem mens Apoſtoli nunquam illa fuit, ſtatuiſſe omnium hominum originem ab Adamo: ita neque Apoſtolo venit unquam in mentem, indivulſe ſociaviſſe naturaliter inhærens peccatum cum illo quod imputatum eſt. Et certe, luce meridiana clarius patet, nullam peccatorum illorum mixturam feciſſe Apoſtolum, loco illo Romanorum 5, ubi tractationem ex profeſſo inſtituit peccati quod in Adamo imputatum eſt. Ait ille, *per unum hominem peccatum intravit in Mundum.* Illud autem, *per unum hominem*: explicat infra D. Paulus idem; non per hominis illius traducem, & propagationem naturalem; ſed per ejus inobedientiam, quæ moralis & ſpiritalis eſt. *Per inobedientiam*, inquit, *unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi.* Non ergo ſociavit quod morale & ſpiritale eſt, cum eo quod naturaliter & materialiter propagatur.

Homo vero ille per quem peccatum intravit in Mundum, non dubio Adamus eſt: cujus peccatum, peccatum fuit totius Mundi. Peccatum, inquam, quod ex tranſgreſſione legis toti Mundo imputatum eſt. Subjecit Apoſtolus tenore eodem ratiocinii: *Uſque ad legem enim peccatum erat in Mundo.* Id eſt, uſque ad hominem illum Adamum, peccatum erat in Mundo. Quo tempore igitur peccatum illud in legem intravit in Mundum per Adamum: peccatum aliud erat in Mundo, teſte Apoſtolo, *Uſque ad legem.* Vel ante legem & Adamum, quod idem fuit. Non peccatum quod imputatum eſt ex tranſ-

tranſgreſſione legis: ſed peccatum quod naturaliter inhærebat, neque imputabatur cum lex non erat. Neque vero ſociavit Apoſtolus peccatum quod erat ante legem, cum illo quod à lege originem habuit: & de quo dumtaxat capite hoc loqui inſtituerat.

Per unum hominem peccatum intravit in Mundum. *Et per peccatum Mors*, addidit Apoſtolus eo loci. Vbi adverte, Mortem de qua hic loquitur Apoſtolus, non naturalem intelligendam eſſe; quæ ex vitio innato & primæ creationis depravatione, nec non ex peccato radicitus inhærente præcordiis hominum inhæſit. Sed mortem ſpiritalem & myſticam hoc loco accipiendam, quæ ſequuta eſt imputationem ſpiritalem & myſticam peccati Adamici.

Quod ut clarius percipias, revoca in animum quæ ſuperius notavi. Neminem unquam mortalium morti deditum fuiſſe propter peccatum Adami, præter unum Chriſtum: in quo, ratione imputationis Myſticæ, putati ſunt homines omnes mortui; qua ratione putati ſunt omnes peccaviſſe in Adamo. Putati ſunt, inquam, mortui in Chriſto, ſimilitudine, parabola, & fictione eadem Myſtica; qua putatus eſt Iſaacus mactatus à patre ſuo, de quo ſupra ex capite 11 ad Hebræos. Myſtica igitur, fictitia, & parabolica, mors illa fuit de qua hic locutus eſt Apoſtolus: quæ peccatum Adami ſecuta eſt Myſticum, fictitium, & parabolicum. Quam ſcilicet mortem nullus unquam mortalium revera & actu ſubiit in Chriſto; ſicut nullus unquam mortalium revera & actu peccavit in Adamo. Locutus eſt hoc loco Apoſtolus de peccato illo, non quod naturaliter inhæſit hominibus; ſed de illo tantum quod imputatione myſti-

ca

ca tranſiit à peccato Adami in omnes homines. Locutus eſt itidem hoc loco Apoſtolus de morte illa, non quæ corruptioni innatæ hominum naturaliter affixa eſt; ſed de illa tantum quæ naturam peccati Adamici ſecuta eſt: quæque imputatione Myſtica à morte Chriſti tranſiit in omnes homines. Et dicta eſt mors Chriſti, mors tranſiens; ſicut dictum eſt peccatum Adami, peccatum tranſiens. *In omnes homines mors pertranſiit*; ait Apoſtolus. Nimirum ut ſignificaret, non ſibi rem fuiſſe hoc loco cum morte illa, quæ ex corruptione hominum naturaliter & inhærenter eis obvenit: ſed de illa tantum quæ in expiatione peccati Adamici à morte Chriſti in illos tranſiit.

Verum enimvero, ut major lux hebetiores feriat oculos; attende curioſe ad illa quæ ibidem, & mox ſequuntur. *Regnavit mors ab Adamo*. Regnavit mors ab Adamo, quia peccatum imputatum fuit ab Adamo. Vides hic, peccati illius Myſtici, nec non mortis illius Myſticæ, originem. Finem eorundem reſpice. *Regnavit mors ab Adamo uſque ad Moſem*. Regnavit mors ab Adamo, & lege illa quam Adamus rupit: uſque ad Moſem, & legem illam quæ à Moſe viguit uſque ad Chriſtum. Chriſtus ſcilicet moriens legem omnem, & Adamicam & Moſaicam, extinxit. *Delens*, ait Apoſtolus Coloſſenſium 2, *chirographum decreti quod adverſus nos erat, quodque erat contrarium nobis: & ipſum tulit de medio, alligans illud cruci*. Chirographum decreti illud quod erat contrarium nobis, condemnatio mortis erat, decreta ex lege & chirographo illo, in omnes homines ex peccato Adami. *Iudicium enim ex uno in condemnationem*, ut ſcriptum eſt Romanorum

rum 5. Condemnatio quippe illa imminebat omnibus hominibus, & regnabat eis, ab Adamo uſque ad Moſem; nec non homines omnes per illud tempus, quodam velut chirographo & juris vinculo, obligabat & conſtringebat. Neque enim proprie, ut monui ſupra, mors regnavit hominibus: quia nullus hominum mortuus proprie eſt ex peccato Adami: ſed proprie, condemnatio mortis dominata eis eſt, ex chirographo decreti illo, quem Chriſtus moriens delevit, ſuſtulit, & cruci affixit.

Metas igitur cognitas, & tempora cognita, poſuit Deus, Adamum & Moſem, peccato Adamico, & morti ſive condemnationi mortis, quæ decreta erat ex peccato illo. Sed nullas metas, nulla tempora poſuit Deus idem, vel peccato quod naturaliter inhæret, vel morti quæ ex naturali vitio hominibus infixa eſt. Peccatum naturaliter inhærens erat ante legem & Adamum. à creatione & principio illo rerum quod ſine principio eſt. Mors naturalis regnavit poſt Moſem; ſive poſt mortem legalem, Adamicam & Moſaicam. Imo regnat, & regnabit mors eadem uſque in finem ſeculorum, quæ numerari non poſſunt. Mortem nimirum illam naturalem intellexit D. Paulus idem, Corinthiorum prima, capite 15. ubi de fine ultimo rerum agit. *Vltima autem inimica*, ait ille, *deſtruetur mors*. Quæ de morte contracta ex peccato Adami intelligi non poſſunt: deſtructa enim eſt mors illa in Moſe deſtructo. *Regnavit mors ab Adamo uſque ad Moſem*. Intelligi ergo debent de morte naturali, cujus deſtructionem Deus diſtulit in finem ultimum rerum. *Vltima inimica deſtruetur mors*. Neque dum enim deſtructa eſt mors naturalis & inhærens illa, quæ ſequitur

tur naturam ſui peccati naturalis & inhærentis. Vigent & vigebunt indivulſe ſociata duo illa, peccatum naturale & mors naturalis, uſque in finem ſeculorum: neque deſtruentur niſi in deſtructione ipſa Mundi.

Non ergo ſociavit quæ non conjunctim tractavit Apoſtolus, quæque rerum ordo penitus diviſerat: peccatum imputatum, & peccatum naturaliter inhærens: mortem regnantem ex peccato imputato, & mortem peccatum naturaliter inhærens conſequentem. Tractatio illa ſpiritalis & myſtica: hæc materialis & phyſica erat. Abſtraxit Apoſtolus tractationem illam ſpiritalem & myſticam, ab hac materiali & phyſica: ut oſtenderet, non opus fuiſſe Adami traduce materiali & phyſica, ad imputationem mere ſpiritalem & myſticam peccati Adamici. Quod apertius patefecit capite eodem ad Romanos 5. ubi comparavit inobedientiam Adami cum obedientia Chriſti: & imputationem quæ abundavit ex delicto unius Adami, ad condemnationem mortis; cum imputatione gratiæ, quæ ſupereffuſa eſt in dono, ſive in oblatione, unius Chriſti ad juſtificationem vitæ. Quæ nullo modo materiale & phyſicum olent; ſed florem ſpiritus, & myſterium merum redolent. Etenimvero, ut comparatio Adami & Chriſti abſoluta ſit: imputari debuit Adamus hominibus eadem prorſus ratione Myſtica & ſpiritali, qua iiſdem Chriſtus imputatus eſt.

Profitentur Theologorum anteſignani „ D. Paulum proprie egiſſe, capite illo 5 ad Romanos, de reatu & imputatione peccati Adamici: & conſideraviſſe peccatum, non quatenus fontem corruptionis humanæ; ſed quatenus Adamum, & in illo homines omnes reatu eodem involvit.

volvit. Non enim ſcripſiſſe Apoſtolum, homines fuiſſe corruptos in Adamo, ſed in illo peccaviſſe. Peccaviſſe in Adamo, per imputationem; non ex illo, per propagationem. Peccaviſſe in Adamo virtualiter: non virtute ſeminis, ſed virtute imputationis. Adamus autem conſtitutus eſt loco eodem, tanquam caput omnium hominum: non naturale, ſed myſticum. Et appoſite ad hanc rem Theologus egregius. *Ratione naturali*, inquit, *conſtare non poteſt; homines omnes, imo neque dum natos, peccaviſſe in Adamo: niſi Adamus ſupponatur, in eſſe morali, fuiſſe caput totius humanæ naturæ.* Locutus eſt propterea Apoſtolus capite eodem; non de peccatis illis in quibus Adamus naturaliter corruptus eſt, & in quibus homines omnes naturaliter corrumpuntur: ſed de una offenſa, de uno delicto, & de una tantum inobedientia, quæ reatum Adamo, & omnibus hominibus in Adamo meruit: quæque non actu, ſed reatu, ab Adamo in omnes homines tranſiit per imputationem. *Qua ratione*, inquit Cardinalis Bellarminus, *inobedientia illa potuit communicari hominibus.* Tum celeberrimus Gamacheus Sorbonicus. *Concedimus*, inquit, *peccatum actuale Adami, quatenus actuale, non ineſſe hominibus, niſi imputative.*

Imputationem peccati illius actualis creavit lex, vel tranſgreſſio legis. Realem peccati habitualis inhærentiam genuit natura, quæ naturæ pravitas eſt. Natura autem, & lex, toto rerum ordine differunt. Naturam produxit creator Deus. Legem tulit recreator, vel ſecundus creator Deus idem. Et qua ratione natura non potuit reatum contrahere ex alieno delicto, qualem violata lex: ita neque reatus ex violata

lege

lege, & alieno delicto, potuit corrumpere naturam. Cauſa nimirum moralis, qualis fuit inobedientia Adami, non potuit producere corruptionem naturalem. Ergo multo minus imputatio inobedientiæ illius potuit producere corruptionem illam. Imputatio, inquam, quæ eſt effectus mere ſpiritalis cauſæ illius moralis: & myſticum ex morali ortum. Non ergo disjuncta illa, & quibus non bene convenit, ſociavit Apoſtolus; naturam & legem: vitium ex natura, & reatum ex lege; in tractatione quam inſtituerat hoc capite, peccati illius quod in Adami tranſgreſſione omnibus hominibus imputatum eſt. Imo nullibi gentium, vel apud D. Paulum, vel apud aliquem alium auctorem ſacrum & biblicum, legere vel inducere erit, naturalem Adami traducem fuiſſe conducibilem, ne dicam neceſſariam, ad imputationem peccati Adamici.

CAPUT VI.

Qua ratione peccatum Adami ſalutem, non perditionem hominum fecit. Non imputatur à Christo mortuo peccatum alienum hominibus, ſed ſua quiſque peccata patitur.

IMplicata eſt, ſalebroſa, & dumis aſpera, quæſtio illa quam vulgo agitant de peccato originis; ex hypotheſi qua ſtatuunt, homines omnes ab Adamo progenitos. Illam ego ex mea hypotheſi, ſi Deus faverit, tractabilem, explicatam, & planam adeo reddam; ut nulla deinceps hæreamus in ſalebra.

Sunt qui invidiam Deo faciunt, ex prima hypotheſi: feritatis & crudelitatis plenam eſſe rationem illam legis ſuæ; qua quod patratum eſt pec-

peccatum ab Adamo, inſciis, imo neque dum natis imputetur hominibus. Tum, quod pœnæ tam crudeles, ex peccato illo inflictæ fuerint; ut tota hominum natura, malorum & peſtium hydris pullulaverit. Nullos enimvero legibus humanis alieni criminis ſucceſſores conſtitutos. *Parentum opprobria ne luant liberi*, edicebat Plato. Quin & atrox Senatui Romano, & pernicioſum viſum eſt exemplum; tollere filios Caſſii, Caſſio perduelli ſublato: quique morem hunc inſtaurare aggreſſi ſunt populi, viſi ſunt rem dignam hominum invidia, & Deorum indignatione feciſſe. Sed & illud truculenti genus omne ſuperare videtur: quod poſt vitam ærumnoſam & cruciatibus infamem, præcipitati in ſtagna ardentia homines, propter idem illud peccatum Adami, iecur ſuum redivivum vermibus redivivis tundendum præbeant: ibique inter fletus & ſtridores dentium, mortem immortalem, in æternum & ultra, exigere credantur.

Quibus incommodis ut breviter & perſpicue reſpondeam ex mea hypotheſi: atque ut obſtruatur omne os inclementer de Deo loquens; Demonſtratum ſupra abunde eſt; imputationem peccati Adamici nihil addidiſſe naturæ hominum corruptioni deditæ, præter imputationem ipſam, quæ mere myſtica eſt, quæque ſpiritu ſolo concipitur. Nihil ergo novi portavit hominibus imputatio illa, quoad naturam. Expendendum eſt quale detrimentum ex illa homines ceperint, quoad myſterium. Statuendum vero in primis eſt, Paulum Apoſtolum, ubi dixit capite 10 ad Romanos: *Chriſtum finem eſſe legis:* intellexiſſe Chriſtum finem eſſe myſteriorum omnium, & quæ lege præcipie-

bantur,& quæ Prophetarum ſcriptis continebantur: qua ſignificatione Lex, pro Bibliis ſacris, ut plerumque ſolet, accipitur. *Sine modo*, aiebat Dominus Ioanni, recuſanti illum baptizare; *Sic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Iuſtitia, eo loci, Myſterium eſt. Implevit enim Chriſtus myſteria omnia quæ perfecit, & ad finem ſuum perduxit. Vocatur porro myſterium, *Iuſtitia:* quoniam myſterium omne à Deo inſtitutum, juſtitiam operatur. Neque enim myſterium nomen inane eſt, nudaque appellatio & fictio, ſine re & ſpecie. Imo rem omnium maximam conficit; qua juſtitiam, ſalutem, & immortalitatem hominum parit. Illud autem plenius ſuo loco diſcutietur.

Præcipuus vero finis fuit Chriſtus myſterii illius, quo peccatum Adami imputatum eſt hominibus: nimirum, ut eiſdem juſtitia Chriſti quæ mors Chriſti eſt imputaretur. Advertendum quinimo eſt, Chriſtum *Ieſum* eſſe; id eſt, Salvatorem: cui opponitur *Apollyon*,& perditor hominum *Anti-Chriſtus.* Venit Ieſus ut ſalvos faceret homines, non ut illos perderet. At, quo argumento inſtitutus eſt Ieſus finis ad ſalutem hominum: inſtituta fuere media quæ ad finem illum perducunt, ad ſalutem eorundem. Imputatio ergo peccati Adamici quæ nos duxit ad finem illum; ſalutem hominum, non perditionem fecit. Benignitatis igitur & miſericordiæ plena fuit, non feritatis & crudelitatis, ratio illa divinæ legis; qua hominibus vel inſciis, imo neque dum natis, noxa Adami imputata eſt. Imputatum etenim fuit Adami peccatum hominibus inſciis, ut illis etiam inſciis acquireretur juſtitia Chriſti: quæ ſalus eſt Domini. Peccatum autem juſtitiam parit, miraculo eodem

quo

quo tenebræ lucem exeruiſſe leguntur; & mors vitam ſuſcitare creditur.

Falluntur vero magnopere qui autumant, mortem æternam conſequutam eſſe condemnationem illam mortis quæ decreta fuerat ex peccato Adamico. Demonſtratum enim eſſe plus ſatis arbitror, ex D. Paulo ad Romanos, quem ad hanc rem laudavi ſuperiori capite: condemnationem illam mortis non æternam fuiſſe, ſed finibus certis circumſcriptam. Natam eſſe cum Adamo, periiſſe cum Moſe. *Regnavit mors ab Adamo uſque ad Moſem:* ait Apoſtolus. Sequuta eſt ſcilicet mors illa fatum peccati, &, qui illam genuerat, patris ſui. Regnare inceperat peccatum Adamicum à tranſgreſſione legis: quod idcirco peccatum legale nuncupo. Regnare itidem cœperat mors Adamica, à tranſgreſſione legis ejuſdem quæ peccatum Adami fecerat: quamque idcirco mortem legalem nuncupo. Vixit peccatum legale, quam diu lex vixit: & lege extincta, extinctum eſt. Regnavit mors legalis illa, quamdiu regnavit lex: debuit & illa mori lege mortua. Æternum porro indefinitum eſt. Habuit autem mors legalis definitos terminos, Adamum & Moſem: quos ultra citraque nequivit conſiſtere. Non ergo potuit mors illa conferre quam non habuit æternitatem hominibus.

Quid ergo? Peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege? tum quoniam nulla condemnatio mortis ex lege reſtat, quæ peccandi libidinem coërceat? Abſit. ait Apoſtolus. Atque ut objectioni illi plene fiat ſatis; operæ precium facturum me exiſtimo, ſi totum hoc myſterium ordine detexero: & quæ de illo ſparſim enarravi, collectim & contuitu uno pererrandum exhibuero.

Comprobat auctoritas ſacra, & naturalis ratio; corruptibile & mortale eſſe, quodcumque ex materia corruptibili & mortali creatum eſt. Hominesque adeo ex materia corruptibili & mortali compactos, corruptibiles & mortales fuiſſe creatos: neque potuiſſe, vi & virtute creationis illius ſuæ corruptibilis & mortalis, tranſcendere ad Deum incorruptibilem & immortalem, ut & ipſi incorruptibiles & immortales evaderent. Deus ſcilicet incorruptus: homines autem *de carne ſua*, quæ materia ſua eſt, *corruptionem metunt*. Galatarum 6. Deus immortalis eſt: *mors eſt quam ſapit caro*. Romanorum 8. Deus bonum ipſum eſt: *bonum autem non habitat in carne hominum*; *malum è contra illi adjacet*. Rom. 7. Qui vero in carne ſunt homines, Deo placere non poſſunt. Caro ſiquidem inimica Deo eſt. Legi divinæ non ſubjicitur: neque enim poteſt. Tum quæ ſexcenta ejus generis leguntur apud auctores ſacros. Quibus appareat, emendandum fuiſſe vitium carnis, materiæ, & creationis primæ hominum; & in novas creaturas transformandos homines, ut ex malis boni fierent, ex corruptibilibus incorruptibiles, ex mortalibus immortales; & regnum Dei poſſidere poſſent, *quod caro & ſanguis*, quæ corruptio mera eſt, *poſſidere nequeunt*. Corinthiorum 1, capite 15.

Mori debuerant homines qui transformandi & denuo creandi erant; quod ſupra demonſtratum eſt. Mori quinetiam decreverat Deus illos, in morte Chriſti ſui, qui humanum corpus informaret; & morte ſua ſuccidanea homines in novas formas & in novas creaturas mutaret. Quod non niſi myſterio fieri potuit: cujus ſcilicet virtute & ſpiritu, cenſerentur mortui

in

in Chriſto, quos ſanguis Chriſti imbueret. Atque ut infectores purpurarii, quas veſtes muricee aut cocco ſaturare inſtituunt, glaſto illas prius maculant, macerant, & ſubigunt; ut idoneam ſedem concilient colori rutilo, qui in ſubſtratum ſibi glaſtum inditur. Oportuit homines imputatione prius peccati Adamici, tanquam glaſto, & prima cortina, maculari, macerari, & ſubigi; ut ſanguinem Chriſti ſaturatius combiberent, & de ſecunda cortina ſplendidius ruberent. Imputatio ergo peccati Adamici, præparatio fuit ad ſuſcipiendam juſtitiam, quæ à ſanguine Chriſti emanavit: qua præparatione ſitientes homines juſtitiam illam avidius raperent, interiuſque reconderent.

Ac veluti color purpureus, ſuffectis glaſto lanis additus, glaſti maculam haurit, & glaſtum ipſum extinguit: Simili argumento, ſanguis Chriſti ſuffecto imputatione peccato Adami inditus, imputationem peccati hauſit, & peccatum ipſum Adami extinxit: ita ut morte Chriſti nulla detur peccati illius imputatio. *Peccatum erat ante legem, ſed non imputabatur non exiſtente lege.* Romanorum 5. *Virtus enim peccati lex.* Corinthiorum prima, capite 15. Vim ſcilicet & virtutem addidit peccato lex, quæ peccatum duplicavit: & ex peccato ſimpliciter dicto, peccatum fecit ex lege imputatum. Suſtulit imputationem illam ex lege Chriſtus idem qui legem ipſam ſuſtulit.

Memorat Apocalypſis beſtiam multorum capitum; cujus caput unum vulneratum fuerat quaſi ad mortem, reliquis capitibus ſuperſtitibus: ſed plaga ejus ad mortem curata eſt. Peccatum beſtia fuit biceps; cujus caput unum ante legem erat, alterum à lege fuit. Amputavit

Chriſtus moriens caput illud peccati quod à lege fuit; neque ſanata eſt plaga ejus ad mortem: exciſum enim eſt penitus, & avulſum collo ſuo caput illud. Supereſt à morte Chriſti caput alterum quod ante legem erat. Extinctum eſt in Chriſto mortuo peccatum illud, quod violata lege, Adamo & in illo hominibus omnibus imputatum eſt: quodque legale eſſe aio. Supereſt à Chriſto mortuo peccatum illud quod non imputabatur non exiſtente lege; quod naturaliter ante legem inhærebat hominibus: quodque naturale nuncupo.

Reſtituit ergo Chriſtus homines in quem locum acceperat illos Adamus. In locum ſcilicet peccati non imputati ex lege. Et evaſerunt homines, poſt legem extinctam in Chriſto, illud ipſum quod erant ante legem latam in Adamo. Non enim imputatur à Chriſto mortuo peccatum alienum hominibus: ſed ſua quiſque peccata patitur. Non dicitur ultra ſub Euangelio; *Patres comederunt omphaces, & dentes filiorum obſtupuerunt: ſed unuſquiſque in iniquitate ſua moritur*. Ierem. 31. Non propter peccatum Adami, ſed propter ſua quiſque peccata interit. *Vnuſquiſque de ſe ipſo rationem reddit Deo*. Romanorum 14. *De ſe ipſo:* non de Adamo. De ſuo ſibi peccato: non de peccato Adami alieno. Quod nota curioſe. *Vnuſquiſque proprium onus portat*. Galatarum 6. *Et unuſquiſque reportat quæ in corpore ſuo facit*. Corinthiorum 2, capite 5. *Iudicat Deus* ſub Euangelio *occulta hominum*. Romanorum 2. *Occulta:* id eſt, propria, intima, ſua ſibi, neque imputata aliena peccata. Non imputat Deus à Chriſto mortuo peccata facta in legem: ſed adſcribit ſua ſibi peccata naturalia hominibus, quæ non in lege, ſed in carne ſunt; quæque natu-

natura carnis corruptæ corruptionem metunt: quæ mortem ſapiunt: in quibus bonum non habitat: ſed è contrario malum adjacet: quæque non ratione legis, ſed ratione naturæ ipſius corruptæ, & mortalis, regnum Dei incorruptibile & æternum poſſidere nequeunt. Crucifixus eſt cum Chriſto vetus Adam, & vetus homo legalis noſter: ſed vivit adhuc in nobis vetus ille homo naturalis, vere noſter, qui non in morte Chriſti extinctus eſt: Sed qui virtute reſurrectionis ejus extinguetur olim, cum nos plena ſanctificatione Deus induerit: quæ reſurrectio, & recreatio noſtra perfecta & plena futura eſt. Quo tempore & noviſſima inimica deſtruetur mors. Mors inquam naturalis, peccati naturalis opſonium; quæ peccato naturali vigente, viget in hominibus; quæque peccato eodem extincto, extinguatur & ipſa neceſſe eſt.

At vero interea, ſatagamus perpetuo pietatis exercitio, & indefeſſa ſanctificationis noſtræ cultura; ut extinguatur vetus illud peccatum quod carni noſtræ adhæret: & reveletur juſtitia Chriſti in nobis, *ex fide in fidem*; ut ſcriptum eſt Romanorum 1; id eſt, ex ſanctificatione in ſanctificationem. Sanctificatio enim, vera & ſolida fides eſt in concreto, quam intellexit hoc loco Apoſtolus: non futilis & inanis illa, quam ventilant quidam in abſtracto. Nolimus ergo peccare: non quod lege Adamica, aut pœna mortis ex lege Adami ſancita, amplius teneamur, ex quo Chriſtus mortuus eſt: ſed quod veritate & rei ipſius natura, interclufus nobis eſt aditus ad vitam æternam, ad regnum, ad conſpectum & gloriam Dei; ſi materiæ & carni noſtræ indulgemus, & peccatum nobis innatum non extinguimus.

Nihil igitur feri & immanis, quoad legem Dei; nihil quoad ſanctitatem hominum, male conciliati & diſſoni oborietur animo; ex imputatione peccati legalis & Adamici, nec non ex morte legali & Adamica, quæ peccatum illud legale conſequuta eſt: ſi totum hoc negotium, ex mea hypotheſi, Myſtice inſtitutum accipiatur; ut idoneum ſolum cordibus hominum ſterneret, ſuſcipiendæ juſtitiæ Chriſti: quæ ipſiſſima ſanctificatio & ſalus hominum eſt; tum denique ſumma eorundem felicitas. Statuminatur ſiquidem ratione myſterii, ad ſalutem hominum comparati; quod feritatis in Deo, & crudelitatis in ſtudioſo obtentu, ſubrui videbatur.

CAPUT VII.

Quare Adamus qui tanquam caput peccavit, non tanquam caput pœnas dedit peccati ſui. Peccatum Adami inobedientia fuit. Peccatum naturale & legale, duplex fuit repagulum objectum hominibus, quibus Paradiſo interdiceretur. Solvit legale repagulum Chriſtus moriens. Solvet naturale Chriſtus idem reſurgens, & nos plene ſanctificans.

ANimadvertere rigidius ſolent Quæſitores in criminum auctores; quam in eorundem, vel participes, vel conſcios. Quod nos jura omnia docent, naturalia, gentium, & civilia. Neque probatione eget; quia probatione ipſa, adeo multa & circumfuſa eſt, obnubilaretur. Ius illud in Adamo ſolo non obtinuit: qui tanquam caput peccavit, neque tanquam caput pœnas dedit peccati ſui. Enimvero ſi peccata & flagitia omnia, ſi quicquid febrium & peſtium eſt; ſi mors ipſa æterna, ex peccato Ada-

Adami, ut creditur, intravit in mundum, & perváſit in omnes homines: cur non ad omnia peccata & flagitia projectiſſimus fuit Adamus; peccatorum & flagitiorum omnium, propter peccatum illud ſuum, caput & cauſa? Cur non malorum omnium, peſtium & febrium cohortibus impetitus eſt? Cur non denique morti æternæ, mortis illius auctor, devotus eſt? Imo, quare Adamus; ſi tranſgreſſionem & inobedientiam ejus excipimus; nullis aliis criminibus & peccatis claruit? Quare athletice valuit? Quare vitam longævam duxit ad triginta & nongentos annos? Quare nullus Theologorum relegavit illum ad inferos; ut inter damnatorum & reproborum cruciatus, morte æterna plecteretur? Sin parte alia nullus unquam mortalium, vel particeps vel conſcius revera fuit peccati Adamici: imo ſi puriores fuere homines omnes peccati illius, quam ſunt ſceleris puri infantes; ut pote qui neque dum nati erant quandò Adamus peccavit: Quid cauſæ fuit, quare evaderent homines ex peccato illo, vel nequiores, vel morboſiores, vel damnatiores Adamo ipſo? Conſtat enim, innumeros homines, peccatis & ſceleribus Adamo ipſo nominatiores ex peccato Adami creditos, tum male habitos, vita brevi & ægra affectos, ad Tartara demum extremo rerum judicio adigendos, ut ibi mortem immortalem tranſigant.

Tenebras illas clarorem merum reddam ex mea hypotheſi: ſi conſideramus peccantem Adamum; vel adverſus legem, quod peccatum legale fuit; vel ex vitio naturę ſuę corruptioni obnoxię, quod peccatum naturale eſt. Si conſideramus Adamum peccantem peccato legali, vel adverſus legem, quod idem eſt: concipiemus indidem il-

lum, non reſpectu tantum habito ad ſe ipſum, ſed reſpectu etiam habito ad omnes homines, & ad totum genus humanum quod repræſentabat: cujus repræſentationis vi & virtute, imputationem peccati illius, ſibi, & toti generi humano meruit. Quemadmodum enim Legatus, qui deditionem totius populi, civitatis ſuæ nomine, ad victorem Principem facit: non ſe ipſum tantum, ſed homines omnes totius civitatis quos Legatus repræſentat, deditionis lege obſtringit. Sic Adamus nomine illo quo totum genus humanum repræſentabat; non ſe ipſum tantum, ſed homines omnes lege decreta in peccatum ſuum obſtrinxit; nec non eoſdem, atque ſe ipſum, imputationis peccati illius reddidit participes. Ac veluti in negotio deditionis quam facit Legatus civitatis ſuæ nomine; omnes ex æquo deditionis leges ſubeunt, tam Legatus, quam homines civitatis ſuæ omnes: pari omnino ratione, in negotio peccati Adamici, totum ex æquo genus humanum imputationem peccati illius ſubiit; tam Adamus, quam homines omnes. Tum quo argumento deditio illa non recipit magis & minus, ut Schola loquitur; neque cenſetur ex dediticiis illis omnibus, alter altero minus aut mage deditus: ſimili prorſus ratiocinio, imputatio peccati Adamici, neque magis neque minus recepit: neque enim cenſeri potuit peccatum Adamicum, uni quam alteri omnium hominum, quotquot ſunt, quotquot fuerunt, & quotquot erunt, magis aut minus imputatum. Et de illo peccato vere & apposite uſurpari valuit Lucani illud: --- *Quos inquinat, æquat.* Imo & Adamus & homines omnes, quotquot ſunt, quotquot fuerunt, & quotquot erunt; pœnas ex æquo dederunt peccati illius. Omnes enim

enim ex æquo condemnationem mortis decretam in peccatum illud ſuſtinuerunt: nec non putati ſunt homines illi omnes ex æquo mortui; morte illa legali, ſpiritali, & Myſtica; quæ peccatum illud legale, ſpiritale, & Myſticum, conſequuta eſt.

Iam vero, ſi conſideramus Adamum peccantem, ex vitio naturæ ſuæ corruptioni deditæ, quod peccatum naturale eſt: tunc concipiemus illum reſpectu tantum habito ad ſe ipſum, non ad ceteros homines. Atque illo reſpectu, quo plus ſibi ipſi peccaviſſet Adamus peccato illo naturali; plus etiam pœnæ & mali naturalis ſibi ipſi intriviſſet: atque adeo in mortem acerbiorem incidiſſet. Et enimvero quoniam peccatum naturale magis & minus recipit, ſecundum magis aut minus corruptam naturam: nec non magis & minus recipiunt pœnæ omnes naturales, & mala omnia naturalia, quæ peccatum illud naturale conſequuntur. Qua vero ratione Adamus, præ ceteris hominibus, natura minus corrupta præditus fuit: nempe illud formationis ſuæ prærogativa, quam à Deo ipſo habuit: minus etiam & ceteris hominibus peccavit peccato naturali. Atque adeo peccati illius ſui minores dedit pœnas, & minora mala paſſus eſt, quam ceteri homines paſſi ſunt: imo & quam propter idem illud peccatum etiamnunc patiuntur.

Caſtigemus examen hoc in æquatiſſima rectæ rationis trutina: ut extra omnem controverſiam appareat, tum peccata hominum omnia, tum malorum omnium peſtes quæ homines male mulcant, tum mortem eorum æternam quæ illos vita æterna interdicit: ex ſuo illo vitio quod ſibi ipſis naturaliter inhæret, non ex alieno Adami delicto, dimanaviſſe. Vnde amabo ſitis illa-

ſanguinis, qua homo homini fera eſt, & qua homo hominem trucidat? nonne ex bile atra qua jecur hominis tumet? Vnde inceſtæ illæ, & contra leges nuptiæ? unde & inverſo uſu concubitus? unde nefandæ Veneres illæ quibus homines ardent beſtias? Nonne ex perverſa & corrupta libidine, quæ perverſæ & corruptæ naturæ impetigo eſt? Vnde & furta? ex innata rapiendi prurigine. *Vnde bella & lites in vobis?* aiebat D. Iacobus capite 4. ſuæ epiſtolæ: *Nonne hinc, ex concupiſcentiis veſtris*? Tum vero & hinc maxime conſtat, vitia illa naturæ & materiæ ipſi hominum addicta, & penitus affixa: quod cum eadem ſit materies hominum quæ beſtiarum; communia itidem vitia illa ſint hominibus & beſtiis. Hinc nimirum eſt quod homicidas, truces, & crudeles homines; vocare ſoleamus, tigres, urſos, leones: libidinoſos, hircos: obtrectatores, canes: furum manus, milvinas & aquilinas ungulas: ventri deditos, porcos, &c. Niſi forte putamus, imputatum & beſtiis peccatum Adami, talia & ipſis vitia ingeneraviſſe. Quod vere eſſet peponem pro corde gerere.

Vnde porro vapide ſe habent homines? unde liene tanquam zona cincti ſunt? unde illos urget morbus regius? unde illis oculi herbei? hiræ dolent? radices cordis pereunt? unde illis febres continuæ, intervallatæ, & periodicæ? unde & multiplices arthritidis ſpecies? tum vel arena vel glarea calculi, quæ ſtranguriam parit? unde & innumeræ malorum facies, quibus tentantur humana corpora? nonne ex pravis humanorum corporum affectionibus? Quæ ſcilicet mala in ægris, tum intenduntur, tum remittuntur; ut in eiſdem, vel intenduntur, vel remittuntur pravæ illorum affectiones. At certe, varietates

pec-

peccatorum & valetudinum, quæ homines vel malos vel morboſos faciunt: peccatorum itidem & valetudinum intentiones & remiſſiones, plane indicant, vitia illa omnia deduci ex natura & materia ipſa hominum; quæ ut varie affecta eſt, variis itidem modis, tum magis & minus, vel corrumpitur vel agitatur. Neque vero peccatum legale Adami tale quid unquam efficere valuit. Vnicum enim fuit, non varium: tum neque intentius & remiſſius homines invaſit: Omnes enim ex æquo, ut prædixi, reos fecit. Ac proinde omnes ex æquo vel malos vel morboſos effeciſſet, imo & omnes eodem genere peccati & mortis affectos; ſi quod peccant & febriunt, homines, ex peccato illo uno & unius generis, cauſam & originem traxiſſet.

Objicitur. Adamum, quando legem tranſgreſſus eſt, peccaviſſe naturaliter. Naturaliter enim concupiviſſe fructum vetitum, & naturaliter manducaviſſe illum. Naturale ergo, inquiunt, peccatum Adami fuit, non legale tantum. Atque adeo, neque ſola imputatione ſpiritali & Myſtica; ſed & ratione naturæ & traducis ipſius ab Adamo deductæ, pervaſit in omnes homines. Reſpondeo. Non propterea peccaviſſe Adamum, quod naturaliter concupiviſſet fructum, & naturaliter comediſſet illum. Sed quod contra vetitum appetiiſſet, & contra legem glutiiſſet. Peccatum Adami vocavit Apoſtolus *Inobedientiam:* moralem, non naturalem: vel quatenus formale, non materiale, peccati illius fuit. Formale, inquam, morale, & myſticum, quod unice Adamo & omnibus hominibus imputatum eſt, propter quod unice mortem ſibi & omnibus hominibus meruit. Naturale & materiale peccati illius, peccatum proprie non erat.

Nullum enim peccatum erat per ſe & naturaliter, concupiviſſe & manducaviſſe fructum, *qui erat pulcher oculis, & bonus ad veſcendum.* ut de illo teſtatur Moſes. Peccati illius virtus in ſola transgreſſione & inobedientia Adami conſtitit: quæ peccati ejuſdem morale & formale fuit.

Peccatum porro idem illud dupliciter Adamo imputatum fuit: quatenus legem Dei animo & voluntate corrupta tranſgreſſus eſt; vel quatenus eandem corpore & manducatione ipſa infregit. Quatenus legem Dei animo & voluntate corrupta violavit Adamus; quod morale & ſpiritale peccati ejus fuit; incidit in condemnationem decretam ex lege Dei, & morte mortuus eſt: morte inquam morali & ſpiritali, quam pro Adamo reapſe & corpore paſſus eſt Chriſtus. Quatenus corpore tranſgreſſus eſt Adamus, corpore ilicet Paradiſo ejectus eſt: *ne forte*, ait Geneſis, *manum ſuam mitteret, & ſumeret de ligno vitæ, & viveret in æternum.*

Vtrumque omnibus hominibus accidit ex tranſgreſſione Adami; mori, & Paradiſo ejici: ſed utrumque, ſignificatione, parabola, & ſimilitudine. Mortui ſunt homines omnes ex peccato Adami, morte eadem ſpiritali, & myſtica, qua Adamus mortuus eſt: Ejecti ſunt omnes Paradiſo, non actualiter & corpore, ut Adamus ejectus eſt; ſed ſignificante myſterio. Interdicebat ſcilicet homines omnes Paradiſo Dei, & vitæ æterna quæ apud Deum eſt, ſua ſibi natura corruptioni & morti obnoxia. Intercluſit bis aditum ad eundem Paradiſum & ad eandem vitam æternam, lex data Adamo, quæ *virtutem addidit peccato*, ut loquitur epiſtola ad Corinthios ſecunda; quæque peccatum effecit *peccans* καθ' ὑπερβολὴν, ut loquitur epiſtola ad Romanos. At-

que

que adeo duplici repagulo occluſa erat via hominibus ad Paradiſum,& ad vitam æternam: naturæ humanæ vitio, & rigore divinæ legis; quæ ſtricta fuit, quæque ſtrictam aciem euntibus ad Paradiſum obtulit. Natura ipſa hominum corruptioni & morti dedita, primum fuit & materiale repagulum; ſuum ſibi innatum impedimentum, quod interclufit aditum hominibus ad immortalitatem. Violata lex ab Adamo, ſecundum fuit & ſpiritale repagulum; non innatum, ſed alienum impedimentum,quod eiſdem occluſit Paradiſum: quodque non natura,neque Adami traduce; ſed imputatione, ſpiritu, & fictione mera divini myſterii omnibus hominibus objectum eſt; ut ratione eadem vita æterna abdicarentur. Suſtulit Chriſtus moriens ſecundum repagulum ſpiritale & myſticum, ex transverſo ab Adamo oppoſitum. Supereſt primum naturale & materiale,àChriſto reſurgente & ſanctificante amovendum. Paradiſo autem ejecti ſunt, & vita æterna interdicti, mortales & mortui ex peccato Adami homines; myſtice & parabolice: ut beneficio mortis & reſurrectionis Chriſti,pateret eiſdem aditus ad Paradiſum eundem; & vita æterna fruerentur, non myſtice & parabolice, ſed vere & reapſe, quibus datum foret electis.

CAPUT VIII.

Omnes homines peccaverunt ad ſimilitudinem peccati Adamici. Infantes peccaverunt ad eandem ſimilitudinem.

SCripſit Apoſtolus, Adamum fuiſſe typum, Chriſti. Fuit ergo ChriſtusAdami prototypus. At ratione ſimilitudinisAdamicæ cum

Chr-

Chriſto prototypo ſuo :. quo argumento Chriſtus reficiens quos Adamus perdiderat, non fuit ultimus omnium hominum, ut præteritos tantum homines gratia & juſtitia ſua comprehenderet: ita neque fieri debuit Adamus primus hominum omnium, ut futuros tantum homines imputatione peccati ſui involveret. Tum quo prototypo mors Chriſti imputata fuit hominibus omnibus, & Chriſti coætaneis, & natis ante Chriſtum à temporibus æternis, & illis qui poſt Chriſtum nati ſunt, nec non in finem uſque ſeculorum poſt illa naſcentur: eodem typo, vel eadem ſimilitudine prototypi, peccatum Adami imputatum fuit hominibus omnibus; & Adami coætaneis, & natis ante Adamum à temporibus æternis, & illis qui poſt Adamum nati ſunt, nec non in finem uſque ſeculorum naſcentur: damnandoſque pariter temporum homines omnium, unum Adami peccatum præſtitit.

Nempe illud ipſum fuit quod verbis conceptiſſimis voluit Apoſtolus, loco eodem capitis 5 ad Romanos; ubi dixit: *Mortem regnaviſſe ab Adamo uſque ad Moſem: In eos etiam qui non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami.* Ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας: in eos qui non peccaverant. Quæ de hominibus natis ante Adamum procul dubio intelligenda ſunt. Peccaverant ſcilicet ante Adamum nati homines. Peccaverunt poſt illum nati. Non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami ante Adamum nati homines. Peccaverunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis ejus poſt Adamum geniti.

Quæ ut ordine aperiam; Notandum eſt, neminem unquam mortalium peccaviſſe actu quod Adamus peccavit: ſed actu imputatum fuiſſe

omni-

Digitized by Google

omnibus. Nullus ſiquidem, ut prædixi, manducavit actu fructum ſcentiæ boni & mali ; quem ſecundum vulgatam opinionem, neque ullus vidit mortalium, neque vidiſſe unquam potuit: ſublata enim eſt arbor ipſa è conſpectu hominum, ex quo Adamus Paradiſo ſubmotus eſt. At ſi nullus peccare potuit actu quod Adamus peccavit; & ſi omnes peccaverunt quod Adamus peccavit : ſupereſt ut peccaverint omnes ad ſimilitudinem illius peccati ; per imputationem ſcilicet peccati ejuſdem. Convenit ſane Theologos inter orthodoxos, quod ſupra notatum eſt : Imputare alicui peccatum alterius ; eſſe, eundem eodem loco habere ac ſi ipſe peccatum illud commiſiſſet. In quo requiritur, ut perſonarum altera peccatum illud actualiter non commiſerit : alioqui jam non alienum peccatum, ſed ſuum ſibi imputaretur. Imputatum autem fuiſſe alienum peccatum Adami hominibus omnibus, pro comperto eſt. Statuendum ergo utique eſt, homines omnes eodem loco fuiſſe habitos ac ſi ipſi peccatum illud patraviſſent : non actualiter ; alioqui jam non alienum peccatum Adami, ſed ſuum ſibi hominibus imputatum fuiſſet. Reſtat igitur, ut patraverint homines omnes peccatum Adami, ad ſimilitudinem, ſi non actu. Et enimvero : quoniam nihil eſt in rerum natura; quod non ſit vel actus, quæ eſt veritas rei; vel ſimilitudo, quæ eſt imago veritatis. Nulla porro legitima imputatio ex alieno delicto creari potuit, quam fictione illa qua is qui loco habetur peccantis, verſus putatur in imaginem & ſimilitudinem peccantis; nec non peccaviſſe ad ſimilitudinem, quod peccator ipſe peccavit actu. Nimirum, ut propter ſimilitudinem tranſgreſſionis, ſimiles pœnæ infligantur perſonam

ſonam ac ſimilitudinem peccatoris induto, quæ peccatori ipſi conſtituuntur.

Hoc autem enixe voluit Apoſtolus accidiſſe omnibus hominibus: & idem peccaviſſe quod Adamus peccavit; & eandem pœnam mortis paſſos, quam Adamus paſſus eſt propter idem peccatum ſuum. *Per unum*, inquit, *hominem peccatum intravit in mundum; & per peccatum mors.* Voluit, inquam, homines omnes verſos fuiſſe in imaginem & ſimilitudinem Adami, ut peccaviſſe cenſerentur omnes ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adamicæ: & ſimilis mors regnaret eiſdem, quæ Adamo regnaverat, propter ſimilitudinem tranſgreſſionis ejus. Atque ut nullos homines pœnæ illius mortis ſubduceret Apoſtolus, hæc addidit. *Mortem regnaviſſe ab Adamo, etiam in eos qui non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami.* Notum ſiquidem erat, peccatum Adami pervaſiſſe in homines omnes qui ab Adamo formato nati eſſent, & poſtilla naſcerentur: necnon mortem regnaviſſe ab illo in eoſdem poſteros. Verum ut homines omnes peccato Adami comprehenderet: homines inquam omnes; quorum radices tantum vergebant ab Adamo, ad præterita & antecedentia Adamum ſecula; quantum illorum rami tendebant ab eodem, ad futura & Adamum ſubſequentia tempora: voluit Apoſtolus peccatum Adami æque imputatum fuiſſe ab Adamo præteritis & futuris hominibus; nec non mortem regnaviſſe ab eodem, in eoſdem præteritos & futuros. Mirandum certe, ſed non ſine exemplo, myſterium. Ecce enim Abrahami fides imputata eſt myſterio eodem fidelibus omnibus, & natis ante Abrahamum à temporibus æternis; & qui poſt Abrahamum nati ſunt, & naſcentur in

tempora

tempora uſque æterna: quo intellectu Abrahamus pater credentium dictus eſt, præteritorum & futurorum omnium. Adde his quæ de imputatione mortis Chriſti dudum enarravi. Mortem ſcilicet Chriſti non ſolum imputatam fuiſſe poſt Chriſtum natis hominibus; ſed retro imputatam pervaſiſſe in retro etiam ante Chriſtum creatos & genitos.

Atque ut hæc ita fieri decuit, hæc utique ita fieri potuiſſe ratio, ipſa imputationis myſticæ ſuadet. Spiritu ſcilicet & ratione mera intellectus; ſecundum quam imputatio myſtica homines invadere ſuevit. Quale enim fulgur de nimbo coruſcans, quæ ſupra & quæ infra ſunt lumine uno percurrit; Talis imputatio ex peccato Adami erumpens, vibrata eſt una myſterii & ſpiritus fulgetra in omnes homines: & in illos qui ſupra Adamum nati erant; & in eos qui infra Adamum nati ſunt & naſcentur. Eadem certe ſpiritus & myſterii ratio, quæ nos docet, mortem pervaſiſſe ex peccato Adami in homines neque dum natos infra Adamum longiſſime: docebit nos, eandem mortem regnare potuiſſe ex eodem peccato in illos homines qui nati erant ſupra Adamum longiſſime. Par nimirum cauſa eſt, in myſterio imputationis, præteriti, quæ futuri temporis. Neque novum miraculum quærendum eſt, ut imputetur peccatum ante Adamum creatis hominibus; ſi creditur imputatum fuiſſe neque dum poſt Adamum genitis.

Pererremus autem, quantum animo valebimus, homines à principio uſque ad finem rerum omnes. Et tandem fatendum erit, nullos alios potuiſſe peccare ad diſſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, præter illos qui ante Adamum nati & creati erant. Conſtat enim, homines omnes

omnes poſt Adamum genitos, & natos natorum, & qui naſcentur ab illis; peccaviſſe ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami. At ſi poſteri Adami omnes peccaverunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis ejus: quod amabo genus hominum potuit non peccaviſſe ad ſimilitudinem tranſgreſſionis illius? Certe, illorum ſit neceſſe eſt qui ante Adamum creati erant. Nimirum quos & ante Adamum, quia ante legem, peccaviſſe, manifeſto voluit Apoſtolus, Romanorum 5. Tum quibus ſuum peccatum ante legem & Adamum non imputabatur: quia peccatum non imputatur non exiſtente lege. Atque adeo, qui neque peccaverant, neque peccaviſſe potuerant ad ſimilitudinem peccati Adamici. Ad differentiam poſterorum Adami omnium, qui poſt legem, quia poſt Adamum, peccaverunt: quibus utique peccatum Adami imputatum eſt; quia peccatum imputari cœpit ab lege & Adamo. Atque adeo, qui ſoli peccare potuerunt ad hanc veram tranſgreſſionis Adamicæ ſimilitudinem; de qua hic agitur, & quam ſolam non dubie intellexit hoc loco Apoſtolus.

Ignoſcant Viri ſummi qui D. Apoſtolum interpretati ſunt, ſi dixero; non ſibi conſtare quæ ad hunc locum attulerunt de infantibus: quos idcirco noluerunt peccaviſſe ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, quia, inquiunt, non peccaverunt actu quemadmodum Adamus peccavit. Imo ſi peccaviſſent actu, non peccaviſſent ad ſimilitudinem: quoniam actus, veritas ipſa, non ſimilitudo rei eſt. Atque eo ipſo quod non actu peccaverunt infantes, quæ Adamus actu tranſgreſſus eſt; peccaverint neceſſe eſt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis ejus. Ceterum viros fefellit cele-

celeberrimos mixtura illa quam fecerunt peccatorum Adami naturalium, quæ Adamo inhæſerunt, cum peccato legali, quod ab Adamo tranſiit in omnes homines. Voluerunt ſiquidem illi, infantes non peccaviſſe ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, quia non actu peccaverunt quod Adamus actu peccavit. Verbi gratia: quia non occiderunt actu, quemadmodum Adamus actu, vel occidit, vel occidere potuit: quia non mœchati ſunt actu, quemadmodum Adamus actu, vel mœchatus eſt, vel mœchari potuit: quia non furati ſunt actu, quemadmodum Adamus actu, vel furatus eſt, vel furari potuit: & ſic de ceteris peccatis Adami naturalibus. Atqui non agebatur hoc loco de ſimilitudine peccatorum Adami omnium. ſed de ſimilitudine inobedientiæ Adami unicæ. quod ſerio notandum eſt. In quam inobedientiam nullus neque adultorum neque infantium incidere actu potuit. Non dixit Apoſtolus: *qui non peccaverant ad ſimilitudinem peccatorum Adami.* Imo illud dumtaxat: *qui non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami*. Agebatur ſiquidem hic; non de peccatis Adami omnibus, & quæ ſibi ſoli naturaliter peccavit Adamus: ſed de una Adami tranſgreſſione, quæ imputatione tranſiit in omnes homines. Omnes, inquam, infantes & adultos: quatenus omnes indiſtincte hominis nomine & ſpecie veniunt: & quatenus omnes infantes & adulti, nec non omnium ætatum omnes, peccaverunt ſpiritu & myſterio, non natura & materia, ad ſimilitudinem tranſgreſſionis illius Adamicæ. Quamvis enim ſimilitudo intercedat hominibus omnibus peccatorum ſuorum naturalium, cum peccatis Adami naturalibus: non illam tamen ſimilitudinem

mici ſæviiſſe in ipſos mortuos, prodigio ſimile, vel prodigium merum videbitur; fixum ratumque habentibus, nullam aliam mortem potuiſſe obvenire hominibus, præter illam quæ in eos pervaſit ex ſemine Adami; quod,ut aiunt, mortale evaſit, & mortem peperit ex quo Adamus peccavit. Hoc enim poſito, impoſſibile eſt, ſibi fingere, mortem ex peccato & ſemine Adami, pervaſiſſe in homines illos qui Adamum anteceſſerunt: quia factu & conceptu impoſſibile eſt, Adamum ſuos unquam genuiſſe antecedentes. Verum enimvero: ſi mortem illam quæ ex peccato Adami pervaſit in homines omnes, myſticam & ſpiritalem intelligimus: quæ neque naturaliter, neque ex ſemine Adami, ſed myſtice & ſpiritaliter ab Adamo effuſa & refuſa eſt in homines omnes; nihil illo dilutius erit negotio. Etenim qua ratione concipimus, mortem invaſiſſe Adamum, & in illo futuros omnes homines, momento illo quo peccavit; quidni concipiemus mortem eandem potuiſſe invadere præteritos & futuros? Et ſi quid eſt quod de præteritis dici videatur impoſſibile; quidni eodem impoſſibilis gradu venient futuri & non nati homines cum præteritis & mortuis? Imo potior in hoc myſterio debuit haberi ratio præteritorum mortuorum, quam futurorum non natorum. Quia mortui qui non ſunt, eſſe tamen aliquomodo putantur, qua fuerunt certiſſime: præ futuris & non natis, qui nunquam fuerunt, neque adeo certum eſt an unquam futuri ſint.

Apoſtolus diſerte nos docuit, regnum mortis evanuiſſe ab interitu legis Moſaicæ, vel à Chriſto, quod idem eſt. Nemo tamen eſt qui dubitet, mortem regnaviſſe in omnes itidem homines qui à Chri-

nem naturalem & materialem intellexit hoc loco Apoſtolus: quippe quæ communionem habere potuit cum beſtiis ipſis; ad quarum ſimilitudinem peccant homines omnes naturaliter & materialiter, propter eandem naturæ & materiæ communionem. Illam tantum ſimilitudinem ſpiritalem & myſticam tetigit D. Paulus, quæ hominibus ſolis competiit. Hominibus inquam illis qui communionem itidem habent ſpiritalem & myſticam cum Chriſto: ad cujus participationem nefas eſſet dixiſſe venire etiam beſtias.

CAPUT IX.

Qua ratione retro acta fuerit imputatio peccati Adamici in anteceſſores Adami. Myſterio ſcilicet ad ſalutem anteceſſorum eorundem comparato. Qua ratione potuerint ſalvi fieri anteceſſores Adami illi.

VErum inquiunt: Qui potuit imputatio tranſgreſſionis Adamicæ in anteceſſores Adami retro agi? Qui potuit itidem mors regnare in anteceſſores Adami, iiſdem vita caſſis? Neque vero mirum videbitur, imputationem peccati Adamici retro actam fuiſſe in anteceſſores Adami omnes mortuos & ſepultos; reputantibus quæ ſupra & plus ſatis inculcavi: imputationem fidei Abrahamicæ, Theologorum ipſorum conſenſu, retro actam fuiſſe in anteceſſores Abrahami quantumvis mortuos: Chriſtum autem imputatum fuiſſe tum ſuis tum Abrahami anteceſſoribus, mortuis utique & ſepultis.

At certe mortem regnaviſſe in eoſdem mortuos; & mortem ex imputatione peccati Adamici

mici ſæviiſſe in ipſos mortuos, prodigio ſimile, vel prodigium merum videbitur; fixum ratumque habentibus, nullam aliam mortem potuiſſe obvenire hominibus, præter illam quæ in eos pervaſit ex ſemine Adami; quod,ut aiunt, mortale evaſit, & mortem peperit ex quo Adamus peccavit. Hoc enim poſito, impoſſibile eſt, ſibi fingere, mortem ex peccato & ſemine Adami, pervaſiſſe in homines illos qui Adamum antecesſerunt: quia factu & conceptu impoſſibile eſt, Adamum ſuos unquam genuiſſe antecedentes. Verum enimvero: ſi mortem illam quæ ex peccato Adami pervaſit in homines omnes, myſticam & ſpiritalem intelligimus: quæ neque naturaliter, neque ex ſemine Adami, ſed myſtice & ſpiritaliter ab Adamo effuſa & refuſa eſt in homines omnes; nihil illo dilutius erit negotio. Etenim qua ratione concipimus, mortem invaſiſſe Adamum, & in illo futuros omnes homines, momento illo quo peccavit; quidni concipiemus mortem eandem potuiſſe invadere præteritos & futuros? Et ſi quid eſt quod de præteritis dici videatur impoſſibile; quidni eodem impoſſibilis gradu venient futuri & non nati homines cum præteritis & mortuis? Imo potior in hoc myſterio debuit haberi ratio præteritorum mortuorum, quam futurorum non natorum. Quia mortui qui non ſunt, eſſe tamen aliquomodo putantur, qua fuerunt certiſſime: præ futuris & non natis, qui nunquam fuerunt, neque adeo certum eſt an unquam futuri ſint.

Apoſtolus diſerte nos docuit, regnum mortis evanuiſſe ab interitu legis Moſaicæ, vel à Chriſto, quod idem eſt. Nemo tamen eſt qui dubitet, mortem regnaviſſe in omnes itidem homines qui à Chri-

nem naturalem & materialem intellexit hoc loco Apoſtolus: quippe quæ communionem habere potuit cum beſtiis ipſis; ad quarum ſimilitudinem peccant homines omnes naturaliter & materialiter, propter eandem naturæ & materiæ communionem. Illam tantum ſimilitudinem ſpiritalem & myſticam tetigit D.Paulus, quæ hominibus ſolis competiit. Hominibus inquam illis qui communionem itidem habent ſpiritalem & myſticam cum Chriſto: ad cujus participationem nefas eſſet dixiſſe venire etiam beſtias.

CAPUT IX.

Qua ratione retro acta fuerit imputatio peccati Adamici in anteceſſores Adami. Myſterio ſcilicet ad ſalutem anteceſſorum eorundem comparato. Qua ratione potuerint ſalvi fieri anteceſſores Adami illi.

VErum inquiunt: Qui potuit imputatio tranſgreſſionis Adamicæ in anteceſſores Adami retro agi? Qui potuit itidem mors regnare in anteceſſores Adami, iiſdem vita caſſis? Neque vero mirum videbitur, imputationem peccati Adamici retro actam fuiſſe in anteceſſores Adami omnes mortuos & ſepultos; reputantibus quæ ſupra & plus ſatis inculcavi: imputationem fidei Abrahamicæ, Theologorum ipſorum conſenſu, retro actam fuiſſe in anteceſſores Abrahami quantumvis mortuos: Chriſtum autem imputatum fuiſſe tum ſuis tum Abrahami anteceſſoribus, mortuis utique & ſepultis.

At certe mortem regnaviſſe in eoſdem mortuos; & mortem ex imputatione peccati Adamici

mici ſæviiſſe in ipſos mortuos, prodigio ſimile, vel prodigium merum videbitur; fixum ratumque habentibus, nullam aliam mortem potuiſſe obvenire hominibus, præter illam quæ in eos pervaſit ex ſemine Adami; quod,ut aiunt, mortale evaſit, & mortem peperit ex quo Adamus peccavit. Hoc enim poſito, impoſſibile eſt, ſibi fingere, mortem ex peccato & ſemine Adami, pervaſiſſe in homines illos qui Adamum anteceſſerunt: quia factu & conceptu impoſſibile eſt, Adamum ſuos unquam genuiſſe antecedentes. Verum enimvero: ſi mortem illam quæ ex peccato Adami pervaſit in homines omnes, myſticam & ſpiritalem intelligimus: quæ neque naturaliter, neque ex ſemine Adami, ſed myſtice & ſpiritaliter ab Adamo effuſa & refuſa eſt in homines omnes; nihil illo dilutius erit negotio. Etenim qua ratione concipimus, mortem invaſiſſe Adamum, & in illo futuros omnes homines, momento illo quo peccavit; quidni concipiemus mortem eandem potuiſſe invadere præteritos & futuros? Et ſi quid eſt quod de præteritis dici videatur impoſſibile; quidni eodem impoſſibilis gradu venient futuri & non nati homines cum præteritis & mortuis? Imo potior in hoc myſterio debuit haberi ratio præteritorum mortuorum, quam futurorum non natorum. Quia mortui qui non ſunt, eſſe tamen aliquomodo putantur, qua fuerunt certiſſime: præ futuris & non natis, qui nunquam fuerunt, neque adeo certum eſt an unquam futuri ſint.

Apoſtolus diſerte nos docuit, regnum mortis evanuiſſe ab interitu legis Moſaicæ, vel à Chriſto, quod idem eſt. Nemo tamen eſt qui dubitet, mortem regnaviſſe in omnes itidem homines qui

à Chri-

nem naturalem & materialem intellexit hoc loco Apoſtolus: quippe quæ communionem habere potuit cum beſtiis ipſis; ad quarum ſimilitudinem peccant homines omnes naturaliter & materialiter, propter eandem naturæ & materiæ communionem. Illam tantum ſimilitudinem ſpiritalem & myſticam tetigit D.Paulus, quæ hominibus ſolis competiit. Hominibus inquam illis qui communionem itidem habent ſpiritalem & myſticam cum Chriſto: ad cujus participationem nefas eſſet dixiſſe venire etiam beſtias.

CAPUT IX.

Qua ratione retro acta fuerit imputatio peccati Adamici in anteceſſores Adami. Myſterio ſcilicet ad ſalutem anteceſſorum eorundem comparato. Qua ratione potuerint ſalvi fieri anteceſſores Adami illi.

VErum inquiunt: Qui potuit imputatio tranſgreſſionis Adamicæ in anteceſſores Adami retro agi? Qui potuit itidem mors regnare in anteceſſores Adami, iiſdem vita caſſis? Neque vero mirum videbitur, imputationem peccati Adamici retro actam fuiſſe in anteceſſores Adami omnes mortuos & ſepultos; reputantibus quæ ſupra & plus ſatis inculcavi: imputationem fidei Abrahamicæ, Theologorum ipſorum conſenſu, retro actam fuiſſe in anteceſſores Abrahami quantumvis mortuos: Chriſtum autem imputatum fuiſſe tum ſuis tum Abrahami anteceſſoribus, mortuis utique & ſepultis.

At certe mortem regnaviſſe in eoſdem mortuos; & mortem ex imputatione peccati Adamici

mici ſæviiſſe in ipſos mortuos, prodigio ſimile, vel prodigium merum videbitur; fixum ratumque habentibus, nullam aliam mortem potuiſſe obvenire hominibus, præter illam quæ in eos pervaſit ex ſemine Adami; quod,ut aiunt, mortale evaſit, & mortem peperit ex quo Adamus peccavit. Hoc enim poſito, impoſſibile eſt, ſibi fingere, mortem ex peccato & ſemine Adami, pervaſiſſe in homines illos qui Adamum anteceſſerunt: quia factu & conceptu impoſſibile eſt, Adamum ſuos unquam genuiſſe antecedentes. Verum enimvero: ſi mortem illam quæ ex peccato Adami pervaſit in homines omnes, myſticam & ſpiritalem intelligimus: quæ neque naturaliter, neque ex ſemine Adami, ſed myſtice & ſpiritaliter ab Adamo effuſa & refuſa eſt in homines omnes; nihil illo dilutius erit negotio. Etenim qua ratione concipimus, mortem invaſiſſe Adamum, & in illo futuros omnes homines, momento illo quo peccavit; quidni concipiemus mortem eandem potuiſſe invadere præteritos & futuros? Et ſi quid eſt quod de præteritis dici videatur impoſſibile; quidni eodem impoſſibilis gradu venient futuri & non nati homines cum præteritis & mortuis? Imo potior in hoc myſterio debuit haberi ratio præteritorum mortuorum, quam futurorum non natorum. Quia mortui qui non ſunt, eſſe tamen aliquomodo putantur, qua fuerunt certiſſime: præ futuris & non natis, qui nunquam fuerunt, neque adeo certum eſt an unquam futuri ſint.

Apoſtolus diſerte nos docuit, regnum mortis evanuiſſe ab interitu legis Moſaicæ, vel à Chriſto, quod idem eſt. Nemo tamen eſt qui dubitet, mortem regnaviſſe in omnes itidem homines qui à Chri-

nem naturalem & materialem intellexit hoc loco Apoſtolus: quippe quæ communionem habere potuit cum beſtiis ipſis; ad quarum ſimilitudinem peccant homines omnes naturaliter & materialiter, propter eandem naturæ & materiæ communionem. Illam tantum ſimilitudinem ſpiritalem & myſticam tetigit D. Paulus, quæ hominibus ſolis competiit. Hominibus inquam illis qui communionem itidem habent ſpiritalem & myſticam cum Chriſto: ad cujus participationem nefas eſſet dixiſſe venire etiam beſtias.

CAPUT IX.

Qua ratione retro acta fuerit imputatio peccati Adamici in anteceſſores Adami. Myſterio ſcilicet ad ſalutem anteceſſorum eorundem comparato. Qua ratione potuerint ſalvi fieri anteceſſores Adami illi.

VErum inquiunt: Qui potuit imputatio tranſgreſſionis Adamicæ in anteceſſores Adami retro agi? Qui potuit itidem mors regnare in anteceſſores Adami, iiſdem vita caſſis? Neque vero mirum videbitur, imputationem peccati Adamici retro actam fuiſſe in anteceſſores Adami omnes mortuos & ſepultos; reputantibus quæ ſupra & plus ſatis inculcavi: imputationem fidei Abrahamicæ, Theologorum ipſorum conſenſu, retro actam fuiſſe in anteceſſores Abrahami quantumvis mortuos: Chriſtum autem imputatum fuiſſe tum ſuis tum Abrahami anteceſſoribus, mortuis utique & ſepultis.

At certe mortem regnaviſſe in eoſdem mortuos; & mortem ex imputatione peccati Adamici

mici ſæviiſſe in ipſos mortuos, prodigio ſimile, vel prodigium merum videbitur; fixum ratumque habentibus, nullam aliam mortem potuiſſe obvenire hominibus, præter illam quæ in eos pervaſit ex ſemine Adami; quod, ut aiunt, mortale evaſit, & mortem peperit ex quo Adamus peccavit. Hoc enim poſito, impoſſibile eſt, ſibi fingere, mortem ex peccato & ſemine Adami, pervaſiſſe in homines illos qui Adamum anteceſſerunt: quia factu & conceptu impoſſibile eſt, Adamum ſuos unquam genuiſſe antecedentes. Verum enimvero: ſi mortem illam quæ ex peccato Adami pervaſit in homines omnes, myſticam & ſpiritalem intelligimus: quæ neque naturaliter, neque ex ſemine Adami, ſed myſtice & ſpiritaliter ab Adamo effuſa & refuſa eſt in homines omnes; nihil illo dilutius erit negotio. Etenim qua ratione concipimus, mortem invaſiſſe Adamum, & in illo futuros omnes homines, momento illo quo peccavit; quidni concipiemus mortem eandem potuiſſe invadere præteritos & futuros? Et ſi quid eſt quod de præteritis dici videatur impoſſibile; quidni eodem impoſſibilis gradu venient futuri & non nati homines cum præteritis & mortuis? Imo potior in hoc myſterio debuit haberi ratio præteritorum mortuorum, quam futurorum non natorum. Quia mortui qui non ſunt, eſſe tamen aliquomodo putantur, qua fuerunt certiſſime: præ futuris & non natis, qui nunquam fuerunt, neque adeo certum eſt an unquam futuri ſint.

Apoſtolus diſerte nos docuit, regnum mortis evanuiſſe ab interitu legis Moſaicæ, vel à Chriſto, quod idem eſt. Nemo tamen eſt qui dubitet, mortem regnaviſſe in omnes itidem homines qui

à Chri-

à Chriſto uſque ad nos geniti ſunt, & in illos qui à nobis uſque ad finem ſeculorum progignentur. Quæſtio eſt à quo tempore regnaverit mors in illos homines qui à Chriſto mortuo nati ſunt, & naſcentur. Certe non à Chriſto mortuo, ut dictum eſt: Chriſtus enim moriens vitam & regnum morti abſtulit. A tempore ergo illo quo regnum mortis viguit. Ab Adamo ſcilicet, & à tempore illo quo propter violatam legem mori meruit Adamus, & mori meruerunt homines omnes in Adamo: quique eleganter Caſſiodoro dicti ſunt; *Mortem contraxiſſe antequam vitæ principia reperiſſent*. Regnavit ergo mors ab Adamo, in futuros & nondum natos homines. Quod an aliter fieri potuerit quam ratione myſtica, & pura puta operatione intellectus, conſulat quiſque bonam ſuam mentem. Quid porro vetuit eadem ſtatuiſſe de præteritis quæ de futuris hominibus? Mortem ſcilicet myſtice regnaviſſe in illos, atque in hos myſtice regnaviſſe concedimus.

Ratione itidem myſtica, vel quod idem eſt, parabolica, & fictione ipſa juris; plus cauſæ erit quare regnaverit mors præteritis mortuis, quam futuris non natis: ſi revocamus in animum quod uſu fit apud animadverſores ſcelerum, quibus non novum eſt mortem infligere mortuis: qui jubent cadavera nocentium ſtare judicio; ut ſecundum pœnas legum morte illa civili afficiantur, quam morte naturali præverterunt. Quæ vero lex adeo crudelis tale quid ſtatuit de futuris hominibus? & quæ non natos homines condemnatione mortis perſequuta eſt? Cogitemus ergo, mortem ſpiritalem & myſticam regnaviſſe ex peccato Adami in præteritos homines Adami anteceſſores; eodem modo quo

quo jus civile finxit, morte naturali mortuos potuiſſe & morte civili inſuper condemnari.

Age vero, inſurget aliquis. Moriuntur ut meriti ſunt, morte civili & ſententia Iudicis; nocentes illi mortui propter violatas leges civiles. Sed quid de Deo tam male meruerunt mortui illi ante Adamum homines, qui nullam legem Dei violaverant, quia nulla eis data erat? Et quæ tam barbara religio morem hunc permiſit, ut & mortuos reatu obſtringeret, ut & mortuos denuo necaret, ut in illos ſæviret innocentes; & mortem legalem ex lege quam non tranſgreſſi erant, morti illorum naturali adderet? Abſit autem ut quicquam vel injuſti vel truculenti, de Deo, & de lege Dei, concipiamus. Abſit ut tale unquam nefas in animum noſtrum inducamus; Deum legibus & myſteriis ſuis quicquam ſtatuiſſe de hominibus, in hominum perniciem: quod & ſupra refutavimus. Quicquid decrevit Deus de hominibus, in ſalutem hominum decretum eſt. Et ſi quid fuit quod alias minus illis bene vertere videretur, convertet Deus olim idem illud in melius. Conſultum igitur exquiſitumque fuit hominibus illis qui Adamum anteceſſerunt, mori ex tranſgreſſione & peccato Adami; ut reſurgant olim ex mortuis ſecundum ſpiritum ſanctificationis quæ eſt in Chriſto. Salvi fuerunt quia perierunt. Et damnum putatum fuiſſet myſterii, niſi qui reſurgere potuiſſent, periiſſent. Perfici vero in illis utrumque potuit, & mori in Adamo & reſurgere in Chriſto, mutuis & reciprocis imputationibus Adami & Chriſti, myſtice & ſpiritaliter intellectis: ſi concipimus damnationem mortis ex peccato Adami eadem ratione in illos retro actam, qua intelligimus abſolutionem de condemna-

tione illa ex ſatiſdatione & morte Chriſti, myſtice etiam & ſpiritaliter retro effuſam in eoſdem.

Imo objiciunt. Qui potes erunt unquam antecesſſores Adami illi, ſanctificari & reſurgere ad vitam æternam in Chriſto, ſi vita æterna quæ ſalus hominum eſt, nullis conceditur niſi illis qui noverunt Deum patrem, & crediderunt in Chriſtum filium quem miſit Deus pater? At quomodo potuerunt vel noſſe Deum patrem, vel credere in Chriſtum filium, anteceſſores Adami illi; quibus nihil unquam de Patre neque de Filio dictum eſt? Cognitio enim, & fides, ex auditu ſunt. Ad hæc ut reſpondeam pro re & loco, ſciendum eſt: homines bonos omnes, Adamum antecedentes, potuiſſe præſumere ſalutem ſuam, ſpe & confidentia eadem qua patres Iudæos omnes, ab Adamo ad Chriſtum juſtos reputatos, ſalutem eandem concepiſſe credimus. Nam neque patres Iudæi illi, Deum-patrem ut Patrem cognoverunt, neque in Chriſtum-filium crediderunt: aſſerente Apoſtolo, Rom. capite ultimo: Myſterium Dei-patris & Dei-filii *tacitum fuiſſe & abſconditum à ſeculis æternis, uſq; ad ſua tempora.* Tacitum ergo, abſconditum & incognitum Patribus illis ſanctis Iudæis, inter Adamum & Chriſtum interjectis. Quodſi quis laudet Chriſtum ipſum profitentem; Abrahamum & Iſaiam hauſiſſe oculis ſui pectoris diem adventus Chiſti, illique arriſiſſe; Reſpondebo, vidiſſe illos diem Chriſti adventantis, ſed umbris & figuris involutum: qualis

Qui videt, aut vidiſſe putat per nubila Lunam.

Arriſiſſe illos Chriſto, ſed incognito: quales infantes arrident matribus ſuis; quaſque riſu cognoſcere dicuntur, poëtice magis quam vere:

instin-

inſtinctus enim eſt potior in infantibus, quam cognitio.

Scriptum eſt porro Epheſiorum capite primo, Deum elegiſſe gentiles in adoptionem ſuorum ſibi filiorum *ante creationem mundi.* Deus autem non ſinat ut credamus, Electionem illam adeo otioſam & inutilem fuiſſe, à creatiône illa mundi quam ante formationem Adami à temporibus æternis ſupponimus, uſque ad Ieſum Chriſtum; ut nullus homo è gentilibus electus & vocatus fuerit ad participationem ſalutis quæ in Chriſto eſt, per totum illud tempus quod interceſſit à mundi cunabulis uſque ad tumulum Chriſti. Gentilis erat Melchiſedech; neque enim ex generatione Iudaica; quod ſignate notavit epiſtola ad Hebræos, capite 7, verſu. 6. *Et erat Sacerdos Dei ſummi.* Ergo & Electus. Imo vas electionis electiſſimæ: qui decimas accepit ab Abraham: & cujus ſacerdotio æterno comparatum eſt æternum Chriſti ſacerdotium. Creditur gentilis Iob: vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo; ſervus Dei, atque adeo Electus: cuique, Deo ipſo perhibente, ſimilis non erat in terra. Gentilis erat Cornelius centurio ex legione Italica: vir pius & timens Deum cum tota domo ſua, & ſedulam navans operam bonis operibus. Taceo proſelytos quamplurimos. Tum gentiles & illos, quos Achillis noſtri Chiron, MOTHANVS VAYERIVS, longo ordine enumerat in elegantiſſimo juxta & doctiſſimo Tractatu, quem Gallice conſcripſit, & inſcripſit, *De la vertu des Payens.* Viros, inquam, probos, ſpectatos, & ſapientes illos taceo: quos omnes longe ante adventum Chriſti, non à fide abhorruiſſe, imo potius fidei conſentaneum eſt credidiſſe, Electos à Domino, & vo-

catos fuiſſe ad Dominum. At quæ ratio eſt Electorum illorum gentilium qui fuerunt ab Adamo ad Chriſtum; eandem ſtatuo de electis illis gentilibus, quos tulit prior ætas, à mundo creato uſque ad Adamum formatum.

Hacpropter vero gentiles illos omnes, ante & poſt Adamum genitos, viros frugi, manſuetos, & bonæ indolis, Chriſti electos crediderim; quia ex ſervitiis & mancipiis Chriſti fuiſſe illos exiſtimaverim. *Si quis enim ſpiritum Chriſti habuit, is fuit Chriſti*: ex Apoſtolo Romanorum 8. Spiritum autem Chriſti habuiſſe illos autumo, quia tactos & animatos fuiſſe conjicio ſpiritu illo Chriſti, qui ſecretis cogitationibus ſalutem & vitam æternam apud illos operabatur. Inerat gentilibus illis ſpiritus Chriſti, ſicut ineſt infantibus ſua anima qua ſentiunt; & quam ſentiunt infantes, ſed quam non agnoſcunt. Inerat illis ſpiritus Chriſti, ſicut ineſt ratio infantibus; quæ potentia in eis eſt, non actus. Vocatus idcirco Spiritus ille, *Potentia Dei ad ſalutem*, epiſtola ad Romanos capite 1. Inerat illis ſpiritus Chriſti, ſicut ineſt grano frumenti virtus illa quæ potentia vegetativa eſt. *Germinat enim & increſcit granum illud terræ commiſſum, dum neſcit agricola qui ſeminavit illud*: quod notatum eſt Euangelio D. Marci, capite 4. Comparatus hac de cauſa ſpiritus Chriſti, quod regnum Dei eſt, grano illi frumenti. Germinat enim & increſcit ſpiritus ille in Electis; dum neſciunt illum qui illum intra ſe habent Electi. Datus erat ſpiritus Chriſti gentilibus illis electis, neſcientibus, oſcitantibus, & dormientibus: atque illis optime conveniebat Pſalmi illud 127. *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum; Ecce, hæreditas Domini.* Hæreditas inquam Domini; quæ & regnum Dei,

Dei, & ſpiritus Chriſti, & vita æterna eſt. Inerat illis ſpiritus Chriſti, ſed erat abſconditus & incognitus, neque ſe eis confitebatur. Sentiebant & colebant Spiritum illum: ſentiebant quem neſciebant; colebant quem ignorabant. Aras illi ſacrabant quas Deo incognito nuncupabant, & quem Deum incognitum, Ieſum Chriſtum D. Paulus ipſe nominatim interpretatus eſt Athenienſibus. Abſconditus erat in illis Spiritus Chriſti. Quapropter & ipſi Electi in abſcondito: quales vocavit D. Paulus *Iudæos in abſcondito*, Romanorum 3. *Concluſi erant in eam fidem quæ revelanda eis erat.* Quod D. Paulus idem aſſeruit de Iudæis illis ſanctis, qui degerunt ſub lege, ab Adamo ad Chriſtum: nec non accommodari potuit gentilibus illis juſtis, qui degerunt ſub natura, ante legem & Adamum. Erant gentiles illi ſicut *oves errantes quæ neſciebant quo Paſtore ducerentur: ſed quæ*, ſecundum D. Petrum Epiſtola ſua 2, capite 2, potuerunt converti *ad Paſtorem animarum ſuarum*. Abſconditi erant cognitione & profeſſione ſua: atque eatenus cogniti, quatenus potuerunt cognoſci ex eorum operibus: quæ vera & ſolida fuit Electionis ſuæ probatio. Edicente illud Domino ipſo. *Ex operibus eorum cognoſcetis illos.*

Plura de his dicam ſi Deus faverit; ubi agam ex profeſſo de vocatione gentilium, quæ à rejectione Iudæorum invaluit. Ordiar autem partem ſecundam hujus Syſtematis à rejectione ipſa Iudæorum: Quia enim ſatis dixi de electione tum Iudæorum, tum gentilium in Iudæis electorum. Neque de illis faciam longius.

FINIS.

SYNAGOGIS IVDÆORVM VNIVERSIS,

Quotquot ſunt per totum Terrarum orbem ſparſæ.

NATIO ſancta & electa! filii Adam, qui fuit filius Dei: atque adeo & ipſi filii Dei. Salutem veſtram vobis precatur, neſcio quis: atque utinam ex Vobis unus.

Magna ſunt quæ de vobis dixi in Tractatu hoc; ubi egi de Electione veſtra. Multo majora ſunt quæ de vobis dicam in ſequenti; ubi agam de Reſtauratione veſtra. Quam futuram eſſe certo ſcio. Et, ſi quid Deus agit ſecretis cogitationibus apud nos, quam brevi futuram ſpero & confido.

Eripiet Deus caligantem nubem illam, quæ noſtros & veſtros, Chriſtianorum & Iudæorum oculos hebetat. Videbitis Iudæi ſecundum Prophetam veſtrum, IESVM eundem noſtrum quem Patres veſtri transfixerunt, venientem vobis & nobis in nubibus. Et nos viciſſim Chriſtia-

ſtia-

ſtiani, videbimus, ſecundum Apoſtolum noſtrum, REDEMPTOREM veſtrum, venientem ex Sion; peccata veſtra & noſtra delentem. Edixit enim aperte D. Paulus, cap. 11. ad Romanos. TOTVS ISRAEL *ſalvabitur: ſicut ſcriptum eſt*; VENIET REDEMTOR EX SION, *qui delebit iniquitates Iacob*. At, qui delebit iniquitates veſtras, delebit & noſtras. Ergo: ſi edicente D. Paulo, VENIET REDEMTOR VESTER: nondum venit, ſed venturus eſt. Venit certe gentilibus, gentilium redemtor IESVS noſter. Sed qui venit gentilibus, gentilium Salvator IESVS in carne: veniet idem ille CHRISTVS, id eſt MESSIAS, in ſpiritu; Salvator Iudæorum. *Genitus eſt* IESVS *qui dicitur* CHRISTVS; ut ſcriptum eſt in Euangelio D. Matthæi cap. 1. Id eſt: genitus eſt gentilium IESVS, qui dicitur Iudæorum CHRISTVS.

Myſterium IESV domini noſtri, qui venit gentilibus in carne, vobis Iudæis incognitum fuit: abſconditum Patribus veſtris; imo & tacitum toti mundo, à creatione mundi. Quod ſcripſit D. Paulus. Rom. cap. ultimo: ubi vocavit Euangelium: *Patefactionem myſterii, quod tacitum & abſconditum fuerat à ſeculis & temporibus æternis*. Vos ſperabatis in eum qui reſtituturus erat regnum Iſrael. At IESVS in carne evertebat regnum Iſrael; ut in locum Iſrael ſubſtitueret gentilem. Myſterio vobis & ſeculis ipſis incognito. Quocirca, neque cre-

didiſtis in IESVM, *neque potuiſtis credere in illum.* Quod notavit Euangelium D. Ioannis, cap. 12. *Quia dixerat Iſaias; Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ne viderent oculis, & ne intelligerent corde: & convertantur, & ſanem eos.* Converſionem & ſanitatem veſtram diſtulerat Deus in aliud tempus. Obduraviſſe autem dicitur Dominus corda veſtra, quando non illa ſpiritu ſuo emollivit, & inflexit ad cognitionem myſterii illius: *Quod eſt virtus & potentia Dei, ad ſalutem cuivis credenti.* Virtus vero & potentia illa, tota ex Deo erat, non ex hominibus: neque adeo ex vobis, quatenus homines eratis, non dii.

Nempe illud fuit, quod IESVS ipſe, quo momento crucifigebatur à patribus veſtris, & adprime ſciens, illos neſcire eum, & peccare ignorantia, hæc animitus pro illis & pro vobis oravit Deum. *Pater! ignoſce illis: neſciunt enim quid faciunt.* Quin & IESVS idem ille à vobis crucifixus, ſe vobis de cœlo exeret. Et qui regnum veſtrum evertit, cum venit in carne: regnum ille idem veſtrum vobis reſtituet, cum veniet in ſpiritu.

Stabitis attoniti ad tantum miraculum. Sed nolite commoveri. Auctius & melius vobis erit, quam Patribus veſtris; qui fratrem ſuum Ioſephum quem vendiderant, non noverant: à quo tamen & victum, & vitam accipiebant. Accedet ultro ad vos IESVS ille, qui CHRISTVS & MESSIAS veſter eſt; dicetque vo-

vobis, quæ dicebat Ioſeph fratribus ſuis: *Miſit me Deus ante Vos in vivificationem; & ad ponendum vobis reſiduum. Et nunc vos non miſiſtis me huc. Sed Deus poſuit me patrem Pharaoni; id eſt, gentili. Et dominum omni domui gentilitiæ. Et dominatorem in omni terra gentilitia.* Perget ille. *Felix culpa fuit patris primi veſtri Adami, quæ me meruit redemptorem. Felicior culpa fuit patrum veſtrorum; quæ me morte mea, veſtri & totius generis humani redemptorem fecit. Oportuit ut per crucem meam, quæ veſtra itidem fuit, intrarem in gloriam meam, quæ veſtra itidem erit.*

Neque vero illud tantum reſtituet vobis regnum veſtrum Deus, per Spiritum IESV & CHRISTI ſui, MESSIÆ veſtri; Sed etiam exorietur (ſi non exortus eſt) veſtris ex oſſibus & fratribus, ultor & REX veſter: qui virtute Dei, & Spiritu CHRISTI fretus; gentes vobis inimicas conteret, Voſque in manu forti & brachio extento, patriæ veſtræ & Terræ ſanctæ reſtituet: *ut illam*, IN ÆTERNVM CONFIDENTER, ET SOLI, *habitetis*. Quod vobis authentice promiſſum fuit. Quod expreſſim notavi in hac parte mei Syſtematis. Quodque expreſſius demonſtrandum mihi erit in ſequenti.

Geſtiunt mihi præcordia; quoties recordor REGEM illum veſtrum: *Pulchrum præ filiis hominum*. Sed pulchrum, qua virtus pul-

chr-

chra eſt. Et qua Samſon veſter, qui Hercules gentilium fuit, pulcher erat.

Satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus.

Micat animus quoties animo recolo invictiſſimum Principem, & Regum primogenitum; enſem femori ſuo aptantem; fulmineum ſtringentem; hoſtibus veſtris & ſuis fervide inſtantem; tingentem crura in ſanguine; bibentem de torrente; triumphantem; & in montem Sion aſcendentem; ibique Trophæa coram Domino de gentibus devictis erigentem.

Salit mihi cor, & neſcio quod inſolitum gaudium pertentat tacitum meum pectus; quoties imago ſubit futuri illius reditus veſtri: quo exciti omnes ex omnibus Terrarum omnium partibus, in quas diſperſi eſtis, confluetis ad dulcē illam patriam veſtram poſſidendam, pro qua tam diu eſt quod imo de pectore ſuſpiria ducitis: ad Ieruſalem illam veſtram inſtaurandam, de qua tam præclara & tam glorioſa dicta ſunt: & ad Templum illud veſtrum reſtituendum, in quo erit requies Domini, & requies veſtra. Totus exulto, quoties reputo ſemitas omnes undique ferventes in reditu illo veſtro;

—— Pleniſque viis ſic agmen abundans:
Vt æſtuoſi cum flat Auſtri ſpiritus
Indignata ſuis cohiberi flumina ripis,
Vaga per agros murmurant licentia.

Quæ ſunt pſalmi 126, ex paraphraſi Georgii Buchanani, omnium exquiſitiſſima.

Sed

Sed ad cœlos ipſos meditatione evehor; quoties in animum induco meum, reditum illum veſtrum, & reſtaurationem illam veſtram, PLENITVDINEM fore gentium. Et vocationem noſtram, inchoatam in IESV quando venit in carne, perficiendam & cumulandam in CHRISTO & MESSIA veſtro, quando veniet in ſpiritu. Et quo tempore, ſecundum Prophetam veſtrum, Spiritus ille qui ex Deo eſt, PLENE *effundetur ſuper omnem carnem.* Quo tempore, inquam, laudabunt Dominum omnes gentes cum populo ejus. Imo, quo tempore Cœli enarrabunt gloriam Dei: Terra hymnos concinet: Montes ſubſilient: Colles clamabunt: Silvæ motabunt arborum ſuarum cacumina: Mare gaudio æſtuabit: Fluvii manibus plaudent: & Natura univerſa læta erit de revelatione FILIORVM DEI; quæ veſtra futura eſt. Ad cujus ſcilicet revelationis expectationem, Naturam eandem nobis exhibuit D. Paulus, *anhelantem, enitentem & parturientem*, cap. 8. epiſtolæ ad Romanos.

Sed quid ego hæc raptim commemoro? Quæ per latum & effuſum orationis campum explananda ſunt. Et ſuper quibus ſingulatim enarrandis hærendum nobis particulatim eſt. Quod nimirum faciam in altera parte hujus Syſtematis: ſi Deus idem, qui velle illud mihi dedit, perficere dederit. Hoc mihi certe cum Vobis commune eſt: quod vitam duco erraticam; quæque parum convenit cum otio meditan-

ditantis & ſcribentis. At, ſi vivo vitam veſtram; moriar morte veſtra. & *Moriar morte Iuſtorum*; quæ veſtra eſt.

Vos autem ſoſpitet Deus. Vivite felices in ſpe veſtra: quæ fortitudo veſtra eſt.

Durate! & Voſmet rebus ſervate ſecundis.